Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IX. B

Digitized by Google

43
4 F
10

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOMUS DECIMUS.

Digitized by Google

43 4 F 10

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA

VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO

TAURINENSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS DECIMUS

AB ANNO JESU CHRISTI 462. USQUE AD AN. 516.



ROMÆ MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI IUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

Digitized by Google

VICTORIO CAJETANO
COSTA
DE ARIGNANO
ARCHIEPISCOPO TAURINENSI
MAGNO S. R. M. ELEEMOSINARIO,

GASPAR SACCARELLUS TAURINENSIS
Congregationis Oratorii Romani Presbyter
Felicitatem.

EDituro mihi decimum hoc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ volumen, deliberandum ſane non fuit, cujuſnam forte auſpiciis commendarem; Tu enim, Præsul amplissime, cum

Digitized by Google

cum eidem ſcribendo vacarem, jamdiu ſuccurreras, quem unice Patronum deligerem. Noveram plane te cum primum per ætatem licuit, poſthabitis omnibus, quæ ſummo genere natus, familiæque tuæ natu maximus, domi, foriſque adſequi facile potuiſſes, Deo penitus devoviſſe; exindeque non pietatis modo, ſed ſacrorum quorumquumque ſtudiorum laude ita floruiſſe, ut tibi vix ad Sacerdotium evecto, ampliſſimas in Eccleſia dignitates merito deberi omnes exiſtimarent, uti exitus mirifice comprobavit. Etenim æternæ memoriæ Princeps, & ingeniorum accerrimus æſtimator Ca-

RO-

Digitized by Google

ROLUS EMANUEL Sardiniæ Rex, inter Ælemoſinarios ſuos, ac paulo poſt ad magni Præſulis in aula ſua viceſgerendas delegit; denique vero unum omnium Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopatu digniſſimum judicavit. Quo in munere, quantum vel Regiam expectationem viceris, & Diœceſi univerſæ profueris, pervulgatius eſt, quam ut hic oporteat memorare. Illud vero, etſi cætera omnia deeſſent, ſatis ſuperque declarat, quod egregio viro, omnique virtutum genere ornatiſſimo Franciſco De Rora Archiepiſcopo Taurinenſi, immatura morte abrepto, Clementiſſimus Rex noſter AMEDEUS,

Digitized by Google

tanti Præſulis jacturam compenſari vix poſſe exiſtimavit, niſi te ad Metropolitanam iſtam Sedem transferret; quæ quantum & Diœceſis amplitudine, & Regiæ Urbis ſplendore cæteris præſtat, tanto majorem in Paſtore vigilantiam, pietatem, ac religionem requirit, quo Regiæ Familiæ, cui etiam uti Magnus Æleemoſinarius in rebus divinis præes, Summis Magiſtratibus, qui in Urbe Regni Principe ſedem habent, militaribus Copiis, quæ ad ejus præſidium & tutelam invigilant, nobilibus Viris, qui in aula verſantur, vel ad eam negotiorum cauſa undique confluunt,

Digitized by Google

ſatis verbo, & exemplo facere poſſit. Quibus omnibus, quam ſancte, quam pie, quam diligenter, fructuoſeque perfunctus hactenus fueris, ne tibi moleſtus ſim, libenter prætereo. Itaque ſi nomini virtutique tuæ devotus, Præsul amplissime, hunc tibi librum inſcribendum putavi, jure quidem meritoque putaſſe videor, neque te improbaturum eam præterea ob cauſam vehementer confido, quod Taurinenſis etiam Eccleſiæ faſtos adtingit. Illorum enim temporum Hiſtoriam perſequitur, quibus Taurinenſi gregi præerat Maximus, ſi non primus ejuſdem Eccleſiæ Paſtor, inter primos

certe, cum eximiæ Sanctitatis, tum ſingularis doctrinæ gloria numerandus; uti præclare ipſius res geſtæ, & quæ adhuc ſuperſunt opera declarant, quæ ſane magnopere lætandum, quamprimum proditura, ſingulari plane Maximi ac Sapientiſſimi PONTIFICIS PII SEXTI providentia, emendatiora, atque auctiora multo, & per quam ſtudioſe illuſtrata. Victor præterea, cujus etſi pauca admodum memorent, quæ ſuperſunt, veluti e naufragio tabulæ, ſincera illius ævi monumenta; ſatis ſuperque tamen ex iis inſignia ejus merita intelligimus. Inter cætera, ab Ennodio proditum

in

in vita Epiphanii anno 494. cum Theodoricus Italiæ Rex Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum ad Gundebadum Burgundionum Regem Legatum mitteret, ut Ligures redimeret a Burgundionibus captivos in Gallias paulo ante abductos, Epiphanio Legationis comitem Victorem Taurinatem Epiſcopum dediſſe; utroſque vero caritate flagrantes, alpibus, hyeme rigente, alacriter tranſgreſſis, ita ſtrenue legatione perfunctos eſſe, ut comitantibus multis millibus Ligurum, quos priſtinæ libertati reſtituere curaverant, in Italiam ſummo omnium plauſu, & veluti triumphantes re-

 die-

Digitized by Google

dierint. Quid enim quæſo tibi perjucundius eſſe poteſt iſtorum, aliorumque ſummorum Virorum commemoratione, quos pietate, doctrina, prædicatione, diſciplinæ ſtudio exprimere tantopere niteris? Opus igitur tibi omnino debitum peramanter, uti ſoles, excipe PRÆSUL AMPLISSIME, meque non concivem ſolum, ſed ſacra ordinatione amplitudini tuæ devinctum benigne tuere. Hoc enim uberrimum laborum meorum fructum æſtimabo.

A D-

ADPROBATIO.

DEcimum iſtud Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Volumen per eruditiſſimum P. Gaſparem Saccarellum Congregationis Oratorii Presbyterum digeſtum, non ſolum nihil continet fidei aut bonis moribus repugnans, quin potius rerum gravitate, Auctoris eruditione ac critica, plurimum ſe Sacræ Hiſtoriæ amatoribus commendat. Quare ut in publicam lucem proferri poſſit, optimum mihi quidem videtur.

Steph. Evodius Aſſemanus Archiep. Apameæ Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

AD-

Digitized by Google

ADPROBATIO.

JUbente Reverendiſſimo Patre Thoma Mamachio S. Palatii Apoſtolici Magiſtro legi & hoc Decimum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ volumen a Cl. P. Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Præsbytero conſcriptum ; idemque de eo, ac de præcedentibus judicium fero.

Joſeph Theoli
S. Theologiæ Doctor.

IM-

ed by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marcucci Patriar. Conſtantinop.
Ep. Montis Alti, ac Viceſg.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Sacri Palat. Apoſt. Magiſter.

by Google

ʒ3.2.ʃ.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI an. 462. Hilari Papæ 2.
Leonis Imp. 6. Severi Imp. 2.
Coss. Leone Aug. II. et Vibio Severo Aug.

Hilari Papæ Encyclica epiſtola ad Leontium Arelat. Epiſc. *Concil. tom.* 4. *pag.* 1040.

1 VOlumen eccleſiaſticæ Hiſtoriæ decimum auſpicantibus, Hilari, anno proximo deſinente, in Romanum Pontificem ordinati Encyclicæ de ordinatione ſua litteræ ſe offerunt, quarum exemplar exſtat in epiſtola ad Leontium Arelatenſem Epiſcopum, his verbis: *Quantum reverentiæ in ſpiritu Dei, qui ſubditos ſibi inhabitat ſacerdotes, Beato Petro Apoſtolo, & Sedi ipſius deferatur, omnibus arbitror eſſe compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta cuſtodia eſt: quos cum volumus de noſtræ ordinationis primordiis gratulari, opera, quæ in nos divinæ pietatis dignatio oſtendit, Sanctitati tuæ duximus indicanda, ut ipſe primum pro eo, quem in nobis invicem ſemper impendimus, præſtante Domino, læteris affectu: deinde ut diſpoſitione tuæ fraternitatis omnibus per univerſam provinciam fratribus & conſacerdotibus innoteſcat, quod humilitatem meam dextera Domini viſitare dignata ſit, & in Apoſtolicæ ſedis regimen non pro merito, ſed pro ſuæ gratiæ abun-*

JESU CHR. AN. 462.

dantiſſima largitate commiſerit. Quare ut ceteris ſuæ provinciæ Epiſcopis id notum faciat præcipit, ſuiſque ſe orationibus commendat. *Data octavo Kal. Febr. DN. Severo Auguſto Conſule*.

Alteræ Hilari Papæ epiſt. ad Leontium. *Concil. ut ſup. pag.* 1040.

2. Interea cum Leontius, antequam Hilari Papæ litteras accepiſſet, gratulatorias ob ſuſceptum Pontificatum ad eum dediſſet, alteras ſubito ad Leontium S. Pontifex direxit, quibus per Papulum virum ſpectabilem eas ſe accepiſſe refert, ac ſe, quod conſuetudo poſcebat, de Epiſcopatus ſui primordiis litteras dediſſe admonuit, atque ut in Epiſcopali munere explendo, ac in Romanæ ſedis obſervantia perſeveraret, excitat, ut ibidem videre eſt. His tertiam ad eumdem Leontium epiſtolam dedit, tertio nonas novembris, qua eum graviter arguit, eo quod Hermetis uſurpationem non repreſſerit, qui inaudita temeritate Narbonenſem ſedem ſponte ſua occupaverat; quare, cum hæc fama, & relatione Joannis Diaconi, a Friderico magnifico viro ad eum miſſi, accepiſſet, ſatis ſe mirari ait, quod tantum ſcelus in ſua provincia commiſſum ſilentio præterierit: *Quam rem decuerat*, inquit, *Sanctitatem tuam, ut nobis in veſtigio indicaret. Qua de re frater cariſſime monemus, ut ſi fides adhibetis aſſertis, ſepoſita excuſatione, ad nos, tam tuæ dilectionis, quam fratrum noſtrorum, aut per portitorem litterarum, aut per quem ipſi elegeritis, ſubſcriptam manuum veſtrarum relationem tranſmittatis, ut quod definire poſſimus, recurrenti pagina poſſitis agnoſcere ec.*

Synodus Rom. ſub Hilaro Papa.

4. Quod juſſerat Hilarus, ut rei geſtæ in cauſa Hermetis Bitterentium Epiſcopi, qui Narbonenſem poſtea ſedem invaſerat, relationem ad ſe mitterent, continuo Galliarum Epiſcopi executi fuerunt; & fortaſſe, cum vix hæc ſcripſiſſet Hilarus, jam Pontificis mandata prævenerant, ac miſſa legatione, quam Fauſtum Regienſem, & Auxanium Epiſcopos obiiſſe probabile eſt, integram Hermetis cauſam Hilaro finiendam, cum actorum relatione, tranſmiſerunt. Quibus acceptis Hilarus Papa, recurrente ordinationis ſuæ die, ſynodum Epiſcoporum frequentia celebrem Romæ celebravit, in qua ſententiam protulit; unde in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ hoc eodem anno tertio nonas Decemb. data: *Præſidente fratrum numeroſo concilio, & ex diverſis provinciis diem natalis noſtri, in honorem B. Petri Apoſtoli per Dei gratiam congre-*

Concil. tom. 4. p. 1042.

Digitized by Google

gregato, præſidentibus fratribus & coepiſcopis noſtris Fauſto, & Auxanio, atque agentibus plurimis, quæ vigorem reſpiciunt auctoritatemque judicii, id a nobis pacis eſt amore conſtitutum, ut in ſententia, quam ſub animadverſione utriuſque legationis inde directæ, Chriſto Domino noſtro inſpirante, protulimus, neque caritas evangelicæ indulgentiæ, neque apoſtolicæ virga defuerit diſciplinæ. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere; & ſane ſummæ clementiæ fuit, quod Narbonenſem Eccleſiam Hermeti retinendam permitteret. In eo tamen mulctatum voluit, quod conſecrandorum Epiſcoporum facultate careret; hinc ſubdit: *Ei qui nunc eccleſiæ Narbonenſi præſidere permittitur, ordinandorum Epiſcoporum, ob hæc, quæ prava facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem; quam ita ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Conſtantium Uceticæ eccleſiæ Antiſtitem, quia ævo honoris primas eſſe dicitur, pertinere cenſuimus, ut ſi ſuperſtite Herme epiſcopo defunctus fuerit, illum hæc cura reſpiciat, quem repererit epiſcopalis ordo primatem. Herme autem epiſcopo deficiente, faciendorum mos antiſtitum Narbonenſi mox reddatur Eccleſiæ, quem non civitas, ſed cauſa præſumptionis amiſit*. Ut collapſa interim diſciplina reſtauraretur hortatur, ac ut ſingulis annis juxta canonum ſtatuta ad ſynodos Epiſcopi convenirent, ac Leontio vices ſuas ſe delegaſſe, narrat. In dirimendis vero gravioribus cauſis, quæ in provincialibus conciliis componi non potuerint, ut Apoſtolicæ ſedis ſententia ſequeretur admonet; judicium vero de parochiis eccleſiæ Arelatenſis, quas Leontius repetebat, Epiſcoporum judicio hæc definienda delegat; ac tandem, ne eccleſiarum bona alienentur, niſi prius in Epiſcoporum ſynodo cauſa cognita fuerit, admonet.

Jesu Chr. An. 462.

Fauſtus Rejenſis Epiſc. ordinatur.

5. Fauſtum Rejenſem Epiſcopum Romanæ ſynodo adfuiſſe diximus, cujus ordinationem tardius, quam par eſt viri docti diſtulerunt, uſque ad annum ſcilicet 472. In Galliis ex Britannia Aremonica oriundus, Britto ab Avito in epiſtola quarta dictus eſt: *Ortu Britannus, habitatione Rejenſis*; Sidonius vero ad eum ſcribens, Britannum fuiſſe his verbis innuit; *Britannis tuis*. Ex habitatione tamen, & Epiſcopatu Gallum fuiſſe paſſim auctores dicunt; hinc Facundus contra Mocianum: *Aliquando etiam Fauſtus Gallus in quæſtione liberi arbitrii, male intellectis & incongrue adhibi-*

Bar 472. 18. Caveus tom. 1. pag. 453. Dupin ſecul. 5. tom. 3. p. 582. Sidon. lib. 9. epiſt. 12. Biblioth. PP. tom. 10.

Jesu Chr. An. 452. *tis ipſius S. Auguſtini ſententiis fallebat*. Is porro cum philoſophiæ aliquando operam dediſſet, inter Lerinenſes monachos adſcriptus fuit, ac poſt Maximum Abbas electus, quo munere dum fungeretur, cum Theodoro Forojulienſi Epiſcopo, ob monaſterii ſui, monachorumque exemptionem litem habuit; quam Arelatenſis ſynodus anni 455., pluribus in eam rem editis canonibus, compoſuit. Ad Rejenſem deinde ſedem evectus, Maximi iterum ſucceſſor fuit; quod non ineleganter Sidonius Apollinaris his verſibus cecinit:

. . . . Quæ gratia Patrem
Manſit Honoratum, fuerit quis Maximus ille
Urbem tu cujus, Monachuſque, Antiſtes, & Abbas
Bis ſucceſſor agis.

In epiſcopali autem cathedra uno aut altero abhinc anno locatus, dignus habitus eſt, ut cum Auxanio, Gallorum Epiſcoporum Legatus Romam mitteretur, ac Romanæ ſynodo in natali Hilari Pontificis habita adeſſet; quin in graviſſima Leontii Arelatenſis Epiſcopi cum Mamerto quæſtione arbiter electus eſt; de qua anno ſequenti. Epiſcopus autem ordinatus Fauſtus, durum ac ſimplex vitæ genus, quod monachus ſervaverat, nequaquam mutavit, ut non ſine laude Sidonius commemorat; inter cetera: *Precum inſulanarum peritus, quas de paleſtra congregationis eremitidis & de Senatu Lirinenſium cellulanorum, in urbem quoque, cujus eccleſia ſacra ſuperinſpicis, tranſtuliſti, nihil ab Abate mutatus per Sacerdotem. Quippe cum novæ dignitatis obtentu rigorem veteris diſciplinæ, non relaxaveris*. Eum vero, tum concionibus habitis, quam editis opuſculis per totam Galliam hoc ſeculo inclaruiſſe, ac maximam ſibi pietatis, doctrinæque famam promeruiſſe, ex dicendis conſtabit. Semipelagianorum tamen luto hæſiſſe, eorumque hujus temporis præcipuum fuiſſe defenſorem, ejuſdem ſcripta manifeſto produnt; ſed hæc opportuniori loco dicenda reſervamus.

Sidon. lib. 9. epiſt. 3.

Leontii Arelat. Epiſc. epiſt. ad HilarumPapam.

6. Ut ad Leontium, unde ad hæc digreſſi ſumus, redeamus; is in epiſtola ſua, qua cum Hilaro de adepto Pontificatu gratulatur, dum ſuum in Rom. ſedem obſequium teſtatur, quam eccleſiarum omnium matrem appellat, ut Eccleſiæ ſuæ privilegia ſibi ſervarentur, poſtulat. Hinc poſt plu-

plurima in Romanæ ſedis, æque ac in tanti Pontificis laudem ſubdit: *Cum Eccleſia noſtra Arelatenſis ſemper ab apoſtolica ſede amplis favoribus & privilegiis fuerit decorata, rogamus Sanctitatem tuam, ut per eam nihil nobis decedat, ſed potius augeatur, ut & collaborare tecum in vinea Domini Dei Sabaoth valeamus, & invidorum conatus infringere: quos, ſi non eſſet auctoritas reprimens, certum eſt de die in diem graſſaturos in pejus, quia malitia, qua nos oderunt, aſcendit ſemper. Data Severo Auguſto Coſſ.*

Leontio Arelat. Epiſc. Fauſtus libros inſcripſit.

7. Ex Hilari litteris hoc tempore ad Leontium Arelatenſem Epiſcopum datis, & Leontii ad Hilarum, Ravennio Leontium circa annum 460. ſucceſſiſſe patet. Hinc Arelatenſium Epiſcoporum ordinem pervertiſſe Baronium conſtat, dum ſcribit; non ſtatim poſt Hilarium *ſedit Cæſarius, ſed Ravennius, & poſt Ravennium Eonius, & poſt eum Leontius*; Eonio tamen deceſſiſſe Leontium, non præceſſiſſe ex Ruricii epiſtola ad ipſum Eonium Epiſcopum data ſcimus, qua habet: *Domino ſuo peculiari in Chriſto Domino patrono Eonio Epiſcopo Ruricius. Agnito tranſitu ſanctæ ac venerabilis apud me recordationis Domini mei, deceſſoris veſtri Leontii, animo & mente confuſus, diu multumque triſtatus ſum*; & iterum in fine epiſtolæ: *Peculiari prece depoſco, eo mecum agere tanto habeatis affectu, ut Dominum Leontium, præmiſiſſe ac commutaſſe potius, quam perdidiſſe cognoverim*, quibus ſane verbis, luce clarius eſt, Eonium Leontio ſucceſſiſſe. Huic autem Leontio Arelatenſi Epiſcopo Fauſtus Rejenſis libros ſuos de gratia & libero arbitrio inſcripſit; non vero Leontio Forojulienſi in Gallia Epiſcopo, uti Baronius his verbis adnotavit: *Ut Leontius Epiſcopus Forojulienſis, ad quem etiam Fauſtus libros illos ſuos inſcripſit*; perperam tamen ArelatenſemLeontium in Forojulienſem commutavit. Forojulienſi quidem Leontio decem priores collationum ſuarum libros noncupaverat Caſſianus, ut idem ipſe teſtatur: *Has interim decem collationes ſummorum Patrum, ideſt Anachoretarum, qui in eremo Schytiæ morabantur, quas ille incomparabili flagrans ſtudio, ſanctitatis ſimili juſſerat ſermone conſcribi, non perpendens præ multitudine charitatis, quanto infirmas cervices pondere prægravaret, vobis potiſſimum Beatiſſime Papa Leonti, & Sancte frater Helladi credidi conſecrandas etc.* Leontium etiam Forojulienſem Epiſco-

Bar. an. 441. n. 13.

Ruricii epiſt. lib. 1. 15. bibliotò. PP. tom. 8. pag. 563.

Caſſianus præfat. in collat.

Digitized by Google

Leonis epiſt. 10.

ſcopum ætate jam provectum anno 445. Metropolitica auctoritate exornaverat S. Leo Pontifex. Quare cum ultra annum 476., quo Fauſtus libros de gratia & prædeſtinatione edidit, in quibus Aurelianenſis, & Lugdunenſis concilii mentionem facit, vitam prorogaſſe, credibile vix eſt; ſed de Fauſti geſtis, & ſcriptis, iterum anno ſequenti.

Studius Templum S. Joannis Baptiſtæ CP. ædificat, alia ejus geſta.

Pag. ad an. 459. *n.* 6. *&* *nota* 4. *an.* 462.

Theodor. lect. lib. 1. *p.* 512.

8. De geſtis in Oriente id præcipue adnotandum occurrit; Sancti Joannis Baptiſtæ templum extructum fuiſſe. *Hoc anno*, ait Theophanes, *Præcurſori Templum Studius extruxit, & traductos ex Acœmetarum monaſterio monachos in eo poſuit*. Nobilis monaſterii meminit Theodorus lector: *Gennadii temporibus Studius eccleſiam S. Joannis extruxit, & monachos ex Acœmitenſibus in ea collocavit. Gratiſſimus vero Præpoſitus ſacris Cubiculis extruxit Eccleſiam ſancti Cyriaci, in qua etiam monachi veſtem aſſumpſit, ſimulque Præpoſiti munus implere non deſtitit*. Ædificatorem Studium illum ipſum eſſe, qui anno 454. Conſul cum Ætio proceſſerat, dubitari vix poteſt. Acœmetarum monaſterium ex quo Studius monachos in ſuum tranſtulit, Marcellus conſtruxerat. Cur vero Acœmetæ ſive inſomnes dicerentur, Nicephorus aperit: *Quia in eo monaſterio perpetuis carminibus, nunquam non hymni Deo canerentur*. Sodalitas itaque monachorum eam ob cauſam in tres turmas diſtributa erat, ut dum pars quieſceret, aut reficeretur, ceteri hymnos pſalmoſque canerent, itaut divinis laudibus ſemper templum reſonaret. Studius porro monaſterii conditor, & conſulatu illuſtris, Majorum etiam ſuorum dignitatibus fulgebat. Temporibus quippe Theodoſii Magni claruit Studius Præfectus Prætorii, ad quem extat S. Ambroſii epiſtola conſolatoria, qua ejuſdem pietatem commendat. Hic porro Studius, de quo agimus, hujus ſeculi initio cum tota familia, relicta Urbe, CPolim tranſierat, ac Præfectus Urbis CP. anno 404. Coſſ. Honorio ſextum & Ariſteneto fuit, ut ex lege 15. Cod. Theodoſ. de Epiſcopis, & clericis ſcimus, quem etiam Marcianus Auguſtus anno 454. conſulari trabea exornatum voluit; ſicque divino conſilio, Roma profugus, Vandalorum vaſtitatem, captivitatemque evaſit. Sed de Studio hactenus.

Niceph. lib. 15. 23.

JE-

JESU CHRISTI an. 463. Hilari Papæ 3.
Leonis Imp. 7. Severi Imp. 3.
Coss. Fl. Cæcina Baſilio, et Viviano.

De Baſilio Conſule. Sidon. lib. 1. epiſt. 9.

1. De Baſilio Cæcina hujus anni conſule præclara apud Sidonium Apollinarem extat memoria, quem cum Avieno comparat, qui conſulatum ante annos octo cum Valentiniano Auguſto ſeptimum geſſerat; de præſtantiſſimis quippe viris agens, qui ea ætate inter Romanos Senatores fulgebant, duos præ cæteris illuſtriores fuiſſe adnotat: *Erant quidem in Senatu*, ait, *plerique opibus culti, genere ſublimes, ætate graves, conſilio utiles. dignitate elati, dignatione communes; Sed ſervata pace reliquorum, duo faſtigatiſſimi Conſulares Gennadius Avienus & Cæcina Baſilius præ cæteris conſpiciebantur; ii in ampliſſimo ordine, ſepoſita prærogativa partis armatæ, facile poſt purpuratum principem principes erant etc.* Comparat eos ſimul, & in quibus alter alteri præſtaret, enarrat: ſed ad, commendationem hujus addit: *Avienus ad Conſulatum felicitate, Baſilius virtute pervenerat*. Sed & de Baſilii familia paulo poſt addit: *In hoc*, inquit, *Corvinorum familiæ Deciana præferebatur etc.*

Hilari Papa epiſt. ad Leontium Arelat. Epiſc.

2. His prænotatis, ad graviora tranſeamus, nam hoc iterum anno, componendis inter Leontium Arelatenſem, & Mamertum Viennenſem Epiſcopum diſſidiis, Hilarus Papa, datis ad Leontium epiſtolis, ſollicitudinem geſſit. Cum etenim Mamertus Viennenſis Epiſcopus Dienſibus in Delfinatu poſitis Epiſcopum ordinaſſet; eaque ordinatione Leontii Arelatenſis Metropolitæ jus, auctoritatemque violaſſe videretur; Hilarus ſexto idus Octobris Baſilio VC. Coſſ., ideſt hoc anno, datis ad Leontium litteris, in Mamerti ordinationem inquirendum juſſit his verbis: *Quantum filii noſtri, viri illuſtris Magiſtri militum Guindici ſermone eſt indicatum, prædictus Epiſcopus invitis Dienſibus, & qui ad Eccleſiarum ejus numerum, quem ei Apoſtolicæ Sedis deputavit auctoritas, ſicut in ſcriniis noſtris legimus, minime pertinebant, hoſtili more, ut dicitur, occupans civitatem, Epiſcopum conſecrare præſumit*, conſtat quippe Deam non urbibus includi, quas Epiſcopo Viennenſi Leo Pontifex anno 450. aſſignarat. Itaque commotus Hilarus hæc præcipit Leontio: *In conventu Syno-*

Concil. tom. 4. pag. 1044.

Leo epiſt. 66.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 463. *Synodali, qui ſecundum ſtatuta noſtra, annis ſingulis te ſibi præſidente eſt congregandus, diſcutere quæ ſunt acta debebis, & prædicto rationem facti ſui ſub univerſo cœtu fraternitatis exigere, ac deinde omnium litteris noſtræ intimare notitiæ, ut quod ſancto Spiritu dictante eſt faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus.* Epiſtola vero altera ad Epiſcopos diverſarum provinciarum Galliæ, ut quotannis ſynodalia concilia celebrarentur, iiſque Leontius Arelatenſis Epiſcopus præeſſet, jubet, ac ut in Mamerti illicitam ordinationem diligentius inquirerent, hortatur. *Præcipue cum graviſſima Viennenſis civitatis Epiſcopus involvatur offenſa, in injuriam fratris & coepiſcopi noſtri Leontii Deenſibus antiſtitem conſecrando. De cujus facto vindictæ congruæ ſententiam differentes, relationi fratrum, quæ interim fuerant viſa, reſpondimus etc.*

Concil. to. 4. pag. 1044.

Hilari epiſt. altera ad Galliæ Epiſc.

3. Leontius interea, Hilari acceptis epiſtolis, ſynodum Arelate congregavit, cui Epiſcopi viginti adfuerunt, quorum nomina in inſcriptione epiſtolæ Hilari ad eos datæ leguntur, ex iiſque conſtat, non ex Arelatenſi tantum provincia Epiſcopos ad eam conveniſſe, ſed ex Lugdunenſi quoque, & Narbonenſi prima & ſecunda, quin ex Penninis etiam alpibus; relatione autem ad Hilarum de geſtis in ſynodo facta, S. Pontifex, rata ſartaque eadem haberi voluit, hac altera ad eoſdem Epiſcopos data epiſtola ſexto Kal. Martii poſt conſulatum Baſilii VC. ideſt anno ſequenti, eaque Mamerti Viennenſis Epiſcopi præſumptionem, non ſine indignationis ſuæ ſignificatione, aculeatiſque verbis perſtrinxit, addens: *Sicut ergo & veſtræ dilectionis relatio, & fratris & Coepiſcopi noſtri Antonii inſinuatio reſeravit, claret prædictum privilegia certis concluſa terminis velle perdere plus volendo, qui abuſus fratris & conſacerdotis Leontii moderantia, Deenſibus contra fas epiſcopum, etiamſi eſt meritus, non timuit conſecrare. In quo factum ejus convenerat ſic reſolvi, ut juxta eorum quæ perpetrata ſunt qualitatem, non ſine jactura proprii ordinis, etiam illum a ſacerdotali conſortio ſubmoveri cerneret, quem creavit indebite, quemque indigniſſime feciſſe convincitur, correptum juſta ultione ſentiret, ne conceptæ audaciæ incaſtigata temeritas licentiæ ſe peperiſſe putaret exemplum*; Mitiora tamen conſilia ſuggerens Verani Epiſcopi opera, Mamertum admonendum eſſe juſſit; ne inpoſte-

Concil. ut ſup. 1046.

by Google

poſterum talia tentaret; quod ſi eadem præſumpſiſſet, Sacerdotali cum honore mulctandum eſſe, & civitates quatuor, Viennenſi Epiſcopo a S. Leone tributas, Arelatenſibus Epiſcopis reſtituendas fore denunciat. De eo autem, qui Deenſibus illegitime ordinatus fuerat, ut Leontii confirmaretur arbitrio jubet, *a quo rite debuit confirmari etc.* Quem hæc exitum habuerint, & an Mamertus in ordinatione Deenſis Epiſcopi tam graviter peccaverit, ut eidem Hilarus Papa exprobrat, an vero Leontii Arelatenſis Epiſcopi accuſationibus motus, in Mamertum, virum alioquin doctrina, & ſanctitate illuſtrem, tam acriter invectus fuerit, penitus ignoramus. *In his enim, quæ contentioſi fori ſunt*, ad rem noſtram adnotat Baronius, *perfacile eſt quemque decipi*; quod ex Sancti Leonis Magni geſtis adverſus Hilarium confirmat, ac addit: *Quis neſciat ſæpe accidere, ut falſis accuſationibus, & ſubreptionibus aures Pontificum repleantur, & cum putant agere, quod juſtum appareat, exagitent innocentem?* Hoc unum interea adnotare juvabit, ex his aliiſque geſtis, Hilarum, in procuranda per totam eccleſiam canonum obſervantia, ardentiſſimi zeli, maximæque ſollicitudinis indicia reliquiſſe.

Jesu Chr. an. 463.

Bar. 464. n. 8

Mamertus Viennenſis Epiſc. Rogationum inſtitutor.

4. Mamerti mentio a nobis exigit, ut de tanti viri geſtis nonnulla adnotemus, cujus memoria in Eccleſiæ faſtis celebris perſeverat, eo quod Rogationum inſtitutor habeatur, ideſt triduani jejunii, cum Litaniis ſeu ſupplicationibus, quod ante Chriſti Aſcenſionem celebratur. Quo anno hæ ſupplicationes cum jejunio inceperint, in obſcuro eſt, harum autem auctorem Mamertum fuiſſe, Avitus, æque ac Sidonius Apollinaris teſtantur. Hic etenim in epiſtola ad Aprum: *Quidquid illud eſt, quod vel otio, vel negotio vacas, in urbem tamen, ni fallimur, Rogationum contemplatione revocabere. Quarum nobis ſolemnitatem primus Mamertus Pater, & Pontifex, reverendiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit.* Ante hæc tempora, urgente aliqua neceſſitate, ſupplicationes quidem, & jejunia fiebant, ut idem adnotat auctor; at incerto tempore fiebant, ac pro cujuſque arbitrio. In his autem quæ Mamertus inſtituit: *Jejunatur, oratur, pſallitur, fletur.* Id ergo conſtituit Mamertus, ut ſtatis certiſque diebus ſupplicationes fierent, pſalmis jejuniiſque comitantibus, quod novum ſane fuit eo tempore, quo celebra-

Sidon. lib. 5. epiſt. 4.

JESU CHR. AN. 463. bantur. Erat quippe in more poſitum inſtitutoque majorum, ut dies, qui a Paſchate ad Pentecoſtem uſque labebantur, jejuniis eximerentur, ut teſtes ſunt Tertullianus, Epiphanius, aliique Patres, ita ut vel ipſi monachi, qui toto fere anno jejunabant, eo tempore ante nonam diei horam jejunium ſolverent, ut apud Caſſianum Theona Abbas narrat; atque copioſius perſequitur Thomaſſinus tractatu Gallice ſcripto de Jejuniis.

Qua occaſione Mamertus Rogationes inſtituerit.

5. Ira autem Dei, quæ Viennenſibus excidium minabatur, in cauſa fuit, ut eas ſupplicationes cum jejunio Mamertus indiceret. Nam ut idem Sidonius refert: *Non latet noſtram ſciſcitationem primis temporibus harumce ſupplicationum inſtitutarum civitas tibi cælitus credita, per ejuſmodi prodigiorum terriculamenta vacuabantur*; cum ſcilicet, aut frequentes terremotus ruinam urbis minitabantur, aut igneæ columnæ per aera ferri viſæ ſunt, his alia portenta addit Alcimus Avitus in homilia de Rogationibus, præſertim vero, pavidos naturaliter cervos per anguſta portarum uſque ad forum penetraſſe; de tempore autem quo hæc acciderunt, hæc addit Avitus: *Tracta ſunt hæc inter timores publicos, & rumores privatos uſque ad imminentem ſolemnium vigiliarum noctem, qua celebrari feſtum Dominicæ reſurrectionis annua conſuetudo depoſcebat*; neque ſacra nox, quod expectabatur, remedium attulit: *Ædes namque publica flammis terribilibus conflagrare crepuſculo cœpit*. Perſtitit altaribus Mamertus, qui *flumine lacrymarum permiſſam ignibus poteſtatem incendio abſumente compeſcuit*. Tum conceptis animo Rogationibus eligit triduum: *Quod inter Aſcenſionis ſacræ cultum diemque Dominicum eſt interjectum: Ad baſilicam, quæ tunc mœnibus vicinior erat civitatis, orationem primæ proceſſionis indicit*, ait Avitus Viennenſis Epiſcopus.

Sidon. lib. 7. epiſt. 1.

Rogationum inſtitutio ab eccleſia adoptatur.

6. Quas pro Viennenſibus ſuis invenerat Mamertus rogationes, Arvernenſes primum in Galliis imitati ſunt; temporis vero decurſu ex Galliis in alias provincias tranſiere, ac tandem in tota Eccleſia frequentari cæperunt. De Arvernenſibus teſtis eſt idem Sidonius, qui ut Gothorum incurſiones, vaſtationeſque vitarent, Rogationum auxilio ſe ſe munierunt: *Solo invectarum te auctore rogationum palpamur auxilio*, ajebat ad Mamertum: *Quibus inchoandis inſtituendiſque populus Arvernus, etſi non effectu pari, affectu certe non*

Sidon. lib. 7. epiſt. 4.

non impari cœpit initiari, & ob hoc circumfuſis nec dum dat terga terroribus; tractu autem temporis, ceteræ etiam Galliarum eccleſiæ Viennenſium, & Arvernenſium exempla ſecutæ ſunt. Unde Gregorius Turonenſis: *Ceſſantibus exinde terroribus per cunctas provincias, diſperſa facti fama, cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide, quæ uſque nunc in Chriſti nomine per omnes eccleſias in compunctione cordis, & contritione ſpiritus celebrantur*. Cumque paſſim celebrarentur Rogationes, Aurelianenſis ſynodus anno 511. ut ab omnibus obſervarentur juſſit: *Rogationes, ideſt Litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari: itaut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis feſtivitate ſolvatur*. Sed de Rogationibus a Mamerto inventis hactenus, de quibus plura in notis ad Rom. Martyrologium, vel apud Baylet, Lebrun de jejuniis videri poſſunt.

Mamerti pietas, miracula & obitus. *Sidon. lib. 7. epiſt. 1.*

7. Nec prætereundum eſt, tantæ virtutis fuiſſe Mamertum, ut miraculorum quoque gratia inclaruerit, ut Sidonius in epiſtola ad ipſum data teſtatur: *Cum vice quadam civitas conflagrare cœpiſſet, fides tua in illo ardore plus caluit, & cum in conſpectu pavidæ plebis objectu ſolo corporis tui ignis recuſſus in tergum fugitivis flexibus ſinuaretur, miraculo terribilis novo inuſitato affuit flammæ cedere per reverentiam, cui ſentire debuit per naturam*. Sacras etiam Sanctorum Ferreoli, & Juliani exuvias S. Mamertus invenit, ac tranſtulit, ut pluribus narrant Gregorius Turonenſis, & Sidonius Apollinaris: *Quia tibi ſoli conceſſum eſt, poſt avorum memoriam, vel confeſſorem Ambroſium, duorum Martyrum repertorem, in partibus orbis Occidui, Martyris Ferreoli ſolida translatio, adjecto noſtri capite Juliani, quod iſtinctu turbolento quondam perſecutori manus retulit cruenta carnificis; non injuriam eſt, quod pro compenſatione depoſcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinii, quia vobis hinc redit patroni*. Qua vero ratione inventæ ſunt Martyrum reliquiæ, ſcriptum reliquit Gregorius Turonenſis. Rhodano imminebat Baſilica Ferreoli, cujus porticus cum rapidiſſimi amnis fluctibus tunderetur, veritus Mamertus, ne rueret, aliam eleganti opere Baſilicam extruxit. Ad celebritatem Abbatum Monachorumque multitudo confluxit; cum fodere cœpiſſent, ſepulchra offeruntur, quibus viſis, adſtantes ſtupor inceſ-

Greg. Turon. de mirac. lib. 2. 2. Sidon. ut ſup.

 ſit,

Jesu Chr. An. 463. ſit, dubitantes quis foret Ferreolus. Dubia eorum unus ſolvit, nuncians auditione, famaque accepiſſe ſe, *caput Juliani Confeſſoris in ſepulchro retineri Martyris*. Facta oratione, ubi tertius tumulus apertus eſt: *Invenit in eo virum jacentem, illæſo corpore, integro veſtimento, qui deciſo capite, caput amplexus aliud, brachio retinebat. Tunc Antiſtes gaudio magno repletus, ait, hoc eſſe cadaver Ferreoli, hoc caput eſſe Juliani Martyris; dubium non habetur. Tunc cum magno pſalterio, plaudente populo, in loco, ubi nunc adoratur, Domino annuente perducitur*. Inſcripti verſiculi locum Reliquiarum poſteros docuere:

Heroas Chriſti geminos hæc continet aula,
Julianum capite, corpore Ferreolum,

quod dyſticon cum legiſſetTuronenſis, ac æditum interrogaſſet, quid hi verſus ſignificarent, ab eodem translationis hiſtoriam didicit. Annum 473. Mamertum exceſſiſſe, teſtis eſt ſupracitata Sidonii Apollinaris epiſtola, quam poſt adeptum Epiſcopatum ſcriptam fuiſſe hæc indicant verba: *Primum igitur, & iis paucis noſtri ordinis viris indicis jejunia etc.* quibus ejuſdem dignitatis & ordinis cum Mamerto ſe fuiſſe Sidonius teſtatur. Quouſque poſt hæc, ideſt poſt annum 473., vitam tenuerit Mamertus, in obſcuro eſt, ejus tamen memoria celebris in eccleſia perſeverat, ac die undecima Maii Martyrologio Rom. recolitur.

De Claudiano Mamerto ejuſque ſcriptis, 8. A Mamerto Antiſtite non eſt disjungendus Claudianus Mamertus ejus frater, qui etſi dignitate inferior, utpote Presbyter, ille vero Epiſcopus, doctrina tamen celebrior fuit, quem etiam fratris in Epiſcopali onere ferendo vicarium, coadjutoremque fuiſſe, non uno in loco narrat Sidonius:

Sidon. epiſt. lib. 4. 11.

Antiſtes fuit ordine in ſecundo,
Fratrem faſce levans Epiſcopali;
Nam de Pontificis tenore ſummi
Ille inſignia ſumpſit, hic laborem;

& iterum: *Epiſcopum fratrem majorem natu affectuoſiſſime obſervans, quem diligebat ut filium, cum tamquam patrem veneraretur. Sed & ille ſuſcipiebat hunc granditer, habens in*

eo

eo conſiliarium in judiciis, vicarium in eccleſiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis, in lectionibus comitem, in expoſitionibus interpretem, in itineribus contubernalem. Sidonio erat amiciſſimus, quem ut ſibi ſcriberet, his verbis excitat: *Si peccaris ultra reticendo, ego protinus ulciſcar ſcribendo.* Sidonio etiam libros ſuos de ſtatu animæ, quos contra Fauſtum ſcripſit, nuncupavit. Libellum ſcripſerat Fauſtus adverſus Arianos, & Macedonianos, & adverſum eos, qui dicebant, creaturas aliquas præter Deum incorporeas eſſe; Fauſtus vero ſolum Deum omni materia expertem eſſe contendebat, ac proinde Angelos, hominumque animas corporeas eſſe ajebat: *In quo quidem*, ait Baronius, *miram quamdam deteximus hominis in erroribus adſtruendis calliditatem, ne dicam nequitiam*; cum in ſuæ opinionis defenſionem, S. Hieronymi, aliorumque abuteretur auctoritate. Operi quidem ſuo nomen reticuerat Fauſtus; hinc Claudianus Mamertus: *Percunctor de nomine, nec reſponſo, nec ſcripto proditur.* Cumque Claudianus quoſdam inveniſſet, qui librum ſtudioſe lectitarent, Fauſti opinionem ſeu potius errorem tribus libris, quos Sidonio nuncupavit, confutandum ſuſcepit, eoque in opere, quantum in difficili ac Metaphyſica quæſtione de ſubſtantia animæ incorporea, ejuſque actionibus, aut quomodo circumſcripta limitibus, loco tamen in uno non contineatur, dici a catholico viro poterant, nil prætermiſit; nonnulla tamen molliori ſenſu interpretanda ſunt, cujus opuſculi ſummam Dupinius exhibet. Nec ſoluta dumtaxat oratione, ſed verſibus etiam hymniſque ſe ſe poſteritati commendavit Claudianus; hinc Sidonius de hymno quodam: *Jam vero*, ait, *ſi hymno tuo, ſi percunctere quid ſentiam, commaticus eſt, copioſus, dulcis, elatus, & quoslibet lyricos dithyrambos amænitate poetica, & hiſtorica veritate ſupereminens.* Eique hymnum, qui tempore Paſſionis cantatur, plerique inſcribunt: *Pange lingua glorioſi prælium certaminis.* Gennadio unus Mamerti Claudiani tractatus de ſtatu animæ in notitiam venit: *Claudianus Viennenſis Eccleſiæ Presbyter, vir ad loquendun artifex, & ad diſputandum ſubtilis, compoſuit tres de ſtatu, vel de ſubſtantia animæ libros, in quibus agit intentionem, quatenus oſtendat aliquid incorporeum præter Deum.* Quouſque vitam Claudianus extenderit ſuam, in obſcuro eſt. Id unum ſcimus, inter

JESU CHR. AN. 463. *Sidon. epiſt. 2. lib. 4.*

Bar. 994. n. 37.

Dupin ſecul. 5. tom. 3. p. 537.

Lib. 4. epiſt. 3.

Jesu Chr. an. 463. inter homines adhuc fuiſſe anno 473., Sidonio jam Pontifice, qui & defunćto parentavit, data ad Protejum, cui Claudianus avunculus erat, epiſtola. Vir fuit providus, prudens, doćtus, eloquens, acer, & hominum ævi, loci, populi ſui ingenioſiſſimus, quique indeſinenter ſalva religione philoſopharetur: *Et licet crinem, barbamque non paſceret, pallium & clavam nunc irrideret, nunc etiam execraretur; a collegio tamen Complatonicorum ſolo habitu, ac fide diſſociabatur*. Morienti non adfuit Sidonius; oſſa tamen defunćti non lachrymis conſperſit modo, ſed epitaphio quoque decoravit:

Germani decus & dolor, Mamerti,
Mirantium unica pompa Epiſcoporum,
Hoc dat ceſpite membra Claudianus,
Triplex bibliotheca, quo Magiſtro
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit.

Veneticum concilium ejuſque canones.

9. Etſi Venetici concilii epocha incerta ſit, non diu tamen poſt Turonicum anno 461. hoc alterum celebratum fuiſſe indicat ſubſcriptio, tum Perpetui Turonenſis Epiſcopi, cum Anthenii Rhedonenſis, quorum nomina in ſubſcriptionibus Turonici quoque leguntur. Veneticum concilium, de quo agimus, in Gallis celebratum fuit; ubi in traćtu Armorico Venetia erat, Gallice *Vennes*, ut ex Plinio ſcimus lib. 4. cap. 18. ac mentio apud Cæſarem occurrit: *Naves*, inquit, *in Venetiam, ubi Cæſarem bellum geſturum eſſe conſtabat, quamplurimas poſſunt, cogunt*. Sex Epiſcopi, cum Perpetuo Turonenſi Præſide huic concilio adſuere, cui ordinatio Venetici Epiſcopi occaſionem dedit, ut ipſi in ſynodica epiſtola teſtantur: *Quoniam nos in Venetica eccleſia cauſa ordinandi Epiſcopi congregavit, rećtum eſſe credidimus, de regula eccleſiaſtica ...... habita conſultatione, ut quæ in prioribus Patrum ſtatutis videmus omiſſa, & procedente tempore licentia ex nimia prolabentis ſeculi libertate præſumpta, ſtatutis ſaluberrimis ſanciremus*. Canones ea de cauſa ſexdecim vulgarunt, quorum hæc ſumma eſt. 1. Homicidæ & falſi teſtes communione eccleſiaſtica ſubmoventur, niſi pænitentia crimen diluerint. 2. Qui relićtis uxoribus ſuis, ſine adulterii probatione alias duxerint, communione arceantur. 3. Qui de-

Cæſar de bello Gall. lib. 3. 2.

Concil. to. 4. pag. 1054.

relicta, quam ſuſceperant, pœnitentia, vitæ ſe ſæculari reddiderint, & a conviviis Chriſtianorum arceantur. 4. Virgines profeſſæ, & quæ benedictionem per manus impoſitionem fuerant conſecutæ, in adulterio deprehenſæ, cum adulteris communione arceantur. 5. Clerici ſine commendatitiis Epiſtolis non vagentur, ſecus a communione habeantur alieni. 6. Monachi ſine commendatitiis litteris non vagentur, quos ſi verborum increpatio non emendaverit, verberibus coerceantur. 7. Monachi ſine licentia Abbatis ſolitarias cellas non petant. 8. Unus Abbas plura monaſteria non habeat. 9. Clerici, niſi permittentibus Epiſcopis, ſecularia judicia non adeant. 10. Epiſcopi alienos Clericos non promoveant. 11. Clerici, quibus ducendi uxorem licentia non eſt, nuptiarum convivia vitent. 12. Clerici cum Judæis in convivio non adſint, nec eos ad convivium admittant. 13. Clerici ebrietatem fugiant. 14. Clericus, qui a matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ægritudinis defuerit, ſeptem diebus a communione alienus habeatur. 15. ritus in ſacris peragendis, pſalmiſque canendis obſervetur intra Provinciam. 16. Clericus, qui forte detectus fuerit, vel conſulere, vel docere ab eccleſia habeatur extraneus. Jesu Chr. an. 463.

JESU CHRISTI an. 464. Hilari Papæ 4.
Leonis Imp. 8. Severi Imp. 4.
Coss. Rustico, et Fl. Anicio Olybrio.

1. Conſules hujus anni Ruſticum, & Olybrium utroſque in Oriente a Leone Auguſto creatos fuiſſe, ait Pagius; & ſane de Ruſtico narrat Zonaras: *Legionibus ejus Præfectus fuit Ruſticus, vir ſtrenuus, & rei militaris peritiſſimus, in cujus mortui locum ſuffecit Verinæ uxoris fratrem Baſiliſcum*; eademque adnotat Suidas in lexico. Olybrius vero ex nobiliſſima Aniciorum gente natus, ante annos aliquot CPolim profectus, urbis direptionem, tamquam Lot e Sodomis ereptus, evaſerat; cui cum Placidia Valentiniani Imp. filia deſponſata eſſet, eamque una cum Eudoxia ſorore Genſericus in Africam captivam duxiſſet, uti anno 455. diximus, cum liberam triennio poſt dimiſiſſet, uxorem Olybrius duxit, ait Priſcus. Eudoxiam vero ſororem Hunnerico filio ſuo Genſericus matrimonio copulavit, quem etiam ad breve tempus

De Ruſtico & Olybrio conſulibus.

Hiſt. Bizant. pag. 74.

pus

Jesu Chr. an. 464. pus Occidentale Imperium obtinuiſſe, anno 472. videbimus:

Ægidii Comitis geſta, & obitus.

2. Diviſis interea Occidentalis Imperii provinciis inter Vandalos, Gothos, Svevos, Alanos, aliaſque barbaras gentes, non ſolum Africa Vandalorum jugo oppreſſa, ſed Hiſpaniæ, Galliæ, ac Italia cladibus undique afflictabantur, & ut Hiſpaniæ clades prætereamus, ex mutuis Svevorum Principibus ortas, quarum Idacius coævus, & ocularis teſtis, utpote hoc tempore *Leonicæ*, ſive Lugo ut vulgo dicitur, in Gallœcia Epiſcopus, in chronico meminit; Galliæ etiam hoc anno, ob Ægidii obitum, novis gravioribus calamitatibus attritæ ſunt: *Ægidius moritur*, ait Idacius, *alii dicunt inſidiis, alii veneno deceptus. Quo deſiſtente mox Gothi regiones invadunt, quas Romano nomine tuebatur*, vir ſane meliori fortuna dignus, cujus virtutes, pietatemque non ſolum Idacius, ſed Paulinus in vita S. Martini Turonenſis Epiſcopi, & Aimoinus lib. 1. cap. 7. multis laudibus celebrarunt, de quo plura etiam commemorat Pagius, ubi bellum cum Childerico geſtum narrat, nota 4. 5. 6. 7. 8. ad hunc annum.

Alani a Richimere delentur.

3. Hoc etiam anno Alanorum in Gallia Principatus, inter Rhodanum & Ligerim ſitus, finem accepit. Nam alpibus tranſgreſſis, cum novas in Italia ſedes, ſub Duce Beorgore quærerent, ſepulchrum in ea invenerunt. Alanicam cladem ſummatim refert Caſſiodorus in chronico, his verbis: *Ruſtico & Olybrio Coſſ. Rex Alanorum Beorgor apud Bergomum a Patricio Richimere peremptus eſt*. Chronographus etiam a Cuſpiniano editus, *Bergomi ad pedes montis octavo idus Febr.* Alanorum ducem occiſum fuiſſe commemorat; ſed fuſius Richimeris victoriam narrat Jornandes, in eo tamen erravit, dum hæc ſub Anthemio Imperatore contigiſſe ait. Anthemius *Richimerem generum ſuum contra Alanos direxit, & Regem eorum Beorgum in primo ſtatim certamine ſuperatum, internecione proſtravit*. Sed de his hactenus.

Jornand. de reb. Geth. cap. 45.

Lupi Tricaſſini epiſtola ad Talaſium Andegavenſem Epiſc.

Concil. to. 4. pag. 1048.

4. Inter eccleſiaſtica monumenta a Jacobo Sirmondo conciliis addita, Lupi Tricaſſini, & Euphronii Auguſtodunenſis epiſtola recenſetur, ad Talaſium Andegavenſem data; cujus cum incerta ſit epocha, ad hæc tempora, cum Talaſius Andegavenſem regebat eccleſiam, quique anno 461. Turonico concilio ſubſcriptus legitur, alligari commode poteſt, in qua quæſtionibus a Talaſſio ſibi, & Euphronio propriam

Digitized by Google

poſitis, ſuo & Euphronii nomine Lupus reſpondens, hæc adnotat, cur diverſo ritu Nativitatis Domini, & Paſchæ vigiliæ celebrarentur: *Quia hic*, inquit, *Nativitatis lectiones legendæ ſunt, illic autem Paſſionis. Epiphaniæ quoque ſolemnitas habet ſuum ſpecialem cultum. Quæ vigiliæ vel maxime aut perpete nocte, aut certe in matutinum vergendæ curandæ ſunt; Paſchalis autem vigilia a veſpere raro in matutinum uſque perducitur. Deinde in vigilia Paſchæ diverſorum librorum lectiones ſunt recenſendæ, quæ totæ habeant aliquid de præfiguratione, aut vaticinio Paſſionis. Antedicta autem vigilia, prout viſum fuerit, inter pſallendum & legendum, ſive de Prophetis, ſive de novo Teſtamento, quod quiſque voluerit, non legali, ſed voluntaria lectione præſumet*. Quæſtio altera de Clericorum nuptiis fuit, ac bigamos uſque ad Oſtiarii officium tolerandos eſſe docet; Exorciſtas vero, aut Subdiaconos a ſecundis nuptiis penitus excludit: *Generationem vero filiorum ab his, quos conjugatos aſſumimus, melius eſſet, ſi fieri poſſit, arceri*. Altera exſtat Lupi ad Sidonium Apollinarem epiſtola apud Dacherii ſpicilegium tomo quinto.

Jesu Chr. an. 464.

De Lupi Tricaſſini Epiſc. vita & geſtis.

5. Hic porro Lupus non minus genere, quam pietate, & doctrina illuſtris fuit; Tulli etenim ſplendida familia natus, patrem *Epirochium* habuit, fratrem Vincentium Lirinenſem, ob Commonitorium adverſus omnium hæreticorum novitaies, celeberrimum. Hilari Arelatenſis ſororem nomine Pimeniolam uxorem duxerat Lupus, cum qua jugali fœdere annos ſeptem vixit; deinde continentiæ amore ductus virginitatem, conſentiente uxore, amplexus, ad Lirinenſe monaſterium tranſiit. Hinc Eucherius ad Hilarium in epiſtola de laude eremi ſcribebat: *Lerina habuit reverendi nominis Lupum, qui illam nobis ex tribu Benjamin Lupum retulit*. Cumque per annum Lerinam incoluiſſet Lupus, inde abductus, Trecenſis Epiſcopus eſt ordinatus, anno 427. aut 428. utrumque enim a Baronio; & Pagio traditur. At de uno aut altero anno, quo Trecenſem eccleſiam regendam Lupus ſuſcepit, vix ſolliciti ſumus; id potius adnotare juvabit, longiſſimo tempore, ac ultra annos quinquaginta, eam Sedem tenuiſſe, ut diſertis verbis Sidonius teſtatur; quem novem quinquennia Epiſcopum jam excurriſſe ait: *Cum poſt deſudatas militiæ Lirinenſis excubias, & in Apoſtolica ſede novem jam decurſa quinquennia ec*. In altera vero epiſtola, quinquennia de-

Eucherii epiſt. cap. 42.

Bar. an. 472. n. 15. Pag. ibid.

Sidon lib. 6. epiſt. 1. & lib. 9. 11.

JESU CHR. AN. 464.

decem eum in Epiſcopatu expleviſſe, commemorat: *Cum ſatis tibi, & quidem merito, (quid enim ſimile) in omnibus cedam, quippe qui in alio genere virtutum, jam per quinquennia decem non æqueris Sacerdotibus tantum, verum & antiquis quoties collatus, antelatuſque ſis*. Duobusvero in epiſcopatu exactis annis, Germano Antiſſiodorenſi in celebri legatione Britannica ad Pelagianos refutandos comes fuit; ex qua redux, & de errore triumphans, ſuam ſanctiſſime rexit eccleſiam. Anno 451. Attilæ Galliarum vaſtatori obviam factus, barbari Regis animum pietate ſua, ac dicendi libertate ita lenivit, ut Trecenſem urbem liberam tranſierit, uti ſuo loco adnotatum eſt. Quantæ in Galliis præcipue æſtimationis eſſet Lupus, Sidonii epiſtolæ indicant; & ut quæ in epiſtola prima libri ſexti habet, prætereamus, adnotare ſufficiet, quod ut Anianum Aurelianenſem Epiſcopum ſummis laudibus commendaret, *Lupo parem, Germanoque non imparem dixit*. Quinquaginta annos in Epiſcopatu tranſegerat Lupus, cum ad eum Sidonius epiſtolam undecimam libri noni ſcripſit, anno 478. ac biennio poſt obiit; unde Adonis Martyrologium ad diem 19. Julii. *Eodem die depoſitio Sancti Lupi de Trecas; qui cum Germano venit Britanniam, & quinquaginta duobus annis Sacerdotio functus eſt*; uſque ad annum ſcilicet 480. Patrata a Lupo miracula recitat Gregorius Turonenſis in libro de gloria Confeſſorum cap. 67. quæ ibidem videri poſſunt; cujus memoria quarto Kal. Auguſti Martyrologio Rom. recolitur.

Simeonis Stylitæ obitus.

Theodor. hiſt. relig. tom. 3. cap. 26. pag. 876.

6. De Orientalibus geſtis aliquid adnotaturis, Simeonis Stylitæ obitus ſe offert; quem magnum Orbis miraculum fuiſſe ait Theodoretus, non ſolum iis, qui Romano parebant Imperio; ſed *norunt* etiam *Perſæ, & Medi, & Ætiopes, quin & ad Schythas quoque Nomadas pervadens fama hujus immenſos labores, & Philoſophiam edocuit*, cujus vitæ compendium narraturus vix fidem apud poſteros inventurum, ac tamquam fabulatorem habiturum ſe pertimeſcere ajebat Theodoretus, cum tam mira & inuſitata ſcriberet; etſi *certaminum ejus*, ait, *teſtes habeam homines prope dicam univerſos*. Labenti autem anno magnus hic vir vivere deſiit: *Ruſtico & Olybrio Coſſ.* ait Chronicon Alex. *migravit e vita S. Simeon Stylitha, cum eſſet Ardaburius Comes Orientis, Filius Aſparis Præfecti militiæ. Clamantibuſque & petentibus Antioche-*

chenis corpus illius Juſti , miſit Ardaburius Gothicum præſidium , & ſacrum pignus detulit magnam Antiochiam , & conditum eſt illi magnificum templum . Stylithæ obitum cum anno 460. alligavit Baronius , Cedreni auctoritate innixus , qui anno Leonis Imp. quarto eum obiiſſe ſcripſerat ; at Alexandrini chronici , poſt Baronii mortem in lucem editi , auctoritas , ac conſularis nota certiorem de Simeonis obitu epocham nos docuit . Alia etiam in Baronio corrigenda in Simeonis vita adnotat Garnerius in auctuario operum Theodoreti diſſert. 2. cap. 5. de anno ſcilicet , quo Meletius Antiochenus Epiſcopus , vel Corepiſcopus Simeonem adiit , ſicuti & de tempore , quo in columna perſeveravit per annos 80. circiter ; nobis tamen ſat erit adnotare annos circiter 60. in ea permanſiſſe . Tres Simeonis vitas ad diem quintam Januarii exhibet Bollandus , qua Simeonis memoria Martyrologio Romano , aliiſque Latinorum recolitur ; a Græcis autem die prima Septembris , ut apud eumdem Bollandnm videre eſt .

JESU CHR. AN. 464.

Bar. an.460. 17.

7. Quam vivens ſanctitatis famam ſibi comparaverat Simeon Stylithes , majorem adhuc poſt obitum promeruit , ut ejuſdem acta teſtantur . Et ſane Evagrius poſtquam nonnulla de ejuſdem vita adnotavit , quem etiam in terris Angelum , & in carne cæleſtis Hieruſalem civem fuiſſe ait , cujus corpus Antiochiam , non multo poſt obitum , ſub Leone Auguſto , & Martyrio Antiochenam eccleſiam adminiſtrante , translatum fuiſſe adnotat , ac ab Ardaburio Orientalis militiæ magiſtro cum militari manu a Mandra , ubi obierat , elatum , *ne a finitimis civitatibus abriperetur* . Antiochenſes etenim miſſo ad Imperatorem libello , ut tantum pignus ad urbis ſuæ tutelam concederetur , enixe rogaverant : *Quoniam noſtra civitas* , ajebant , *muros non habet , corruerunt enim ob indignationem divini Numinis , ſanctiſſimum corpus huc importavimus , ut nobis pro muro munimentoque eſſet* . Ejus itaque corpus , *non ſine ingentibus miraculis , quæ per totum iter facta ſunt , delatum eſt Antiochiam* . Complures Simeonis Reliquias ad ſua uſque tempora Antiochiæ ſervatas fuiſſe , ac a ſeipſo viſas narrat Evagrius : *Et ſanctiſſimum ejus caput ipſe præſentibus multis Sacerdotibus vidi , celeberrimo Gregorio Epiſcopatum Antiochenæ Urbis gubernante : cum Philippicus ad cuſtodiam ac præſidium Orientalis militiæ , pretioſas Sanctorum Reliquias ad ſe mitti poſtulaviſſet . Et quod mirandum eſt ,*

Simeonis Stylithæ reliquiæ Antiochiam translatæ . *Evagr. hiſt. lib. 1. c. 13. & 14.*

Evagr. ut ſup.

Jesu Chr. an. 464. *eſt, capilli capitis nequaquam diffluxerunt: ſed perinde ac ſi ille adhuc viveret, atque inter homines verſaretur, integri manent. Cutis item in fronte rugoſa quidem eſt, atque obdurata; manet tamen adhuc incolumis: ſicut & dentium plerique, exceptis his, quos pii quidam, ac fideles viri per vim abſtulerunt. Qui quidem dentes magnitudine ſua abunde teſtantur, qualis, quantuſque fuerit vir Dei Symeones. Adjacet capiti catena ferrea, quam ille collo geſtaverat, cui utpote laborum ſociæ glorioſum corpus honores ipſi a Deo conceſſos communicavit. Nam ne mortuum quidem Symeonem carum illud ferrum deſeruit*. Capite vero ſequenti miraculum aliud, cujus ipſe teſtis oculatus fuit, narrat. In montis vertice, ubi habitaverat Simeon, templum, quod Simeonis dicebatur, extructum fuerat, Antiochia diſtabat ſtadiis circiter tercentis; templi fabrica Crucis formam referebat, ex quatuor lateribus porticibus ornata; in medio atrii ſtabat columna 40. pedum, quam Simeon incoluerat. Ad eam viri libere ingreſſi, frequenter circumeunt, mulieres autem e Templo arcentur, ac in limine conſiſtentes miraculum adſpectant. Diebus vero, quibus Simeonis memoria recolebatur: *Vidi*, ait Evagrius, *in feneſtra ſtellam immenſæ magnitudinis per totam feneſtram diſcurrentem atque radiantem, neque id ſemel aut iterum, ac tertio, ſed ſæpius eamdemque crebro evaneſcentem, atque iterum ſubito apparentem*. Aliud ibidem portentum fieri addit: *Ipſam illius perſonam* (ideſt Simeonis) *vidiſſe quamplurimos, huc atque illuc volitantem prolixa barba, & capite tbiara obvoluto, ſicuti conſueverat*. Miram quidem Simeonis Stylithæ vitam ſe admirari ingenue fatetur Baſnagius. Quid

Baſnag. an. 464. n. 6. tamen *ad pietatem afferrent emolumenti, & columna pro Domicilio, & graviſſimi ponderis catena pedum alteri ſubnixa, & immoderati jejunii affectatio, aliaque ejuſmodi bene multa, prorſus neſcimus*, addit; cum hæc nec imperata, aut obſervata a Chriſto, vel Apoſtolis fuerint. Nos vero Chriſti exemplo Phariſæos interrogantis, Baſnagium, ſuique ſimium, Moſhœmium præcipue monaſticæ vitæ in Antonio, Paulo, Pachomio obtrectatores interrogamus, utrum rigidiſſima vivendi ratio a Joanne Baptiſta ſervata, quo nemo inter natos mulierum major fuit, a Deo eſſet, an ab hominibus. Quod ſi a Deo eam fuiſſe dixerint, cur negabunt Joannis Baptiſtæ exemplo, rigidiorem etiam Simeonis vivendi formam

a Deo

Digitized by Google

a Deo fuiſſe, quam Deus ipſe frequentioribus miraculis per ſervum ſuum Simeonem patratis teſtatam, confirmatamque voluit. At his cum Phariſæorum turba dimiſſis, adnotare juvabit Simeonem Stylitham epiſtolis etiam aliquot famam ſuam poſteritati commendaſſe, quarum prima Theodoſium Auguſtum admonet, ne Antiochenſes ad ſynagogam Judæorum reſtaurandam cogeret, uti juſſerat, eumque mandata revocare coegit; ad Eudoxiam Auguſtam altera inſcripta eſt, qua eam ab Eutychianorum hæreſi revocavit. Alteram Leoni Auguſto dedit de Chalcedonenſis ſynodi auctoritate ſervanda tuendaque, uti ſupra ſuo loco adnotavimus, ejuſdemque argumenti eſt epiſtola Baſilio Antiocheno Epiſcopo inſcripta.

JESU CHR. AN. 464.

Biblioth. PP tom. 7.

8. Cum in Cœlum raptus eſt Elias, ſpiritus ſui hæredem reliquit Eliſæum, ita Simeon Stylithes Danielem vitæ ſuæ imitatorem, ac columnæ habitatorem, qui accepto a Sergio, dum adhuc Simeon viveret, ejuſdem pallio, Simeonis vitam, miraculorumque gratiam æmulatus eſt, atque hoc eodem anno, quo Simeon obiit, Columnam ad oſtia Ponti constructam aſcendit. At etſi hoc anno columnam aſcenderit Daniel, ac tam miram vivendi rationem inierit, haud tamen in monaſtica profeſſione tyro erat, qui eam ab anno duodecimo ætatis ſuæ auſpicatus, jam veteranus dici poterat, ita ut Monachorum etiam Præfectus electus fuerit, recuſata autem monachorum præfectura, dum in noviſſimo, & humili loco recumberet, dictum eſt ei: *Amice aſcende ſuperius*, ac columnæ incola factus eſt. Quam cum vix aſcendiſſet, ad eum Leo Auguſtus, & Gennadius CP. Epiſcopus tamquam Orbis miraculum ſpectaturi, venerunt, quibus urbis imminens incendium, ut anno ſequenti videbimus, prædixit, ac ut jejuniis & orationibus Dei iram averterent, admonuit. Tunc vero Gennadius diu multumque reluctantem Danielem Presbyterum ordinavit, ut pluribus auctor vitæ Danielis enarrat. Imperator vero columnam aſcendens, humi proſtratus ſancti viri crura tetigit, quos non ſine admiratione, tumentes, vermibuſque ſcatentes vidit. Hujuſcemodi officiis, ac Danielis admonitione, potuiſſet quidem Imperator divinum placare numen, & venturam cladem antevertere, niſi peccatis id exigentibus, populus illam e Dei manibus extorſiſſet inviti; & quod jam completa erat iniqui-

Daniel columnam aſcendit.

Surius ad diem 11. Decemb.

JESU CHR. AN. 465. tas Sodomorum non intercedit Abraham: obliviſcitur, inquam, Gennadius, quod monuerat Daniel, publicas indicere preces, & jejunia biduana per hebdomadas ſingulas imperare. Sicque namque Deus ultionem immiſſurus in peccatores venia indignos, illud præmittere ſolet, quod loquitur per Iſaiam: *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis: claudet oculos veſtros: Prophetas, & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet*. Etenim tum Gennadius, tum Imperator, quæ audierant de clade incendii a viro ſanctiſſimo, omnino ea oblivioni mandarunt.

Iſai. 29.

JESU CHRISTI AN. 465. HILARI PAPÆ 5.
LEONIS IMP. 9. SEVVRI IMP. 4.
COSS. FL. BASILISCO ET HERMENERICO

Incendium urbis CPolitanæ.

1. Quam urbi Reginæ prædixerat S. Daniel Stylitha inſtare cladem, vix paucis elapſis menſibus contigit; his quippe conſulibus *CPolis magno invaſa incendio facile fœdata deplangitur*, ait Marcellinus ad hunc annum; diem etiam, qua incendium excitatum eſt, adnotavit auctor chronici Alex. ſub conſulibus hujus anni: *Poſt dies triginta*, inquit, *ex vindicta Numinis*, ob ſeditioſam ſcilicet in Menæ Præfecti vigilum cædem, poſt dies igitur triginta, *conflagrarunt in urbe octo regiones menſe Gorpico II: Septemb: die mercurii, indict. 3. cum celebraretur memoria Sancti Mamantis*. Mali Dæmonis opera incendium excitatum fuiſſe, narrat Evagrius, qui mulierculam quamdam, ut in foro rerum venalium lucernam accenſam relinqueret, incitavit, unde momento temporis, non ſolum ejus domus, ſed adjunctæ quoque conflagrarunt, & uſque ad quartum diem perſeveravit, nec umquam flamma extingui potuit: *Totum igitur civitatis meditullium*, ſubdit Evagrius, *a Septentrionali latere ad meridianam partem, longitudine quidem ſtadiorum quinque, quatuordecim vero latitudine ita conſumptum eſt, ut tam ex publicis, quam ex privatis ædibus nihil omino remanſerit*. His plura addi poſſent tum ex actis S. Danielis Stylithæ, cum ex vita S. Marciani Presbyteri Conſtantinopolitani; cum etenim ignis extinguendi nulla fere ſupereſſet ſpes, tunc hæc a Daniele prædicta fuiſſe Gennadius urbis regiæ Epiſcopus, aliique recordati ſunt; quare ad eum turmatim concurrentes, calamitatem ſuam de-

Chron. Alex. ſive Paſchale pag. 322.

Evagr. lib. 2. 13.

deplorabant, ſuorum ſcilicet, vel facultatum amiſſionem; quibus ſanctus vir etſi profuſis lacrymis compateretur; incredulitatem tamen, & oblivionem iis exprobravit; eo quod Ninivitis obſtinatiores, malum pœnitendo vitare non curaverint; ac facta oratione, ſeptima die incendium omnino ceſſaturum fore prædixit, quod ultra quartum diem, non pervagaſſe adnotavit Evagrius; ſeptimo tamen omnino ignis evanuit. De Marciano vero presbytero narrat auctor vitæ ejus, quod cum ignis Amantii, ſeu Anaſtaſiæ Templum invaſiſſet, Marcianus, ne eccleſia, cui ipſe inſerviebat, periret, fide armatus, ſumptis ſecum Evangelii codicibus, ſupra tectum eccleſiæ aſcendit, ac cum lacrymis orans, ignem ab ea recedere coegit; ejuſque miraculi Theodorus lector lib. 2. his verbis meminit. *His temporibus magnum extitit incendium die 2. ſeptembris, quod a Neurio exorſum uſque ad eccleſiam ſancti Thomæ Apoſtoli, quæ Amantii dicitur, pervenit. Marcianus vero Oeconomus, cum in tectum S. Anaſtaſiæ conſcendiſſet, evangeliorum codicem manu geſtans, precibus & lacrymis ædem illam ſervavit.* Cumque eouſque deformata, deſtructaque remanſiſſet CPolis, ut ex magna parte conſtruenda iterum eſſet, Zeno Auguſtus, Leonis Imperatoris ſucceſſor, ne impoſterum id accideret, edita conſtitutione ſtatuit, ut duodecim pedes vacui relinquerentur, *ab eo, qui ædificaturus eſt, inter propriam, & vicini domum.*

Bolland. Sur. die 10. Ianuarii.

Cod. Juſtin. lib. 8. tit. 10. leg. 12.

Severi Imp. obitus.

2. Hoc etiam anno Severus Auguſtus, cujus geſta obſcura aut fuerunt, vel remanſerunt, Richimeris perfidia vivere deſiit: *Romæ in palatio veneno peremptus*, ait Caſſiodorus in chronico ad hunc annum. Chronographus vero a Cuſpiniano editus, ſub conſulibus hujus anni ſcribit: *Defunctus eſt Severus Imperator Romæ XVIII. Kal. Septembris*, cujus regnum annorum trium, menſium octo, cum diebus 28. fuit: poſt cujus obitum, occidentis vacavit Imperium uſque ad diem 12. Kal. Aprilis anni 467. quo Anthemius Occidentis Imperator electus eſt.

Vandali Siciliam, & Italiam incurſant.

3. Dum Imperii umbram retineret Severus, ac poſt ejuſdem obitum, cum interregnum eſſet, Genſericus Vandalorum Rex, inſigniſque Pirata, Siciliæ Italiæque littora incurſionibus ſæpe ſæpius afflixit, de geſtis hoc anno, hæc Idacius in faſtis adnotat: *Vandali per Marcellinum in Sicilia cæſi effugantur ex ea*; at etſi aliquando repulſi, nihilomi-

Jesu Chr. An. 465. minus frequenti anno redibant; unde de Genſerici incurſionibus, præter ea, quæ ſuperius ex Procopio narravimus, hæc ex Priſco Rhetore adnotanda veniunt: *Ab Orientalibus partem bonorum Valentiniani obtinuerat Honoria Nomine, quæ Honoricho ejus filio nupſerat, atque hanc belli renovandi occaſionem ſingulis annis uſurpabat. Itaque ſimul atque ver appetiit, infeſto exercitu Siciliam, & Italias invaſit, & Urbes quidem Italorum præſidiis firmatas non facile oppugnavit, ſed oppida militibus, qui reſiſterent, deſtituta circumveniens evertit, & diripuit. Nec enim ad omnia quæ Vandalorum invaſioni patebant, tuenda ſufficere poterant, propterea quod hoſtium multitudine opprimebantur. Denique copiis navalibus carebant, quas cum a Romanis Orientalibus petiiſſent, non impetrarunt, quia fœdus cum Genſerico fecerant. Ea res, diviſa ſcilicet Imperii adminiſtrandi ratio, magno detrimento Romanorum Occidentalium fuit.* Quod etiam in panegyrico Anthemio Imperatori dicto adnotavit Sidonius his verſibus.

Hinc Vandalus hoſtis
Urget, & in noſtrum numeroſa claſſe quotannis
Militat excidium, converſoque ordine fati,
Torrida Caucaſeos infert mihi Byrſa furores.
Præterea invictus Ricimer, quem publica fata
Reſpiciunt, proprio ſolus vix Marte repellit
Piratam per rura vagum &c.

Hilarus Papa Romæ ſynodum celebrat. 4. Hoc anno, cum ad diem Natalis Hilari Papæ Epiſcoporum plurimi Romam conveniſſent, S. Pontifex ſynodum celebravit, qua decreta quædam ad eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurationem vulgavit, & conſultationibus a Tarraconenſis provinciæ Epiſcopis reſcripſit, ut ejuſdem epiſtolæ & concilii acta teſtantur. Integra quidem ſynodi acta exhibent conciliorum collectiones; emendatiora nihilominus ex Caſſinenſi Codice vulgavit Chriſtianus Lupus, in ſua conciliorum ſylloge, ac in Epiſcoporum numero, & ſedibus nonnihil inter ſe utraque diſſident. Labbeana etenim Epiſcopos 47. cum Hilaro Papa conveniſſe indicant, quorum nomina in ſubſcriptionibus leguntur; in Lupi collectione 44. tantum ſubſcripti leguntur; ac Probi nomen reticet, qui tamen in ſynodo ſententiam dixit, deſiderantur quoque nomina

Labb. tom. 4. pag.

Chriſt. Lupi opera tom. 7. pag. 386. edit. Venetæ.

JESU CHR. AN. 465.

mina Palladii Sulpinatis Epiſcopi, Romani Albanenſis, & Servidei Nomentani. Dies & annus ſynodi, quin & locus his verbis notatus eſt: *Flavio Baſiliſco & Hermenerico V. C. ſub die 16. Kal. Decemb., reſidente viro venerabili Papa Hilaro in Baſilica Sanctæ Mariæ*. Recurrente autem die anniverſaria ordinationis ſuæ, hanc ſynodum celebraſſe, in epiſtola ſua ad Aſcanium, & Epiſcopos Tarraconenſis Eccleſiæ teſtatur Hilarus, dum ait: *Lectis ergo in conventu Patrum, quos Natalis mei feſtivitas congregarat litteris, veſtris ec.*

Synodi Rom. geſta.

5. Cum itaque ſynodo præeſſet Hilarus, Epiſcopos primum admonendos cenſuit, ſui muneris eſſe, divinæ legis præcepta, ac Nicænos canones ſervare: *Siquidem reatu majori delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum*; quare: *Cavendum in primis eſt, ne ad ſacratos gradus, quod geſtis prioribus ante præſcriptum eſt, quiſque, qui uxorem non virginem duxit, aſpiret. Repellendi etiam quique in ſecundæ uxoris nuptias contra Apoſtolica præcepta convenerint. Inſcii litterarum, necnon & aliqua membrorum damna perpeſſi, & hi, qui ex pœnitentibus ſunt, ad ſacros ordines aſpirare non audeant. Quiſquis talium conſecrator extiterit, factum ſuum ipſe diſſolvet*. Ab univerſis epiſcopis, & presbyteris acclamatum eſt: *Exaudi Chriſte, Hilaro vita, dictum ſexies; hæc confirmamus, hæc docemus, dictum octies; hæc tenenda ſunt, hæc ſervanda ſunt, dictum quinquies; doctrinæ veſtræ gratias agimus, dictum decies, &c.* Facto ſilentio, diſciplinam Eccleſiaſticam in Hiſpaniarum eccleſiis turbatam fuiſſe Hilarus admonuit, ac Paulo notario juſſit, ut Hiſpanorum Epiſcoporum litteras legeret, quarum titulus erat: *Beatiſſimo & Apoſtolica reverentia a nobis in Chriſto colendo Papæ Hilaro Aſcanius, & univerſi Epiſcopi Tarraconenſis Provinciæ*. Scopus ſcribentium erat, ut Irenæus Nundinario demortuo ſubſtitueretur, quem vivens Nundinarius ſibi ſucceſſorem dixerat, aut ſaltem exoptaverat: *Ergo*, inquiunt, *ſuppliciter deprecamur Apoſtolatum veſtrum, ut humilitatis noſtræ Decretum, quod juſte a nobis videtur factum, veſtra auctoritate firmetis ec.* Ex quibus nobiliſſimum habes, lector, eccleſiarum Hiſpaniæ erga Apoſtolicam ſedem teſtimonium, dum quæ contra canones præſumpta fuerant, cum Nundinarius Barcinonenſis Epiſcopus moriens, Irenæum, ſeu Hirinæum ſucceſſorem ſibi elegerat,

JESU CHR. AN. 465.

nonniſi interveniente ſedis Apoſtolicæ auctoritate, firmitatem habere poſſe teſtantur, ut exitus etiam declaravit: nam tota cum Hilaro Papa ſynodus, contra canones, in Irenæi electione, & ordinatione geſta, irritanda eſſe cenſuit, ut ex dicendis infra conſtabit.

De Silvani Calageritani Epiſc. cauſa.

6. De Silvani autem Calageritano Epiſcopo in epiſtola ad Hilarum ſubdunt Tarraconenſis provinciæ Epiſcopi, ſe Apoſtolicam ſedem alias jam conſuluiſſe, *& miramur quod nulla Apoſtolatus veſtri reſponſa ſuſcepimus*. Nunc eadem repetentes, quid in ea cauſa ſibi agendum ſit, ab Apoſtolica ſede edoceri poſtulant. Adverſus Silvanum autem has accuſationes proferunt: *Silvanus quidam Epiſcopus Calagoræ in ultima parte noſtræ Provinciæ conſtitutus divinationes ſibi indebitas uſurpando, humilitatem noſtram ad hoc uſque perduxit, ut contra ejus vanam ſuperſtitionem Sedis veſtræ unicum remedium flagitemus. Hic namque jam ante ſeptem aut octo amplius annos, poſtponens Patrum regulas, & veſtra Inſtituta deſpiciens, nullis petentibus populis Epiſcopum ordinavit. Cujus præpoſterum factum exiſtimantes, fraterna pacifica poſſe admonitione ſanari, profecit in pejus. Denique dum contra vetuſtatem canonum, contra Synodi conſtituta, alterius Fratris noſtri Presbyterum, ſpiritu tantum præſumptionis accenſus, in eodem loco, qui illi fuerat deſtinatus, cui invito & repugnanti impoſuerat manus, & qui noſtro jam cœtui fuerat aggregatus, Epiſcopum fecit. Hinc factum eſt, ut de ejus miſerrima temeritate, ad nos Cæſarauguſtanæ urbis Epiſcopus, Frater noſter, univerſa referret, cujus diligentia & ſollicitudo admodum proſpexerat, ſi in aliquo profuiſſet. Siquidem cunctis in vicinia Epiſcopis, ne ſe ſchiſmatico adjungerent, frequentiſſime contradixit. Sed obſtinatione damnabili totum, quod erat illicitum, & quod nobis eſt pudor dicere, non erubuit ſolus ille committere. Proinde quia his præſumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ ſchiſma faciunt, velociter debet occurri, quæſumus Sedem veſtram, ut quod ſuper hac parte obſervare velitis, Apoſtolicis adſatibus inſtruamur*. Finita lectione ab univerſa ſynodo conclamatum eſt: *Ut hæc emendentur, rogamus, dictum eſt ſexies, ut reſcindantur, ut diſciplina ſervetur, ut canones cuſtodiantur, dictum eſt ſepties, & octies*; deinde: *Exaudi Chriſte, Hilaro vita dictum eſt quinquies. Dignus Papa, dignus Doctor, dictum eſt octies*.

Lupus ut ſup. pag. 388.

7. Ut

7. Ut autem hæc juxta Rom. ſynodi ſententiam emendarentur, tertio Kal. Januarii, ad Aſcanium, ceteroſque Tarraconenſis provinciæ epiſcopos Hilarus litteras dedit, quibus juxta Beati Apoſtoli præcepta, & Nicænorum canonum conſtituta, nullam fieri ordinationem jubet, ſine Aſcanii Metropolitani conſenſu; & ne de una in alteram eccleſiam quis tranſire præſumeret contra canonum auctoritatem, quos ab Irenæo, ſeu Hirinæo violatos fuiſſe commemorat; quare poſt aliqua: *Lectis in conventu fratrum, quos Natalis mei feſtivitas congregarat, litteris veſtris, quæ de ordinandis Epiſcopis ſecundum ſtatuta canonum, vel Prædeceſſorum meorum decreta ſunt, perlecta ſententia, geſtorum, quæ pariter direximus, tenore diſcetis. Unde remoto ab Eccleſia Barcinonenſi, atque ad ſua remiſſo Hirinæo, ſedatis per Sacerdotalem modeſtiam voluntatibus, quæ per ignorantiam Eccleſiaſticarum legum deſiderant quod non licet obtinere, talis protinus de Clero proprio Barcinonenſi Epiſcopus ordinetur, qualem te præcipue, Frater Aſcani, oporteat eligere, & deceat conſecrare. Ne ſi ſimiliter forte factum fuerit, non ſine objurgatione tui maxime nominis retundat noſtra præceptio, quod in injuriam Dei, aquo ſpecialiter Sacerdotalium eſt gratia dignitatum, didicerimus admiſſum. Nec Epiſcopi honor hæreditarium jus putetur, quod nobis ſola Dei noſtri Chriſti benignitate confertur*. Ordinatos nihilominus hactenus Epiſcopos ſine Metropolitani conſenſu, ita recipiendos eſſe ex benignitate ſtatuit, ſi tamen bigami non fuerint; & ne duo in una eccleſia Sacerdotes ſint, neque etiam illiterati, aut membrorum mutilatione deformes, aut ex pœnitentium numero. De Hirinæo autem Epiſcopo ſtatuit ut ſi ad eccleſiam ſuam, depoſito improbitatis ambitu, redire neglexerit; *Quod ei non judicio, ſed humanitate præſtabitur, removendum ſe ab Epiſcopali conſortio eſſe cognoſcat*. Trajano autem Rom. eccleſiæ Subdiacono hanc epiſtolam, cum geſtis ſynodi deferendam Hilarus dedit; atque ita deturpata in Hiſpaniarum eccleſiis eccleſiaſtica diſciplina, Apoſtolicæ ſedis vigilantia, ac vigore, aliquatenus refloreſcere cœpit, hac una fere ſententia. *Ut ſervetur antiquitas*.

Jesu Chr. an. 465. Hilari Papæ epiſt. ad Aſcanium & Epiſc. provinciæ Tarrac.

8. Quod vero inter tot Romanæ ſynodi Epiſcopos, primus poſt Romanum Pontificem, ſubſcripſerit Maximus Taurinenſis Epiſcopus, ſedis dignitati nullatenus id tribuendum,

De Maximo Taurinenſi Epiſc. ejuſque operibus.

 dum,

JESU CHR. AN. 465.

dum eſt, cum digniores in ea fuerint, inter quos Ingenuus Ebredunenſis, & Mediolanenſis Epiſcopus & Metropolita; ſed ætati, qua in Epiſcopatu conſenuerat. De eo etenim agens Gennadius, qui hoc tempore vivebat, Honorio, & Theodoſio juniore imperantibus, floruiſſe ſcribit, quin & obiiſſe, vetuſtiſſimi Codices a Mabillonio in Muſæo Italico citati exhibent, quo ſequeretur Maximum ante annum 423., quo Honorius vitam cum morte commutavit, vivere deſiiſſe; cum tamen exploratius ſit, quam ut probari debeat, uſque ad hunc annum vixiſſe Maximum Taurinenſem, ac Rom. ſynodo ſubſcripſiſſe. Hinc vel mendum in Gennadio irrepſiſſe, & loco *moritur Maximus*, legendum eſt *floruit*, vel erraſſe Gennadium, dicendum reſtat. Maximi Epiſcopi ſcripta non ſine laude commemorat Gennadius his verbis: *Maximus Taurinenſis eccleſiæ Epiſcopus, vir in divinis Scripturis ſatis intentus, & ad docendam ex tempore plebem ſufficiens. Compoſuit in laudem Apoſtolorum tractatus, & in Joannis Baptiſtæ, & generatim omnium Martyrum homiliam. Sed & de capitulis Evangeliorum, & Actuum Apoſtolorum multa ſapienter expoſuit. Fecit & duos de Sancti Euſebii Vercellenſis Epiſcopi, & Confeſſoris vita tractatus, & de S. Cypriani ſpeciale. De baptiſmi gratia librum edidit. Scripſit de Avaritia, de Hoſpitalitate, de Defectu Lunæ, de Eleemoſynis, de eo, quod ſcriptum eſt in Eſaia, Caupones tui miſcent vino aquam, de Paſſione Domini, de Jejunio ſervorum Dei generali, de Jejunio ſpeciali Quadrageſimæ, & quod non ſit in eo jocandum. De Juda traditore, de Cruce Domini, de Sepulchro ejus, de Reſurrectione ipſius, de accuſato & judicato Domino apud Pilatum, de Calendis Januariis. Scripſit etiam homilias de Natali Domini, homilias de Theophania & de Paſcha, & Pentecoſte multas, de hoſtibus carnalibus non timendis, de Gratiis poſt cibum Deo agendis, de Pœnitentia Ninivitarum, & multas alias ejus homilias de diverſis cauſis habitas legi, quæ nec retineo etc.*

Gennad. de viris Illuſt. cap. 40.
Tom. 1. part. 2. pag. 2.

De præſtantia ſermonum S. Maximi.

9. Has quidem nec ſtyli elegantia, nec ſententiarum gravitate, aut argumentorum dignitate ornatas eſſe Dupinius ait. Earum nihilominus aut brevitas, aut ſtyli ſimplicitas nil obeſt, quin elegantes eas Natalis Alexander dixerit; utpote ea elegantia, argumentorumque præſtantia præditæ, qua ſermones ad populum habiti convenire poterat. Et ſane tan-

Dupin. ſecul. 5. tom. 3. p. 424.
Nat. Alex ſecul. 5. cap. 4. art. 30.

10

to apud veteres in pretio fuerunt, ut maximis doctrina & ſanctitate viris, quamplurimæ inſcriberentur, Ambroſio ſcilicet, & Auguſtino; ſuo tamen auctori, tum a Maurinis Ambroſii, & Auguſtini editoribus reſtitutæ ſunt, cum a Mabillonio, & Muratorio, duodecim quippe ex vetuſtis Codicibus erutas Mabillonius in Muſæo Italico vulgavit, quarum numerum Muratorius ex eodem Mediolanenſi vetuſtiſſimo Codice, ex quo Mabillonius duodecim priores excerpſerat, ad octoginta fere auxit, quibus addendæ ſunt, quas de tempore inſcripſit, hyemales ſcilicet, Æſtivales, de Sanctis, & de diverſis; quarum etſi plurimæ S. Maximi nomen præferant, multæ tamen abſque titulo & inſcriptione in eodem codice erant, quas proinde an Maximo tribuendæ ſint, incertum eſt: iterum inter S. Leonis opera in appendice editæ ſunt Venetiis ab Andrea Poletto anno 1758. Maximi autem apud poſteros propagata eſt memoria, cujus natalis dies ſingulis annis ſeptimo Kal. Julii Martyrologio Rom. recolitur; cujus Opera Pii Sexti Pontificis juſſu, & expenſis, quamprimum in lucem aucta & exornata, ac diſſertationibus illuſtrata ſtudio & opera Bruni Scholarum piarum Sacerdotis prodibunt.

Mabill. Muſæo Ital. tom. 1. part. 2. Murat. Anecdota latina.

10. Natalis Hilari Papæ dies, cujus occaſione ſynodum Romæ habuit cum Epiſcopis, qui ad eum diem celebrandum convenerant, a nobis exigit, ut nonnulla de die Natali ordinationis Rom. Pontificis, & Epiſcoporum adnotemus. Hunc quidem morem antiquiſſimum fuiſſe paulo poſt facile probabimus; at unde, vel quando ordinationis Anniverſaria, ſeu Natalis dies celebrari inceperit, in obſcuro eſt. Auguſtorum Natalem diem cum multa ſolemnitate celebratum fuiſſe Ethnici ſcriptores paſſim produnt; quin ethnicos paſſim diem ſuum Natalem celebraſſe, ac merum ea die Genio ſuo litaſſe, teſtis eſt Cenſorinus in præfatione ad librum *de die Natali*, additque, ac ſe præter ſuum Natalem, diem quoque, quo Cærellius Mecenas ſuus, cui librum dicavit, celebraſſe: *Cum ſinguli homines*, ait, *ſuos tantummodo proprios colant natales, ego tamen duplici quotannis officio hujuſce religionis adſtringor. Nam cum ex te tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus, atque præſidium, cuncta denique vitæ præmia recipiam, nefas arbitror, ſi diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebra-*

De die Natali ordinationis Epiſc.

Cenſorin. de die Nat. c. 3.

JESU CHR. AN. 465. *lebravero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitæ atque ornamentum peperit.* Natalitia quoque Martyrum primis eccleſiæ ſeculis celebrata fuiſſe ea die, qua caducam, mortalemque vitam cum beata commutaverant, compertum eſt. Sive itaque ex Natalitiis Martyrum, aut ex die Natali Auguſtorum ortum habuerit, aut occaſionem, ritus celebrandi diem ordinationis Rom. Pontificum, & Epiſcoporum, parum, aut nihil intereſt. Hoc unum ſcimus, quarto ineunte ſeculo diem Natalem ordinationis Romani Pontificis celebratum fuiſſe, cujus rei luculentum ſupereſt teſtimonium, in Præfatione ad libellum Fauſtini & Marcellini, ubi de Epiſcopis Italiæ hæc leguntur: *Quos etiam cum ad Natale ſuum ſolemniter invitaſſet, & nonnulli conveniſſent, ex eis precibus apud eos molitur, & pretio, ut ſententiam in ſanctum Urſinum ferant.* Anaſtaſius etiam Papa Paulinum Nolanum amantiſſimis litteris vocavit: *Interpoſito tempore etiam ad Natalem ſuum, quod Conſacerdotibus ſuis tantum deferre ſolet, invitare dignatus eſt etc.* Sunt etiam inter ſermones S. Leonis nonnulli in Anniverſario die Aſſumptionis ſuæ recitati, qui ſecundum, & tertium locum obtinent. Quid plura? Hilarus Papa ad Epiſcopos Terraconenſis Provinciæ habet: *Lectis ergo in conventu fratrum, quos natalis mei feſtivitas congregarat, litteris veſtris.* Romanorum Antiſtitum exemplum alii Præſules imitati, Natali ſuo honorem haberi voluerunt. Ambroſius ad Felicem Comenſem Epiſcopum: *Natalem tuum proſequamur noſtris orationibus, & tu noſtri in tuis votis ne obliviſcaris.* Æmula Romæ Carthago ordinationis Epiſcoporum ſuorum dies feſtivitate nobilitari voluit, teſte B. Auguſtini ſermone apud Carthaginem habito: *Quod novit charitas veſtra ſuggerimus, dies anniverſarius Domini ſenis Aurelii craſtinus illuceſcit. Rogat & admonet per humilitatem meam charitatem veſtram, ut ad Baſilicam Fauſti devotiſſime venire dignemini.* Verba, quibus Epiſcopi ad eam ſolemnitatem a Pontifice Romano vocabantur, ex Libro Diurni Pontificum Romanorum per Joannem Garnerium edito apponere juvat: *Dei noſtri miſericordia favente ille dies, in quo Epiſcopatus mei eſt natalis, adproperat, ad quem ex more miſſis a me litteris invitaris. Decet enim, frater chariſſime, ut ejuſdem particeps feſtivitatis exiſtas, & fraternæ congregationis præſentiam tuæ dilectionis accommodes, ut ea inter nos, quæ mos Ec-*

Biblioth. PP. tom. 5.

Garnerius diurn. Rom. Pontif. p. 78. Vi. ſup. p. 80.

Digitized by Google

Eccleſiaſticus exigit, confirmemus. Eo cultu Epiſcoporum natalitia celebrabantur. Conciones habebantur, ſacra Scriptura legebatur, Dei laudes cantabantur. In tranſcurſu obſervandum, duorum generum Epiſcopos ad Natalia vocatos eſſe, illos ſcilicet, qui Eccleſias ſuburbicarias adminiſtrantes, Antiſtiti Romano ſubjacebant, quos jure ſuo accerſebat, alios vero, qui Metropolitanis ſuberant, privilegio vocabat. Ex Africa quidem celebrando Natali Hilariano in urbem migrarunt Reſtitutus atque Octavius. Quod ſi quis Epiſcopus invitatus, morbo cauſaque legitima adeſſe prohibebatur, excuſatoriæ ad ipſum litteræ mittebantur, quæ in Diurno jam laudato tit. 13. continentur: *Scripta fraternitatis tuæ, quæ tranſmiſiſti, oblata nobis relegimus veniamque imbecillitati, ac ſenectuti fraternitatis tuæ, quam expetiiſti ob id quod venire non potuit conceſſimus cognoſcentes, quia non ſtudio excuſationis peractum eſt, ut ad nos minime fraternitas tua perveniſſet etc.* ſed de Natalitiis Epiſcoporum Tentzelium lector conſulat.

Jesu Chr. An. 465.

10. Poſt Maximum Tauriuenſem Ingenuus Ebrodunenſis Epiſcopus, Alpium maritimarum Metropolita, ſynodo Rom. ſubſcriptus legitur, cujus mentio occurrit in epiſtola Hilari Papæ ad Leontium, Veranum, & Victorem Galliæ Epiſcopos. Conqueſtus quippe apud Hilarum fuerat Ingenuus, quod Auxanio Epiſcopo petente, nonnulla in ſui injuriam ab ejuſdem deceſſore tributa fuiſſent. Quare Hilarus hujuſce cauſæ cognitionem Leontio Forojulienſi Epiſcopo, Verano & Victorio delegavit, ut ſi quid per obreptionem a deceſſore ſuo obtentum fuerat, irritum declararent: *Nolumus namque, fratres cariſſimi, eccleſiarum privilegia, quæ ſemper ſervanda ſunt, confundi, nec in alterius provinciæ Sacerdotis alterum jus habere permittimus*; nec quemquam inſana cupiditate motum Dioeceſeon ſuæ fines extendere debere admonet, hæc etiam addens: *Expectatio fructus noſtri miniſterii, non in latitudine regionum, ſed in acquiſitione ponitur animarum*. Hæc & alia ibidem Hilarus, ſacrorum canonum, & diſciplinæ eccleſiaſticæ vindex.

De Ingenuo Ebrodunenſi Epiſc. Concil. tom. 4. pag. 1038.

JE-

JESU CHRISTI AN. 466. HILARI PAPÆ 6.
LEONIS IMP. 10.
COSS. LEONE AUG. III. ET TATIANO.

Leonis Imp. lex de eccleſiarum azilo. *Cod. Juſtin. lib. 1. tit. 12. leg. 6.*

1. Hoc anno Leo Aug., ut debita Eccleſiis ſervaretur reverentia, de earum immunitate legem vulgavit, qua Locis ſanctis honorem deferri juſſit, in hæc verba: *Præſenti lege decernimus per omnia loca valitura (excepta hac urbe Regia, in qua nos Divinitate propitia degentes, quoties uſus exegerit, invocati, ſingulis cauſis, atque perſonis præſentanea conſtituta præſtamus), nullos penitus cujuſcumque conditionis ſint de ſacroſanctis eccleſiis orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, protrahi profugos, nec pro his venerabiles Epiſcopos, vel religioſos Oeconomos exigi, quæ ab ipſis debeantur*; grave quippe eccleſiis erat pro perfugis, qui ad eam confugiebant, debita ſolvere, ut Theodoſius anno 392. Coſſ. Arcadio II. & Ruffino lege lata juſſerat his verbis: *Publicos debitores, ſi confugiendum ad eccleſias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipſos, qui eos occultare probantur, Epiſcopos exigi*. Hinc accidit, ut cum Auguſtinus perfugam non tradidiſſet, factus pro eo debitor, ut debitum ſolveret, collectam in eccleſia indixit; quare hæc Leo emendavit, atque lege ſua addidit: *His qui hoc moliri, aut facere, aut nuda ſaltem cogitatione, aut tractatu auſi fuerint tentare, capitali & ultimi ſupplicii animadverſione plectendi*; Perfugas nihilominus, ſervata loci reverentia, judicibus exhiberi, ac furtivas res ab iis auferri juſſit; ſervos autem, libertos, colonos, ceteroſque domeſticæ conditionis, dominis ſuis reddi voluit, ultioni competenti ſubditos, aut etiam pœna remiſſa, *ne patronis ſeu dominis per ipſorum abſentiam obſequia juſta denegentur, & ipſi per incommodum eccleſiæ egentium, & pauperum alantur expenſis*. Inſuper Oeconomi, defenſoreſque eccleſiarum diligenter id obſervabunt: *Ut ſingulorum intra eccleſias confugientium perſonas, cauſaſque inceſſanter conquirant, deinde judices, vel eos ad quos cauſæ, vel perſonæ pertinent, inſtantius inſtruant, & æquitati convenientia diligentius exequantur. Data prid. Kal. Martii Leone Aug. III. Coſſ.* Hanc Leonis legem occaſione Ardaburii viri in aula potentiſſimi datam fuiſſe ſuſpicatus eſt

Auguſt. epiſt. 115.

Ba-

Baronius, qui cum militem, qui ad Aemetarum monaſterium confugerat, per vim extrahere juſſiſſet; ne id perficerent, miraculo milites ad id miſſi perterriti ſunt, ut in actis S. Marcelli monachi legitur ad diem 29. Decembris; quare cum non ſine periculo eccleſiarum aſyla violari didiciſſet Leo Auguſtus, earum ſanctitati & venerationi ea lege conſultum voluit.

Eccleſiis reverentia naturali & divino jure debita.

2. Ceterum ſive ex novo caſu, cujus acta S. Marcelli mentionem faciunt, ſive ex inſita ſibi religione eam legem Leo Auguſtus ediderit, id ſane certum exploratumque eſt, ex naturali, divinoque jure deſcendere, quod locis religioni exercendæ deſtinatis reverentia debeatur: quæ ſane abſque aſylorum prærogativa ſervari non poteſt. Hinc in veteri Moſaica lege non ſolum Templum & Altare miſeris perfugium erat, ſed urbes etiam deſtinatæ fuerant. Apud ethnicos vero, non ſolum Deorum Templa, ſed Principum etiam imagines, aut ſtatuæ, eadem immunitate gaudebant. Quid ergo mirum, ſi veræ Religioni id tribuatur, quod falſa etiam religio inanium Deorum venerationi debitum eſſe credebat? Quantum in hiſce eccleſiæ juribus tuendis, aſyloque vindicando, acerrimi defenſores fuerint viri ſanctitate, & doctrina præſtantes, in Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, aliiſque, ſuis locis adnotavimus. Id mirum Vandalis tam ſacra fuiſſe eccleſiarum aſyla, ut Hunnericus Principum crudeliſſimus, Camut quemdam *Heldici fratrem, quia ad eccleſiam eorum confugerat, occidere non potuit*, ait Victor Vitenſis. Ne tamen eccleſiarum aſyla, quæ miſeris, afflictiſque perfugio ſunt, ſceleratis perditiſque majorem peccandi occaſionem præbeant, jure canonico, edictiſque Principum, cautum eſt, ut certis limitibus circumſcribantur, ac ut ab iis graviorum criminum ſontes utplurimum arceantur: *Principes quidem inſtar Deorum eſſe*, ajebat Cajus Ceſtius, *ſed neque a Diis niſi juſtas ſupplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliave urbis Templa perfugere, ut eo ſubſidio ad flagitia utatur etc.* de quibus plura addere, utpote de re notiſſima ſuperfluum cenſemus.

Exodi 21.14.

Victor Vit. hiſt. perſec. Vand. lib. 2. *pag.* 17.

Tacit. hiſt. Rom. lib. 3.

Epiphanius Ticinenſis Epiſc. ordinatur.

3. Hoc interea anno Criſpino Ticinenſi Epiſcopo e vivis ſublato, Epiphanius in ejus locum ſubrogatus eſt, vir ſanctitate non ſolum, ſed doctrina etiam celeberrimus, quem quidem hoc anno ordinatum fuiſſe, ex Ennodio Ticinenſi Dia-

Jesu Chr. an. 467.

Diacono ſcimus, dum de ipſo agens, octavum in Sacerdotio annum tunc egiſſe tradit, cum legatus miſſus eſt, ut pacem inter Nepotem Imp., & Eurichum Gothorum Regem firmaret. Eodemque ſeculo alius in Italia floruit Epiphanius, quo Caſſiodorus Græcorum ſcriptorum uſus eſt interprete, ab eo enim transferri curavit Græcorum hiſtorias Euſebii, Socratis, Sozomeni, atque Theodoreti, nec non ſcripta Didymi in Proverbia Salomonis, ſimulque S. Epiphanii Salaminæ Epiſcopi tractatum in Cantica canticorum, & alia plura, ut idem narrat, quem & amicum diſertiſſimumque virum appellat, cujus opera bibliothecam ſuam ex Græcis ſcriptoribus in latinum converſis ornavit, auxitque. Hæc de duobus hujus ætatis Epiphaniis. Ceterum de Ticinenſi Epiſcopo plurima inferius dicenda reſervamus.

Caſſiod. inſtit. divin. lect. 1. cap. 1. & 17.

Concilium Cimbricum in Anglia. *Labb. tom. 4. pag. 1050. Vilkins concil. Angliæ tom. 1. pag. 7.*

4. Ad hæc tempora Cimbricum quoddam concilium celebratum fuiſſe commemorant Angli ſcriptores, circa montes *Erir apud Ordovices* habitum. Cum etenim Vortigernus Britannorum Rex Occidentalium, inter prærupta montium atque ſilvarum, omnibus exoſus obiiſſet, Cleri populique ſuffragio Aurelius Ambroſius electus eſt, de quo Veſtmonaſterienſis ad annum Chriſti 465. narrat: *Sublimatus autem eccleſias ad ſolum uſque deſtructas, ut potuit reparare vacavit. Erat largus in muneribus dandis, ſedulus in divinis obſequiis, modeſtus, mendaces cum ſuis adulationibus poſtponens, pede fortis, equo fortior, & ad regendum militares exercitus peritus, talibus inſignitus virtutibus, celebris famoſus longinquis etiam regionibus habebatur.*

JESU CHRISTI an. 467. Hilari Papæ 7.
Leonis Imp. II. Anthemii Imp. I.
Coss. Puseo et Joanne.

Anthemius Imperat. eligitur, quis eſſet. *Evagr. lib. 2. 16. Sidon. carm. 2. verſ. 477.*

1. Poſt Severi Imperatoris interitum, diffidentibus cum Ricimere Romanis, nullus in Occidente Imperator electus fuerat, quem etiam abſque Leonis Imperatoris conſenſu eligere difficile ac periculoſum fuiſſet. Quare cum ultra annum, non ſine Reipublicæ damno, interregnum fuiſſet, tandem: *Cum Romani Occidentales legationem ad Leonem miſiſſent, Anthemius a Leone miſſus eſt, ut Romanis imperaret, cui Marcianus Imp. propriam filiam deſponderat*, ait Evagrius.

Ob

Ob ejuſdem electionem Romæ diſſidia extincta fuiſſe narrat Sidonius, Romam ſic loquentem inducens:

Sed ſi forte placet veteres ſopire querelas,
Anthemium concede mihi, ſit partibus iſtis
Auguſtus, longum Leo mea jura gubernet
Quem petis etc.

Is porro natione Galata, nobili genere, ac patre Procopio genitus fuerat, nepos Anthemii, qui anno 405. cum Stilicone conſul fuerat. Ipſe vero Anthemius Imperator, non ſolum avita nobilitate illuſtris, ſed etiam armis, dignitate, utriuſque ſcilicet militiæ magiſter, ac cognatione, qui Imp. Marciani filiam uxorem duxerat, ut ex Evagrio diximus, in quam rem Sidonius cecinit:

Princeps, cui Mundus ab Euro
Ad Zephyrum tunc ſceptra dabat, cui nubilis, atque
Vnica purpureos debebat nata nepotes,
Elegit generum.

Tot itaque nominibus clarus, a Leone Auguſto in Imperium collega adſcitus, Romam miſſus eſt; ac ut firmius adeptam dignitatem retineret, filiam ſuam Richimeri utriuſque militiæ in Occidente magiſtro nuptui tradidit; unde iterum Sidonius:

Adjice præterea privatum ad publica fœdus
Sit Socer Auguſtus genero Richimere beatus,
Nobilitate micans eſt vobis regia virgo.

Regalibus nuptiis ipſe Sidonius adfuit, ut in epiſtola ad Heronium refert, qua narrat, ſe in itinere febribus laboraſſe; at Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicam vix ingreſſus: *Omnem*, inquit, *protinus ſenſi membris male fortibus exploſum eſſe languorem*; paucis deinde adjectis: *Interveni nuptiis patricii Richomeris, cui filia perennis Auguſti in ſpem publicæ ſecuritatis copulabatur*. At Richimeris perfidia omnium ſpem, expectationemque fefellit; nam Anthemius Auguſtus parricidam, non generum, iis nuptiis ſibi comparavit, quibus

Sidon. epiſt. lib. 1. 5.

Digitized by Google

Jesu Chr.
An. 467.

Non pronuba Juno,
Non Hymenæus adeſt, non illi Gratia lecto
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides ſtravere torum.

Anthemius Romam pergit quidve ibidem geſſerit.

2. Sed de Anthemii obitu anno 472. Conſtantinopoli itaque relicta Romam adveniens, in loco qui *Brontotus* dicebatur, tertio ab urbe milliario Imperator Anthemius a Senatu, populoque Rom. ſalutatus eſt. Idacius octavo milliario id contigiſſe adnotat, menſe Auguſto. At chronographus a Cuſpiniano editus: *Levatus eſt Imperator Dominus Anthemius Romæ pridie Idus Aprilis*; quo tempore dum Lupercalia Romæ celebrarentur, dira lue urbs vexabatur, ut Gelaſius Papa contra Andronicum ſcribens teſtatur. Alteram quoque eamque triſtiorem (utpote animarum) peſtem ex Oriente Romam detulit Anthemius; cum etenim ingenti aulicorum, & militum copia ſtipatus adveniſſet, hæreticorum plurimi eum comitati ſunt, ex quibus cum Macedonianæ ſectæ nonnulli in urbe conventicula celebrare cœpiſſent, ne urbs tanto ſcelere pollueretur, reſtitit Hilarus Papa, ac ne ultra id fieret, curavit. *Papa Hilarus*, ait Gelaſius in epiſtola ad Dardanos, *Anthemium Imperatorem, cum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate ſuffultus, diverſarum conventicula nova ſectarum in urbem vellet inducere, apud B. Petrum Apoſtolum palam, ne id fieret, clara voce conſtrinxit; intantum, ut non ea facienda, cum interpoſitione juramenti, idem promitteret Imperator*, quem catholicæ fidei tenaciſſimum fuiſſe auctores tradunt, cujus *imagines laureatæ CPolim per Pherentinum Præfectum urbi illata ſunt*. Anthemio in Imperii ſocietatem adſcito, Leo Auguſtus Genſericum Vandalorum in Africa Regem de ejuſdem inauguratione certiorem reddidit, ac ni Italiam ceteraſque Imperii provincias vexare ceſſaret, bellum minabatur. At Genſericus Leonis minas ſprevit, majoreſque navales copias adverſus Romanos paravit, eam prætexens cauſam, quod Anthemium Olybrio prætulerit, *cui*, ut narrat Procopius, *Genſericus utpote Placidiæ Valentiniani filiæ marito, & propter affinitatem amico*, nam Hunnericus Genſerici filius alteram Valentiniani filiam duxerat, *Imperium petierat*. Repulſam ægre ferens, *ditionem omnem Imperatoris vaſtavit*.

Concil. Labb. tom. 4.

Tom. 4. concil. p. 1018. Gelaſ. epiſt. 13.

Priſcus in excerptis hiſt. Bizant. p. 76. *Procop. de bello Vandal. lib. 1. 6.*

3. No-

Evaricus Theodorico in Gothorum Regno ſuccedit.

3. Novi interea graveſque bellorum motus in Galliis, & Hiſpania excitati ſunt, dum Evaricus Theodorico Gothorum Rege & fratre Toloſæ obſeſſo, & interempto, Gothorum invaſit Regnum; pari ſcelere Theodoricus Gothicum obtinuerat Regnum, fraterno ſcilicet ſanguine foedatus, dum Thoriſmundum fratrem majorem natu interfecerat, ac Regnum in Hiſpanias ad Luſitanos uſque dilataverat, quem egregiis animi corporiſque dotibus exornatum fuiſſe narrat Iſidorus in chronico, & ſane Regno non indignus fuiſſet, niſi perfidia, & fraterno effuſo ſanguine obtinuiſſet. Nam teſte Sidonio: *Antelucanos Sacerdotum ſuorum cœtus minimo comitatu expetit, grandi ſedulitate veneratur*; reliquas diei horas in Regni adminiſtratione deputabat, in veſtitu modeſtus, in menſa parcus, cunctis affabilis, in rebus gerendis promptus, ut narrat Sidonius. Tantus itaque Rex *Interfectus eſt a fratre ſuo Euthorico Toloſæ*, ait Marius Aventicenſis ad hunc annum, cui conſentit Idacius in Faſtis, dum ait: *Per Theudericum Salla legatus mittitur ad Remiſmundum Regem Svevorum, qui reverſus ad Gallias eum a fratre ſuo Eurico reperit interfectum. Euricus pari ſcelere, quo frater, ſuccedit in Regnum*, quod cum adeptus eſſet, *Statim bello deſæviit*, ait Iſidorus in chronico, *parteſque Luſitaniæ deprædatur, qui prius capta Pamplona, Cæſarauguſtam invadit*, totamque Hiſpaniam ſuperiorem obtinuit. *Tarraconenſem etiam nobilitatem*, quæ ei repugnaverat, exercitus irruptione peremit. *In Gallias autem regreſſus, Arelatem & Maſſiliam urbes capit, ſuoque Regno utramque ſubjecit*. Deinde poſt aliqua: *Sub hoc Rege Gothi legum inſtituta ſcriptis habere cœperunt, nam antea tantum moribus, & conſuetudine tenebantur*, ait Iſidorus, paucis Evarici Regis geſta complectens, de quibus infra iterum redibit ſermo.

Sidon. lib. 1. epiſt. 2.

Leo Imp. Arianos exagitat, legem feſtis promulgat.

4. De Leone Auguſto narrat Alex. Chronicon ad hunc annum: *Religioſiſſimus Imperator diebus Dominicis ceſſari ab opera præcepit, eaque de re ſanctiſſimam legem rogavit, uti nulla tibia, nulla cithara, aliudve inſtrumentum muſicum die Dominico caneret, ſed omnia ceſſarent, omneſque mortales ferias agitarent. Idem Imperator Leo acerrime perſecutus eſt Arianos Exocionitas*, ſic dictos, eo quod in loco, qui Exocionum dicebatur, convenirent ad muros urbis, uti apud Ducangium in CPoli chriſtiana lib. 2. paragrapho 16. n. 38. vide-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 468. videre eſt. *Edictoque promulgato ubique vetuit illos habere eccleſias, omneſque conventus illorum penitus ſuſtulit*. Leonis lex de feſtis Codice Juſtinianeo legitur, Coſſ. Zenone & Marciano inſcripta, ſeu anno 469., quo fortaſſe edita, aut iterum vulgata fuit.

JESU CHRISTI AN. 468. SIMPLICII PAPÆ 1.
LEONIS IMP. 12. ANTHEMII IMP. 2.
COSS. ANTHEMIO AUG. SINE COLLEGA.

Sidonii oratio panegyric. de Anthemii conſulatu.

1. Cur ſine collega conſulatum hoc anno Anthemius Auguſtus inierit, in obſcuro eſt; Conſul autem ſecundo dictus eſt, eo quod alias, anno ſcilicet 455. eam dignitatem cum Valentiniano Auguſto promeruerat. Labentis anni conſulatum illuſtriorem reddidit oratione panegyrica Kal. Januarii, in ejus laudem recitata, Sidonius Apollinaris, qua ob repetitum conſulatum veterem conſulem nuncupavit; hinc orationis ſuæ initio inquit:

Sidon. carm. 2.

Auſpicio & numero faſces, Auguſte, ſecundos
Erige, & affulgens trabealis molle metalli
Annum pande novum conſul vetus, ac ſine faſtis
Scribere bis faſtis.

Sidon. lib. 1. epiſt. 9.

Hanc orationem Romæ ſe dixiſſe Cæcina Baſilio viro conſulari impellente, cujus familiaritate utebatur, idem Sidonius narrat, eodemque Baſilio curante, urbis Præfecturam pro præmio tulit: *Favorem ille non ſubtraxit injunctis, & impoſitæ devotionis adſtipulator invictus egit cum conſule novo*, ideſt cum Anthemio Imp., *ut me Præfectus faceret Senatus ſui*.

Hilari Papæ obitus, ejus dona eccleſiis facta.

2. Ad hunc annum Hilari Papæ obitum pertinere contendit Pagius, quem annos ſex, menſes tres, dies decem Romanam eccleſiam adminiſtraſſe, poſt Anaſtaſium, alii ſcriptores narrant, ac nono Kal. Martii, ſeu die 21. Februarii obiiſſe Marcianus Scotus in chronico tradit, quarto autem idus Septembris ejus memoria recolitur, qua etſi ab Anaſtaſio ſepultum fuiſſe dicatur, tranſlatum nihilominus ea die potius dicendum eſt, quam ſepultum. Cum Romanam eccleſiam ſanctiſſime hactenus adminiſtraſſet, ac egregium paſtora-

ſtoralis officii ſpecimen edidiſſet, ut anno proximo diximus, dum Macedonianos cum Anthemio Imp. ex Oriente Romam ingreſſos, ac clandeſtinos conventus celebrantes repreſſit; cujus etiam pietatem innumera pene ex auro & argento donaria eccleſiis facta commendant, quorum catalogum ex vetuſtis Rom. eccleſiæ monumentis poſteritati tradidit Anaſtaſius, ut mirum ſit tantas ea ætate Romanæ eccleſiæ fuiſſe divitias. Ne iis excribendis longiores ſimus, exemplo ſint ea, quæ in baſilica Conſtantiniana, & in Oratorio S. Crucis obtulit, de quibus hæc Anaſtaſius: *Hic fecit Oratoria tria in baſilica Conſtantinianæ Baptiſterio, ſancti Joannis Baptiſtæ, & ſancti Joannis Evangeliſtæ, & Sanctæ Crucis, omnia ex argento & lapidibus pretioſis ornavit. Confeſſionem autem ſancti Joannis Baptiſtæ fecit ex argento penſantem libras centum, & Crucem auream. Et in ambobus Oratoriis januas æreas argento cluſas. In oratorio vero Sanctæ Crucis fecit Confeſſionem, ubi lignum poſuit Dominicum, & Crucem auream cum gemmis penſantem pondo librarum viginti. In confeſſione fecit januas ex argento penſantes libras quinquaginta. Supra confeſſionem arcum aureum, qui penſat libras quatuor, quem portant columnæ onychinæ, & eo loci ſtat Agnus Aureus, qui penſat libras duas.* His multa de Luminaribus, aliiſque ornamentis in baſilica Conſtantiniana, S. Crucis, S. Petri Apoſtoli, S. Laurentii Martyris, aliiſque in locis ſubdit; Monaſteria etiam ædificavit, duaſque bibliothecas in baptiſterio Lateranenſi, ut idem auctor narrat. JESU CHR. AN. 468.

3. Poſt Hilari mortem, cum ſedes vacaſſet dies quatuor, aut decem, ut ait Anaſtaſius, Simplicius natione Tiburtinus, Caſtini filius, in ejus locum ordinatus eſt, qui uſque ad annum 483. Pontificatum tenuit, ſanctiſſimeque adminiſtravit, ut ſuo loco infra dicturi ſumus. Interea Pontificatum adeptus, a Leone Imp. rogatus, ut CP. Epiſcopo tributam a Chalcedonenſibus patribus dignitatem aſſenſu ſuo confirmaret, Simplicius Prædeceſſorum ſuorum, ideſt Leonis & Hilari exemplo, nequaquam aſſenſum præbuit, ut in epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos Gelaſius Papa teſtatur: *Eaque nihilominus etiam ſub ſanctæ memoriæ Papa Simplicio legatum ſedis Apoſtolicæ ſanctæ memoriæ Probum Canuſinæ urbis Epiſcopum Leone Principe tunc petente, præſente docuiſſe nullatenus poſſe tentari, neque his prorſus præbuiſſe conſenſum, atque*

Simplicius Papa ordinatur.

Concil. tom. 4. pag. 1407.

JESU CHR. AN. 468.

atque ideo non ad civitatis cujuslibet reſpiciant qualitatem ; ſed modum diſpenſationis eccleſiaſticæ paterna traditione firmatum convenienter obſervent. Sed de Simplicii geſtis plura inferius.

Arvandus Galliarum Præfectus in exilium ejicitur.

4. Cum urbis Præfecturam Sidonius hoc anno ageret, Arvandus Galliarum Præfectus, Sidonio olim amicitia conjunctus, perduellionis accuſatus Romam deductus eſt, ubi a Provincialibus multorum criminum accuſatus, in exilium deportari juſſit Anthemius. Sceleratiſſimi hominis vices, totamque judicii ſeriem, Sidonius in epiſtola ad Vincentium narrat, cujus hæc ſumma eſt. Galliarum Præfecturam per quinquennium, repetitis faſcibus Arvandus rexerat, primam *cum magna popularitate* exegerat; ſecundam *cum magna populatione* ait Sidonius; ideſt Provincialium deprædatione, nam: *Ære alieno oppreſſus, metu creditorum ſucceſſuros ſibi optimates æmulabatur*, ac omnia miſcere coepit, uſque dum *Prius cinctus cuſtodia, quam poteſtate diſcinctus, captus deſtinatuſque pervenit Romam*; in cuſtodiam Flavii Aſcelli Comitis ſacrarum largitionum traditus, *qui adbuc in eo ſemifumantem Præfecturæ nuper exortæ dignitatem venerabatur*. Repetundarum itaque crimine, & quod cum Gothorum Rege litterarum commercia habuiſſet, quibus eum ab ineunda cum Leone Auguſto pace revocabat, ſicque rebellionis, & læſæ Majeſtatis crimine damnatus, dum uncum, aut Gemonias ſcalas per dies ſingulos expectaret, Sidonii precibus, ut veroſimile eſt, motus Anthemius Imp. ultimum ſupplicium cum exilio commutavit. ut pluribus in citata epiſtola narrat Sidonius.

Sidon. lib. 1. epiſt. 7.

De Seronato Præfecto Galliarum, ejuſque ſceleribus.

Sidon. lib. 2. epiſt. 1.

5. Arvando ſceleſtior fuit Seronatus Galliarum non multo poſt Arvandum Præfectus, de quo idem Sidonius ad Edicium Theodorici Gothorum in Gallia Regis ſucceſſorem, ut anno proximo diximus, hæc ſcribebat. *Rediit ipſe Catilina ſeculi noſtri in peremptoribus, ut ſanguinem fortunaſque miſerorum, quas ille ſibi ex parte propinaverat, hic ex aſſe miſceret. Scitote in eo per dies ſpiritum diu diſſimulati furoris aperiri: aperte invidet, abjecte fingit, ſerviliter ſuperbit, indicit ut dominus, exigit ut tyrannus, addicit ut judex, calumniatur ut barbarus*. Deinde poſt plurima de ejuſdem ſceleribus addit: *Implet quotidie ſylvas fugientibus, villas hoſtibus, altaria reis, carceres clericis, exultans Gothis, Inſul-*

ſultans Romanis, illudenſque Præfectis, colludenſque munerariis, leges Theodoſianas calcans, Theodoricianaſque proponens, veteres culpat, nova tributa perquirit. Hæc & alia Sidonius Eudicium Regem rogans, ut quantocius tantis malis occurreret, atque hæc Anthemio imperante accidiſſe commemorat. Ex altera autem ejuſdem Sidonii epiſtola ad Græcum Epiſcopum data ſcimus ſceleratiſſimum Seronatum, Majeſtatis reum poſtulatum, debitas ſcelerum ſuorum pœnas tandem dediſſe. *Illi amore Reipublicæ*, inquit, *Seronatum Barbaris provincias propinantem, non timuere legibus tradere, quem convictum deinceps Reſpublica vix præſumpſit occidere.* Galliarum vaſtationes, non a Gothis, Vandalis, aliiſque barbaris gentibus, ſed a Romanis ipſis, Romanæque Reipublicæ miniſtris factas, non multo ante flebili ſtylo deploraverat Salvianus, Unde feliciores ſub Barbarorum jugo fuiſſe Galliarum provincias, quam ſub Romanorum Imperio adnotat: *Ubi enim*, ait, *& in quibus ſunt, niſi in Romanis tanta hæc mala? quorum injuſtitia tanta, niſi noſtra? Franchi enim hoc ſcelus neſciunt: Hunni ab his ſceleribus immunes ſunt: nihil horum eſt apud Vandalos, nihil horum apud Gothos. Tam longe enim eſt, ut hæc inter Gothos barbari tolerent, ut ne Romani quidem, qui inter eos vivunt, iſta patiantur etc.* Hinc non mirum fuiſſe addit, quod Galliarum pars maxima in Barbarorum ditionem tranſierit, ut ex hujus temporis hiſtoria, conſtat, quæ oratione perſequi longum eſſet.

JESU CHR. AN. 468.

Sidon. lib. 2. epiſt. 7.

Salvian. de Provid. lib. 5.

6. Ex quo tempore Africanas provincias occupaverat Genſericus, Siciliæ, & Italiæ littoribus infeſtus numquam eſſe deſtiterat; temporis vero progreſſu, audacior factus, Orientales etiam oras aggredi, vexarique inceperat; unde Procopius: *Gizericus a morte Valentiniani in Siciliam, atque Italiam quotannis vere novo ſe invehebat, ibi urbibus partim miſſis in ſervitutem, partim ſolo æquatis, cum omnia rapuiſſet, ac regiones non modo pecuniis exhauſiſſet, verumetiam incolis, in ditionem Imperatoris Orientis erupit. Illiricum, Peloponeſi, item & Græciæ partem maximam, necnon adjacentes inſulas populatus etc.* Quare ut acceptas hactenus a Vandalis injurias ulciſceretur, ingenti comparato exercitu *ad centum ut tradunt virorum millia*, ait Procopius, collectaque ex omnibus Orientis maribus claſſe, naves ex toto Oriente centies mille contraxit, *ipſaſque militibus & nautis plene*

Leonis & Anthemii adverſus Genſericum expeditio.

Procop. de bello Vandal. lib. 1. 5. & 6.

plene munitas adverſus Genſericum deſtinavit , ait Theophanes ad hunc annum , *in eamque claſſem mille & tercenta auri centenaria expendiſſe narrant* ; *ſeu auri pondo centumtriginta millia impendiſſe fertur* , ait Procopius. Suidas vero de hujuſce expeditionis impenſa adnotat : *Ut teſtantur ii , qui pecuniam illam adminiſtrarunt , per Præfectos quidem prætorio impenſa ſunt auri librarum quadraginta ſeptem millia , cum ſumptus abunde ſuppeterent , partim ex bonis proſcriptorum , partim ex ærario Imperatoris Anthemii* . Hujuſce expeditionis Præfectum malo fato Baſiliſcum Verinæ uxoris ſuæ fratrem Leo Auguſtus deſtinavit , cujus perfidia , aut certe ignavia , exercitus & claſſis pars maxima perdita , aut prodita fuit . Spem quidem victoriæ multa alebant , maximus præcipue exercitus & navium numerus , qui etſi centies millium non fuerit ; centum tamen & mille ſaltem fuiſſe, dubitari non poteſt , & ſane ſi belli exitus initio reſpondiſſet , confecta feliciter res fuiſſet. Nam cum ſibi Marcellianum , qui in Dalmatia tyrannidem hoc tempore obtinebat , ſibi Leo Auguſtus reconciliaſſet , eum impulit , ait Procopius , *ut Sardiniam tum ſubditam Vandalis aggrederetur . Is haud ægre exactis Vandalis inſula potitus eſt . Tum quoque miſſus Bizantio Heraclius ad Tripolim Africæ , fuſis acie Vandalis , urbes facile cepit , atque ibi relictis navibus, copias terreſtri itinere Carthaginem verſus duxit* . Baſiliſcus interea ad Africæ littora perductus ad oppidulum Mercurii nomine , ex Mercurii templo dictum, cum univerſa claſſe appulit , Carthagine 280. ſtadiis diſſitum, ac facile Vandalos Carthagine ejeciſſet , cunctoſque ſubjeciſſet , niſi cunctando occaſionem perdidiſſet. Nam Genſericus oſcitantia ducis bene utens , ad reſiſtendum Romanis , eoſque fallendos ſe ſe convertit , ac inprimis ſubditos omnes velociter cum navibus armavit , deinde Baſiliſcum per quinque dies , ut prælium differret , rogavit , deliberaturum ſe interea promittens , utrum bellum gereret , an Imperatori obtemperaret .

Procop. ut ſup. cap. 6.

Romanorum claſſis a Vandalis incenſa, & profligata.

7. Baſiliſcus itaque , cum rei gerendæ opportunitatem ut Aſpari gratificaretur perdidiſſet , quem perhibent , *tunc temporis veritum , ne clades Vandalica Leoni Imperium firmiſſime ſtabiliret , Baſiliſco Vandalos , ac Genſericum enixius* commendaſſe ; utpote qui ejuſdem ſectæ ambo , cum Vandalis eſſent , ideſt Ariani ; factum eſt , ut Vandali Romanorum

rum claſſem paulo poſt inopinato aggreſſi, ignem in eorum naves injecerunt, in eoſque telis ſaggitiſque irruentes, tanta felicitate pugnarunt, ut brevi temporis momento tota Romanorum claſſis, cum igne, & militibus certans diſperſa fuerit, ac vix navium aliquæ cum Baſiliſco duce CPolim incolumes redierint. Inter eos, qui cum Vandalis fortiter pugnarunt, Joannes quidam Baſiliſci legatus recenſetur, qui cum ad ultimum uſque ſpiritum pugnaſſet, ejus a Vandalis occupata navi, in mare ſeſe demerſit, ne captivus Vandalorum fieret, ac rogatus a Ganſerici filio, ne ſe ſe perderet, fidem illi & ſalutem offerens, hoc unum reſpondit: *Numquam venturum Joannem in manus canium*. Heraclius vero, qui cum ſuis Tripoli ſolverat, ut diximus, domum rediit, Marcellianus autem vir fortis, etſi religione ethnicus, qui Vandalos e Sardinia ejecerat, ſuorum proditione, hoc eodem anno periit. Unde ad hunc annum Caſſiodorus: *Anthemio Aug. II. Conſule in Sicilia Marcellinus occiditur*, quem in Africa, ut veroſimilius eſt, periiſſe narrat Alex. chronicon: *Marcellinus Occidentis Patricius, idemque Paganus, dum Romanis contra Vandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque fert, ab iiſdem dolo confoditur, pro quibus venerat pugnaturus*.

8. Baſiliſcus vero, cujus perfidia & ignavia tota Romanorum claſſis periit: *Reveſtus Bizantium azilum petiit, jacuitque ſupplex in æde, quæ magno Chriſto Deo ſacra eſt, & Sophiæ templum dicitur a Byzantinis, hanc appellationem Deo aptiſſime convenire cenſentibus. Atque ille quidem Verinæ Auguſtæ deprecatione periculum evaſit; ſed Imperium, cujus cauſa nihil non egerat, tunc adipiſci non potuit, ob conſecutum brevi necem Aſparis & Ardaburii, quos in Palatio Leo Auguſtus occidi juſſit, inſidias vitæ ſuæ ab illis paratas ſuſpicatus*. Atque hunc finem Vandalica expeditio habuit, de qua etiam Theophanes, Nicephorus, aliique Latini, & Græci ſcriptores agunt; falſo tamen Carthaginem in ea expeditione Baſiliſcum vi recuperaſſe, ac magna pecuniæ ſumma acceptà, inde exceſſiſſe ſcribit Theophanes. Veroſimiliora ſunt, quæ de Aſpare, & Ardaburio ex Priſco Rhetore narrat Procopius his verbis: *Referunt alii Aſpatem, & Ardaburium Arii ſectatores, cum ob id maxime*

Baſiliſcus CPolim rediens, ad eccleſiam confugit.

Procop. ut ſup.

 ad

JESU CHR. AN. 469. *ad Imperii faſtigium minime poſſent pervenire, Leonem, qui tunc eorum Procurator erat, ad Imperium evexiſſe, quaſi rerum omnium ſummam poſt hæc adminiſtrare præſtolatos. Ab eorum ſpe cum animum averteret Imperator, rectam ejus gubernandi rationem labefactare, & in pejus trahere contendebant, & Baſiliſco Imperium ſe pollicebantur tradere, ſi modo claſſem cum toto exercitu Giſerico, qui una cum ipſis Arianas opiniones ſequebatur, proderet. Quade cauſa Baſiliſcum ad exercitum prodendum inclinaſſe dicunt.*

JESU CHRISTI AN. 469. SIMPLICII PAPÆ 2.
LEONIS IMP. 13. ANTHEMII IMP. 3.
COSS. ZENONE ET MARTIANO.

Aſparis filius Patricius & Cæſar creatur.

1. Aſparis & Ardaburii perfidia Romanorum claſſem & exercitum diſperſum ac fugatum in Africa fuiſſe anno proximo adnotavimus, eoſque paulo poſt Leonis Imp. juſſu occiſos fuiſſe narrat Procopius: *Ob conſecutam brevi necem Aſparis & Ardaburii, quos in Palatio Leo Aug. occidi juſſit, inſidias vitæ ſuæ ab illis parari ſuſpicatus.* Quare etſi eorum interitum ad annum 471. Marcellinus & Caſſiodorus in chronico referant, citius tamen id factum, non ſolum Procopii verba ſuadent, ſed etiam Idaciani faſti, de eorumdem interitu hæc adnotantes. *Legati, qui ad Imperatorem miſſi fuerant, redeunt nunciantes, Aſparem degradatum ad privatam vitam, filium ejus occiſum adverſus Rom. Imperium, ſicuti detecti ſunt, Vandalis conſulentes.* Tanta porro Aſparis in Orientali Imperio erat auctoritas, quanta in Occidentali erat Ricimeris, quorum arbitrio & poteſtate utriuſque Imperii res pendebant, itaut ſicuti ab Ricimero Auguſteam Anthemius obtinuerat dignitatem, ita Aſpari Imperium debebat Leo.

Aſparis & filiorum interitus.

2. Ne tamen adepto Imperio, Aſparis perfidia excideret, Leo majoribus eum beneficiis ſibi devincire ſimulavit. Quare Patricio Aſparis filio filiam ſuam Leontiam deſponſavit; nam prima Ariadna Zenoni jam nupſerat, quem etiam paulo poſt Cæſarem dixit, eaque dignitate collata, ſucceſſorem ſibi in Imperio deſtinavit. Hunc quidem ab Ariana hæreſi cum patre revocatum, antequam Cæſarea dignitate potiretur, ſcribit Cedrenus: *Eodem anno 468. Aſparis filius Patricius Cæſar a Leone creatur, ac Alexandriam mittitur, quia Aſparem ab*

ab Ariana ſecta abduxerat, & ſibi benevolum reddiderat. At in Ariana perfidia utrumque perſeveraſſe, ceteri ſcriptores tradunt; hinc factum, ut cum Cæſaream dignitatem Aſparis filius obtinuiſſet, Conſtantinopolitani, ægre admodum id ferentes, quod homo Arianus Imperium poſt Leonis obitum ſuſcepturus eſſet, ne tam infauſta eccleſiæ & Imperio contingerent, qualia eorum majores ſub Conſtantio, & Valente Arianis Imperatoribus paſſi fuerant, ſeditionem & tumultum continuo excitarunt, atque ad Hippodromum properantes Imperatorem, cum Aſpare & filiis, contumeliis acerbiſſime inſectati ſunt; quare Aſpar cum filiis, plebis furorem metuens, Chalcedonem, exercitu eos comitante, tranſiit, ac in Euphemiæ Martyris templum confugit. Ad eos itaque Imperator Patriarcham miſit, fidem eis ſervaturum pollicitus, ſi ex eccleſia diſcederent. Ipſi vero ſe loco exceſſuros, niſi Imperator ipſe adeſſet, negarunt. Proinde Leo illuc tranſiit, eoſque ſimulata benevolentia exceptos, ſecum in menſa ſedere fecit. At eodem tempore Zenoni Iſauro, qui ei fidus magnopere videbatur, juſſit, ut iis in ſuam domum redeuntibus, ſubito impetu capita reſecaret, & Zeno quidem Ardaburio primum caput amputavit. Quod ubi Aſpar vidit, indoluit, & magna voce exclamans: *Dignum* (inquit) *fert exitium ſenex canus, qui fruſtra gloriatus eſt, neque unquam admonitioni meæ audiens fuit. Perſæpe enim ei dixi: Prius Leonem devoremus, quam ille nos ſibi in prandio apponat. Hæc ubi dixit, & ipſe ferro caſus, vitam amiſit. Filium autem ejus Patricium illum a filia Ariadna per repudium ſejunctum, in exilium miſit; & Ariadnam Zenoni, utpote qui inſidiatorem ſuſtuliſſet, conjugem dedit.* Hæc Nicephorus, qui in eo errat, dum Ariadnam Aſparis filio prius deſponſatam, deinde Zenoni traditam fuiſſe ſcribit, cum alii ſcriptores Ariadnam Leoni antea nupſiſſe tradant. Quare Leontiam alteram Leonis filiam Patricio Aſparis filio promiſſam ſive nuptam fuiſſe dicendum eſt, ut a Pagio aliiſque adnotatum eſt. In eo etiam erravit Nicephorus, cum Patricium Cæſarem in exilium a Leone miſſum fuiſſe ſcribit, quem cum Patre interemptum, Theophanes, aliique ſcriptores, uno Candido excepto, paſſim narrant. Hinc Damaſcius in Iſidori philoſophi vita apud Photium, Codice 242.: ait *Leo Rex Ducem Gothorum Aſparem, & filios, fraudulenter necavit.*

JESU CHR. AN. 469.

Pag. not. ad an. 470. not. 3. & not. 5. 471.

JESU CHR. AN. 469. *cavit*. Unum Hermenericum tertium Aſparis filium periculum evaſiſſe, utpote abſentem, Candidus, & Theophanes adnotant. De Hermenerico etenim ad ſequentem Chriſti annum hæc habet Theophanes: *Armenachus vero Aſparis junior filius, furtive ſubtractus, Zenonis conſilio fugam arripuit in Iſauriam miſſus, & a ſpurio Zenonis filio gener aſſumitur, qui tandem poſt Leonis obitum, Bizantium regreſſus, reliquum vitæ feliciter peregit*. Ardaburii & Aſparis interitus Gothorum potentiores ad iram ita excitavit, ut teſte Tehophane: *Oſtris Aſparis ſatelles, & Theodoricus Triarii filius, & Aſparis conjugis frater, necatorum ſanguinem ulturi cum armatorum copiis irruerunt in urbem, ac niſi Baſiliſcus ex Sicilia reverſus, Zeno pariter e Chalcedone, ubi Aſparis læti nuncium præſtolabatur, urbem præoccupantes, tuliſſent auxilium, & diſſipaſſent ſeditionum auctores, ingenti prorſus tumultu res omnes turbabantur*. Sed de his hactenus; quo ſolo exemplo, utinam diſcerent catholici Principes, quanto cum Reipublicæ periculo res publicas, ſive militares ſive civiles, hæreticis hominibus adminiſtrandas tradunt; quos ſæpiſſime proditorie, & hoſtiliter agere, experientia docuit.

Pag. not. 11. ad an. 471.

Leoni Imp. lex de ſeſtis, & Epiſcopor. electione.

3. Ad promerendam ſibi interea in tanto diſcrimine Divinitatem, octavo idus Maji, dignam chriſtiano Principe legem de Epiſcoporum electione, ac de ſimonia vitanda, Leo Imperator vulgavit, ac quinam præcipue eligendi eſſent, edocuit, ad Armatum Prefectum prætorio iſta reſcribens: *Si quemquam, vel in hac regia urbe, vel in exteris provinciis, quæ toto Orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum provehi, Deo auctore, contigerit, ſincero omnium judicio proferatur. Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur: quantum quiſquis mercatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ cauſa eſſe poterit excuſata, ſi veneranda. Dei Templa pecuniis expugnentur etc. Itaque*, poſt aliqua, *caſtus & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus, ut quocumque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profecto enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus*. Quare tanquam publici criminis, & læſæ Majeſtatis reos, publica perpetuaque infa-

Cod. l. 31. de Epiſc. & Clericis.

infamia eos notandos jubet, qui pecunia accepta, aliquem ordinaverit, vel data ſe ordinari fecerit. Lege autem altera idibus Decembris hoc eodem anno, Zenone & Marciano Coſſ. data, non ſolum forenſes ſtrepitus Dominicis diebus, aliiſque feſtis ſilere juſſit, ſed etiamTheatra, Circum, ceteraque ſpectacula prohibentur. *Cod. l. g. ultima de feriis.*

4. Ad hunc uſque annum chronicum ſuum Idacius perduxit, cujus initium ab anno Teodoſii Magni Imperatoris, unde deſierat Hieronymus, duxit, ab anno ſcilicet 379. Is porro deſinente ſeculo quarto *in Lemica civitate Provinciæ Gallaciæ ortus*, Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, & S. Hieronymum, dum puer eſſet, ſe vidiſſe in præfatione teſtatur. Epiſcopus Lemicæ fuit, cujus mentio a S. Leone Papa in epiſtola ad Turibium Aſturicenſem occurrit: *Si autem aliquid, quod abſit, obſtiterit, quo minus poſſit celebrari generale concilium, Gallaciæ ſaltem in unum conveniant Sacerdotes, quibus congregatis fratres noſtri Hidacius, & Ceponius imminebunt*, quem ſane pietatis & doctrinæ fama fulſiſſe patet; ad eumque Turibii Aſturicenſis extat epiſtola, qua de Priſcillianiſtarum ſecta cavenda, & Apocryphis Scripturarum libris non recipiendis admonet. Dum munere ſuo in eccleſia Aquæflavienſi fungeretur, irruentibus Svevis, in captivitatem ductus eſt: *Frumentius cum manu Svevorum, quam habebat, impulſus, capto Idacio Epiſcopo, ſeptimo Kal. Auguſti, in Aquæflavienſi eccleſia, eumdem conventum, grandi evertit excidio*; ipſe vero tribus in captivitate exactis menſibus liber dimittitur. Ad annum 490. de Idacii chronico hæc adnotat Sigebertus. *Idacius Lemicæ Hiſpaniarum urbis Epiſcopus, chronica ſua a primo Theodoſii conſulatu inchoata, huc uſque perduxit*. At ut a Pagio obſervatum eſt, quæ aliena manu poſt hunc annum ad Idacii chronicon addita fuerant, Idacio adſcripſit Sigebertus.

Idacius chronicum ſuum abſolvit.

S. Leo epiſt. 15.

In append. ad Leonis epiſt. 15.

JESU CHRISTI an. 470. Simplicii Papæ 3.
Leonis Imp. 14. Anthemii Imp. 4.
Coss. Severo et Jordane.

1. De Altero hujus anni conſule Occidentali, ideſt Severo Romano, narrat Damaſcius in vita Iſidori philoſophi apud Photium Cod. 242., eum Anthemio Imperatori, cui fami-

Num Anthemius Idolorum cultum reſtituere voluerit.

JESU CHR. AN. 470.

familiariſſimus erat, non ſolum Romanas res ſe reſtituturum promiſiſſe, ſed etiam Idolorum cultum revocaturum. *Anthemium Rom. Imperatorem Gentilem cum Severo, qui Idola adoraret, ſenſiſſe, quem ipſe conſulem deſignat, & inter ſe occulta conſilia agitaſſe de execrabili Deorum cultu redintegrando*. Falſo tamen Anthemium Imp. Ethnicum, Idolorumque cultorem fuiſſe ſcripſit Damaſcius, quem mendacem impiumque fuiſſe his verbis adnotat Photius. *Summe is impius fuit, & novis atque anilibus fabellis animum ſimul ac ſermonem refertum gerit. Quare & ſanctam fidem noſtram, tametſi timide, tectaque malevolentia, non tamen raro allatrat*. Severum quidem conſulem ethnicum fuiſſe Damaſcio damus; at de Anthemio Imp. idem dicere, res ab eo geſtæ, ac leges vulgatæ prohibent.

Phot. Cod. 181. p. 159.

Heraclii in Vandalos expeditio, cum Genſerico & Leone Imp. pax firmatur.

2. Leo interea Imperator, ut injuriam Romano nomini illatam vindicaret, cum anno 468. Genſericus Romanorum claſſem, exercitumque ad Africæ littora appulſum dejecit, incendit, ac fugavit; alteram adverſus Genſericum expeditionem paravit, Heracliumque, & Marſum eidem, non ſine fauſto feliciqueſucceſſu præfecit, de quibus Theophanes ad hunc annum audiatur: *Hoc anno Leo Imperator Heraclium Edeſſenum Flori Exconſulis filium, & Marſum Iſaurum Viros armis ſtrenuos, cum exercitibus ex Ægypto, Thebaide, & eremo collectis adverſus Giſericum miſit. Iſti ex improviſo Vandalos aggreſſi Tripolim, & alias Lybiæ civitates plurimas receperunt, & gravius multo, quam antehac navali prælio Baſiliſcus, Giſerici vires attriverunt: adeo ut de pace cum Imp. Leone ſancienda, Legationem mittere pararet, eamque demum a Leone obtinuit*. Hæc Theophanes, qui cum Baronii ætate nondum in lucem eſſet, eamdem expeditionem, & victoriam neceſſario præteriit; hanc etiam Heraclii expeditionem, cum altera, cui Baſiliſcus præfuit, confundere videtur Procopius. At diverſus annus a Theophane adnotatus, diverſuſque omnino exitus, eas diſtinctas fuiſſe probat.

Cabillonenſis ſynodus Joannem Epiſc. ordinat.

3. Circa hæc tempora Cabillone in Galliis ſynodum celebratam fuiſſe narrat Sidonius Apollinaris in epiſtola ad Domnulum, qua Joannes ejus loci Epiſcopus eſt ordinatus. Quare Domnulum ſuum excitat Sidonius, ut pro ejuſdem ordinatione exultet: *Illius nomine exulta, quem creaverunt Eu-*

Sidon. apoll. lib. 4 epiſt 25. Concil tom. 4. in append. p. 1820.

Euphronius teſtimonio, Patiens manu, ambo judicio. Cabillonenſi concilio præfuit Patiens Lugdunenſis Epiſcopus, qui cum provincialibus ſuis illuc migraverat, ut in locum Pauli demortui Epiſcopum ordinaret: *Variæ oppidanorum voluntates exceperunt provinciale concilium*, cum tres Cabillonenſi throno inhiarent. *Quorum hic antiquam natalium prærogativam, reliqua deſtitutus morum dote ructabat. Hic per fragores paraſiticos, culinarum ſuffragio comparatos, Apicinianis plauſibus ingerebatur. Hic apice votivo ſi potiretur tacita pactione promiſerat, eccleſiaſtica plauſoribus ſuis prædæ prædia fore*. Patiens autem, & Euphronius, communicato cum Epiſcopis conſilio, his tribus, utpote tanto honore indignis, repudiatis, Joannem ordinare conſtituunt; virum ſane virtutum omnium ornatiſſimum, qui lectoris officio primum perfunctus, deinde Archidiaconi, ob egregiam eo in munere eccleſiæ navatam operam, Sacerdos ordinatus fuerat. Quare ut Epiſcopatum obtineret, inter ceteros electus; eum *diſſonas inter partes voces, quæ differebant laudare non ambientem, ſed nec audebant culpare laudabilem. Stupentibus factioſis, erubeſcentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, collegam ſibi conſecravere*. Patiens ſcilicet, & Euphronius, ceterique Epiſcopi congregati; ſed de his hactenus ex Sidonio Apollinari.

Jesu Chr. an. 471.

JESU CHRISTI an. 471. Simplicii Papæ 4.
Leonis Imp. 15. Anthemii Imp. 5.
Coss. Leone Aug. IV. et Probiano.

1. His conſulibus Gennadius CP. Patriarcha cum annos 13. eam gubernaſſet eccleſiam, ab anno ſcilicet 458. ad labentem, e vita exceſſit, cui ante obitum eccleſiarum turbationem mox ſecuturam ſpectro quodam demonſtratam fuiſſe narrant Græci ſcriptores, Theodorus lector, Nicephorus, & alii: *Cum Gennadius noctu orandi gratia ad altare deſcendiſſet, dæmoniacum quoddam ſpectrum vidit, quod cum objurgaſſet, audivit illud exclamans in hæc verba: Se quidem ipſo ſuperſtite quieſcere, poſtea vero eccleſiam penitus vaſtaturum. Quod metuens Gennadius, cum Deum ardentiſſime precatus eſſet, paulo poſt e vita diſceſſit*. Gennadium autem non ſolum pietate, ſed doctrina, & ſcriptis claruiſſe, teſtis

Gennadii CP. Epiſc. obitus. *Theodor. lib. 1. cap. 16.*

Jesu Chr. an. 471.
Gennad. de ſcript. eccleſ. cap. 88.

teſtis eſt Gennadius alter, dum in catalogo virornm illuſtrium de eodem hæc adnotat: *Gennadius CP. Eccleſiæ Epiſcopus, vir lingua nitidus, & ingenio acer, tam dives in lectione antiquorum fuit, ut Danielem prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret, homilias etiam multas compoſuit; moritur ſub Leone ſeniore.* Marcellinus vero Comes in chronico, eadem de Gennadio commemorans, Epiſtolas quoque divi Pauli eum expoſuiſſe narrat, quem Græcorum Menologia inter Sanctos die 25. Auguſti recenſent. Cyrillo Alexandrino Epiſcopo eum totis viribus adverſarium fuiſſe, cujus anathematiſmos confutaverat, teſtis eſt Facundus, qui excerpta quædam ex eo in ſuos libros traſtulit. Inter cetera:

Facund. lib. 2. 4.

Væ mihi a malis, heu heu! Unde enim quiſquam in præſenti aliunde ſumat exordium. Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blaſphemias incurri, & quantas blaſphemias audivi etc. Gennadio ſucceſſit *Acacius Presbyter, & Orphanorum curator hæreticus*; ait Nicephorus lib. 15. cap. 23. Sed de Acacio, ac de eccleſiæ turbis ſub eo excitatis infra.

Leonis Imp. lex de monachis vagis, & tumultuantibus.
Cod. Juſt. de Epiſc. & clericis leg. 29.

2. Inter Leonis Imp. leges, quæ ad eccleſiæ diſciplinam pertinent, ea recenſenda eſt, qua hoc anno, dum adhuc Gennadius CP. Epiſcopus viveret, monachos vagos, ac tumultus paſſim inter populum excitantes, Kal. Junii his verbis coercuit: *Qui in monaſteriis agunt, ne poteſtatem habeant a monaſteriis exeundi; neve in Antiochia, neve in aliis civitatibus verſandi: iis ſolis exceptis, quos Apocriſarios, ideſt Procuratores vocant, quibus poteſtatem permittimus (ſi volent) per ſolas procurationes, eaſque neceſſarias, exeundi. Porro hi qui exeunt, caveant, ne de religione, aut dogmate diſceptent, aut conciliabulis quibuſdam præſint: aut turba excitata, ſimplices & manſuetos animos populi avertant: Scientes, quia quæ a noſtra pietate inſtituta ſunt contemnentes, legum ſeveritati ſubjicientur.* Huic legi tumultus Antiochiæ a Petro Gnapheo, ſive Fullone excitatos occaſionem dediſſe, & verba legis indicant, neque *in Antiochia, neve in aliis civitatibus verſandi*, ac paſſim ſcriptores produnt, de quibus nunc dicendum.

Petrus Fullo Antiochenam ſedem invadit.

3. Hic autem Petrus græce Gnapheus, latine Fullo dictus ex arte, quam antea exercuerat, in Monaſterio Acemetarum primo vitam duxerat, monachus inter monachos, tanquam inter Apoſtolos Judas; quem etiam: *Apud CPolim mo-*

monaſterium gubernaſſe, & hoc propter crimina derelicto, Antiochiam refugiſſe etc. narrat Liberatus. Inde vero ob Eutychianam hæreſim ejectus, Chalcedone in Templo Baſſæ Martyris presbyterium egit. Quo officio dum fungeretur, cum ante annos aliquot Zeno, qui Ariadnam Leonis Imp. filiam duxerat, Antiochiam proficiſceretur, cum eo illuc profectus eſt, cum Martyrius eam eccleſiam gubernaret, ait Liberatus: *Erat in ejus comitatu Petrus quidam cognomento Fullo Presbyter eccleſiæ S. Baſſæ Martyris, quæ eſt Chalcedone. Hic ſedis Antiochenæ cupiditate captus perſuaſit Zenoni, ut conatus ipſius adjuvaret. Conductis igitur quibuſdam ex Apollinaris ſecta, contra fidem, & contra Martyrium Epiſcopum plurimos tumultus excitavit, anathemati ſubjiciens eos, qui non dicerent Deum Crucifixum*; addiderat etenim triſagio hæc verba: *Qui Crucifixus pro nobis*. Cumque tumultus, turbaſque in populo excitaſſet; iiſque ſopiendis impar eſſet Martyrius Epiſcopus, nam Fullo Zenonis Orientis Præfecti protectione munitus, nec Deum, aut homines timens, nil non audendum putabat, Martyrius CPolim ad Imperatorem profectus eſt, ubi honorifice quidem opera Gennadii Epiſcopi exceptus eſt, cujus hortatu, ad ſopiendos tumultus Antiochiæ excitatos, ſupracitatam legem Leo Imp. vulgavit. At tumultus Antiochiæ a Fullone excitati eadem lege nequaquam extincti ſunt; quare cum Antiochiam rediiſſet Martyrius, Antiochenſes turbis delectari, & Zenonem iis favere animadvertens, Clero populoque valedicens, Epiſcopatui renunciavit coram univerſa eccleſia, hæc obteſtans: *Clero contumaci, & populo immorigero, & eccleſiæ contaminatæ renuncio, ſervata mihi Sacerdotii dignitate*; ait Theodorus, eademque Theophanes ad annum 463. uno contextu totam Petri Fullonis hiſtoriam uſque ad hunc annum texens.

Liberat. brev. cap. 18 pag. 122. ex editione Garnerii.

Theodor. lector lib. 1. 2. 20.

Theodor. ut ſup.

Petrus Fullo Antioch. ſedem invadit in exilium ejicitur.

4. Antiochia vix exceſſerat Martyrius, cum Petrus eam ſedem tyrannice invaſit, ſtatimque Joannem quemdam, qui antea ob hæreſim depoſitus fuerat, Apameæ Epiſcopum ordinavit; quæ cum Imperator a Gennadio didiciſſet, Petrum Fullonem continuo in exilium mitti juſſit. At hæc prævidens Fullo, ſeu potius a Zenone protectore ſuo admonitus, fuga exilium vitavit: *Ejus autem loco*, in Martyrii locum, *Julianus communi omnium conſenſu ad Epiſcopatum promotus*

Theodor. lector Theoph. ut ſup.

JESU CHR. AN. 471. *tus eſt*, ut Theophanes, & Theodorus lector narrant. Petrum tamen, quem fuga exilium evaſiſſe hi ſcriptores tradunt, Epiſcoporum ſententia damnatum, in Oaſim perductum fuiſſe narrat Liberatus; unde poſtea fugiens CPolim rediit, & data fide, ſe impoſterum a ciendis turbis abſtenturum, Antiochiam ſub Baſilio Imperatore rediiſſe, non multo poſt occupatam, Martyrio excedente, Antiochenam ſedem, *Continuo ab Epiſcopis damnatum, & Leonis Imperio Oaſim deportatum, qui fugiens rediiſſe dicitur CPolim, & dediſſe fidem, ſe per viliſſimas turbas nihil audere etc.* Eademque confirmat auctor breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum, ſeu de geſtis Acacii. *Continuo damnatum a Leone tum Principe in Oaſitanum exilium eſt directum, de quo lapſum CPolim rediiſſe, ac dediſſe fidem, quod nullas ulterius turbas facere prorſus auderet etc.* Qua fide hæc ſervaverit, ſeu potius quanta perfidia hæc juraverit, ex dicendis inferius conſtabit, atque ex his interea vides lector, quanto cum catholicæ fidei periculo, ſub catholico etiam Imperatore, hæreticorum impietas, Zenonis Orientis Comitis protectione munita, deliiuerit, ſuo demum tempore in apertum proditura, uti ex dicendis inferius conſtabit.

Liberat. c. 18.

Apud Labb. tom. 4. Concil. pag. 1082.

Infelix Occidentalis Imp. ſtatus.

5. Quo tempore Orientalibus eccleſiis ab Eutychiana hæreſi, quæ clanculum inter Epiſcopos, viroſque Principes ſerpebat, infauſtum parabatur bellum, Arianorum factio in Oriente, Aſparis & Ardaburii interitu repreſſa, validior in Occidente Gelimeris perfidia exurgebat, ac Occidentali Imperio nutanti, ac viribus debilitato, excidium parabat; quare divinæ potentiæ, Chriſtique promiſſionibus, quibus dictum eſt, *Portæ inferi adverſus eam*, ideſt eccleſiam, *non prævalebunt*, adſcribendum eſt, quod catholica fides penitus extincta non fuerit, cum in toto, quo late patebat Occidentale Imperium, excepta Italia, Ariani Principes imperarent. Hiſpaniæ etenim Svevorum Regis Ariani jugo premebantur, vel Ævarici Ariani, cui etiam Galliarum pars maxima ſerviebat. In Africa Genſericus Arianus pariter, & Catholicorum infenſiſſimus perſecutor dominabatur. Italia vero etſi catholicum Principem Anthemium haberet, Ricimeris nihilominus Ariani tanta erat auctoritas, ut non ſolum poſt Imperatorem ſecundus haberetur, ſed etiam ipſe Imperatores pro lubitu crearet, aut exauctoraret; paulo poſt vero, ideſt quin-

Digitized by Google

quinquennio vix exacto, Anthemio, Olybrio, Glicerio, Nepote, & Romulo Auguſtis ſublatis, Italicum Regnum Odoacer natione Gothus & Arianus, Herulorum dux occupavit; atque ita uſque ad Clodovei Francorum Regis Ethnici ad Chriſti fidem converſionem, nullus in toto Occidentali Imperio catholicus Princeps numeratur; unde res mira, quin divina fuit, quod catholica fides Romæ & in tota Italia, ſed etiam in Galliis, & Hiſpaniis non ſolum retenta fuerit, ſed etiam dominatum quemdam, ac dignitatem ſervaret, Chriſto Deo eam tuente, qui dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* JESU CHR. AN. 471. *Matt. cap.*

6. Occidentalis Imperii calamitates nunc proſequimur. Ut Ricimerem arctiori ſibi vinculo copularet Anthemius Imp., utque ſibi Imperioque ſecuritatem, firmitatemque procuraret, Euphemiam filiam ſuam eidem nuptui tradiderat; ut vel ſaltem ſanguinis neceſſitudine in officio contineretur. At perfidi perverſique ingenii vir Ricimeres, nec Imperii majeſtatem reveritus, & ſanguinis cognationem pro nihilo ducens Anthemio Imperatori & Socero inſidias moliri aggreſſus, Imperii pacem, tranquillitatemque turbavit. Quænam ſocerum inter & generum diffidii cauſſæ præceſſerint, ignoratur; hoc unum ſcimus, detectis inſidiis a Ricimere adverſus Anthemium paratis, Ricimerem Mediolanum aufugiſſe, ac arma, exercitumque comparaſſe; ob quam rem, ut in vita S. Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi narrat Ennodius, cum ad civile bellum deducta res eſſet, pacis ſequeſter, Romam a Ricimere miſſus eſt Sanctus Epiphanius: *Apud Richomerem Patricium. Mediolani ea tempeſtate reſidentem, fit collectio Ligurum nobilitatis, qui flexis genibus, ſoloque proſtrati pacem orabant Principum.* Supplicum lachrymis permotus Richomer, concordiæ redintegrationem pollicetur Epiphanio, qui nuper ad Ticinenſis dignitatem Præſulis evectus fuerat, ob quam rem a Richomero ad Anthemium legatus miſſus eſt, cui in urbem accedenti obviam procedunt officia tota palatina. Convento Principi adventus ſui cauſas exponit Epiphanius; Richomerem orare pacem, pulcherrimam omnium victoriam illam eſſe, quæ de iracundia reportatur: nobiliorem triumphum, qui ſine ſanguine obtinetur. Ad hæc Anthemius, non ſine gemitibus: ſe pro quiete communi Pellito Getæ, ideſt Richomeri, filiam dediſſe

Ricimeris cum Anthemio diſſidia componuntur.

Apud Surium, & Bolland. 21. & 22 Januarii.

-nup-

Jesu Chr. an. 472. nuptum, dixit: *At quoties majoribus donis cumulatus eſt Richomer, toties gravior inimicus apparuit*. Pacem tamen negare noluit a Sacerdote poſtulatam: *Gratiam*, inquit, *quam ſupplicanti & profuſo per ſe Richomeri negare diſpoſueram, per te primus exhibeo*. Martii die nono urbe egreſſus, ut Paſchatis ſolemnitati vigeſimo octavo celebrandæ intereſſet, tanta celeritate iter confecit Epiphanius, ut quarto decimo Ticinum ingrederetur: *Lætæ urbis tripudia, attonito Richomeri indicantur; pacem factam conſono omnes ore clamabant*, ut pluribus de ea legatione Epiphanii in ejus vita narrat Ennodius. Pacem ſimulaſſe Richomerem, ut imparatum facilius Anthemium opprimeret, anni ſequentis geſta monſtrabunt.

JESU CHRISTI AN. 472. SIMPLICII PAPÆ 5.
LEONIS IMP. 16. OLYBRII IMP. 1.
COSS. MARCIANO ET FESTO.

Epitaphium Prætextati, & Prætextatæ. *Apud Bar. an. 472.*

I. Hujus anni Conſules fuere Marcianus & Feſtus, quorum primus Orientalis, de quo apud Anaſtaſium in Symmaco Papa; *Feſtus caput Senatus, exconſul* dicitur. Feſti conſulis mentio occurrit in epitaphio ſepulchrali Pretextati exquæſtoris ſacri Palatii, in hæc verba:

Hic Requieſcit in Pace Prætextatus V. I.
Exquæſtor SC. P. D̄P. *VII. Idus Octob.*
Feſto V C *Conſ.*

Patris epitaphio de ejuſdem filia hæc ſequuntur:

Filia ejus Prætextata C̄E D̄P *XV. Kal.*
Aug. Decio V C *Conſ.*

Aliam quoque Prætextatæ inſcriptionem exhibet Montfoconius Diario Italico pag. 161. in hæc verba

. . . . *Pace Prætextata Virgo*
. . . . *D. Aug. Conſ. Ruſtici & Olybrii*
. . . *Pace Dep. V. Id. Mart.*
. . . . *Baſilici & Herminerici*

Ex

Ex his autem inſcriptionibus conſtat, Prætextatos olim chriſtianæ Religionis hoſtes, & irriſores, ut in Damaſi ordinatione adnotavimus, tractu temporis, Idolis abdicatis, chriſtianam fidem ſuſcepiſſe.

Anthemius Imp. a Ricimere occiditur.

2. Perfida manu, Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi opera, cum Anthemio Ricimerem pacem firmaſſe, anno proximo diximus; & ſane ficta pax in apertum mox bellum prodiit, quo Anthemius Aug. longiori Imperio, meliorique fortuna dignus, ab ipſo Richimere genere ſuo victus, interiit. Rem geſtam præceteris auctor Miſcellæ narrat; hoc unum adnotaſſe ſufficiat, Ricimerem cum exercitu inopinato adventaſſe; obſeſſamque Urbem, fame & peſtilentia diu laborantem cepiſſe, factaque civium ſtrage, direptiſque theſauris, Anthemium ſocerum ſuum interfeciſſe; unde Anonymus a Cuſpiniano editus his Coſſ. *Bellum civile geſtum eſt Romæ inter Anthemium Imp., & Ricimerem Patricium, & levatus eſt Romæ Imperator Olybrius; occiſus vero Imp. Anthemius V. idus Julias*. Eademque de Anthemii interitu Caſſiodorus, & Theophanes in chronico, qui addit, obſidionis tempore tantam in urbe fuiſſe victus penuriam: *ut coriis aliiſque cibis inſolitis non parcerent* Imperatoris milites. Tanta porro tunc Romanorum ſtrages facta eſt, ut urbs ſubverſa pene dicatur a Gelaſio Papa, in ſuo adverſus Lupercalia libro his verbis; *& nuper cum Anthemii, & Richomeris civili furore ſubverſa eſt, ubi ſunt Lupercalia? cur iſtis minime profuerunt*. Optimam ſuiipſius famam reliquit Anthemius, de quo ſcripſit merito Theophanes, pie admodum Romanum Imperium adminiſtraſſe, cujus etiam edicta aliquot ſuperſunt, quæ æquitati eum, pietati, & juſtitiæ ſtuduiſſe demonſtrant. Inter cetera Julia quædam illuſtris femina, cum liberto matrimonium duxerat, quod cum mulieris cognati, tanquam irritum ſolvere conarentur, ad Eccleſiam mulier confugiens, Imperatoris protectionem imploravit. Is vero hæc quidem fieri lege lata prohibuit. *Cum ſervis*, inquit, *& libertis dominas, & patronos ineundi matrimonia facultatem habere prohibemus*. At quæ hactenus ante ſecundum ſuum conſulatum, quo ea lex data fuit, anno ſcilicet 468. *legitima firmitate non careant*, addidit. In Anthemii quoque laudem ceſſit, quod ea animi moderatione, & modeſtia erat, ut etſi Occidentale Imperium adminiſtrandum ſuſcepiſſet, Leonem

Apud Murat. tom. 1. rerum Ital. ſcript.

Labb. concil. tom. 4. pag. 1238.

Jesu Chr. An. 472.

nem nihilominus Imperatorem, cujus opera eam obtinuerat dignitatem, tanquam patrem, & patronum veneraretur, ita ut leges a ſe latas confirmandas, ac in rebus dubiis conſulendum cenſuerit; unde hæc in ejus laudem commemorat Leo Auguſtus: *Pius ac triumphator ſemper Auguſtus noſter Anthemius, licet divina Majeſtas, & noſtræ creatio pietatis ejus plenam Imperii commiſerit poteſtatem, tamen prudenti, & cauta, qua pollet æquitate, per ſacros adfatus nos credidit conſulendos*. Ea conſultatione ortum eſt edictum, ut vacantum bonorum donationes firmæ ſint; qui vero probaverit ex legitima ſucceſſione ſibi devoluta fuiſſe, communi legum auxilio fruatur; cum nihil bonis liceat Principibus, quod non licet privatis. Aurea quidem ſententia, Principum mentibus, eorumque aſſentatoribus perpetuo ante oculos habenda. Romanis nihilominus inviſus fortaſſe erat Anthemius, quod Græcum hominem Romanis imperare, novo exemplo ægre ferebant. Imperium itaque tenuit Anthemius per annos quinque, menſes tres a die 12. Aprilis anni 467. ad uſque diem undecimam Julii labentis anni. Filios etiam ſuperſtites reliquit, Marcianum ſcilicet, ex Leonis Imp. filia genitum, Romulum, atque Procopium, ex quibus nemo Imperium obtinuit, aut patri in Auguſtea dignitate ſucceſſit.

Cod. Juſtin. Novell. num. 39.

Olybrius Anthemio ſuccedit, ejus obitus.

3. Anthemio ſucceſſit Olybrius, ex Anicia gente inter Romanos nobiliſſimus, Hunnerici filii Genſerici Vandalorum in Africa Regis cognatus, quippe qui Placidiam Valentiniani Imp. filiam duxerat, cui ea de cauſa præceteris Imperium debebatur. An autem a Ricimere Imperium obtinuerit, vel a Romanis electus, aut a Leone Imperatore ad id miſſus fuerit, ignoratur; hoc unum ex Anonymo Cuſpiniani conſtat, breviſſimum ejuſdem Imperium fuiſſe, ob id ſolum clarus, quod in purpura obiit, poſt menſes tres, dies 13. *Defunctus vero eſt Imp. Olybrius Romæ decimo Kal. novemb.* ait ſupracitatus Anonymus. Veneno aut ferro aut morbo obierit, incertum, eoque ſublato; *Gundibaldus patricius factus eſt ab Imperatore Leone*, ait idem auctor, ejuſdemque Gundibaldi hortatu, Glicerius purpuram, & Imperium ſumpſit anno ſequenti, ait Caſſiodorus in cronico, de quibus ibidem ſermo fiet.

Ricimeris obitus.

4. Ante Olybrium vivendi finem fecerat Ricimeres. de-

deſunctus vero eſt Ricimeres decimoquinto Kal. Septemb., ait Cuſpiniani Anonymus, diebus 38. poſt Anthemii interitum vix elapſis. Sic igitur Fax Occidentalis Imperii, perfidus Arianus, ſero licet, debitas perfidiæ pœnas dedit; hic ille ſacrilegus Arianus, addit Baronius, qui cum tantam ſibi in Romanum Imperium uſurpaſſet auctoritatem, invitis licet ipſis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, tirannica tamen auctoritate in Urbe ſibi Eccleſiam vendicarat, in quam cum ſuis Arianis Gothis militibus conveniret. Fuit illa quidem titulo ſanctæ Agathæ ad radices Quirinalis montis contra Viminalem poſita, parva licet, ab ipſo tamen Ariano ornata Catholico more; etenim ejus apſidem marmorum cruſtis, & imaginibus ſacris Salvatoris, ac duodecim Apoſtolorum ex muſivo egregie nobilitavit. Permanſit opus uſque ad tempora noſtra, cum nimia vetuſtate fatiſcens apſis ipſa, ante quinquennium improviſa ruina collapſa funditus periit; quam vir egregius Romanæ Eccleſiæ ornamentum, ejus Eccleſiæ Diaconus Cardinalis Federicus Borromæus mox reſtituit a fundamentis. Erat autem in ejuſdem apſidis emicyclo ex muſivo opere ejuſmodi inſcriptio. *Fl. Ricimer V. I. magiſter utriuſque militiæ, Patricius, & ex Conſul. Ord. pro voto ſuo adornavit.* Quid vero acciderit, cum a Chriſtianis Catholicis eadem Eccleſia, pulſis Arianis, vendicata eſt, & a ſancto Gregorio ſacris expiata, Catholicorumque uſui reddita fuit, idem Gregorius narrat, & nos ſuo loco dicemus.

Jesu Chr. an. 472. Bar. n. 10.

5. In tanta Occidentalis Imperii turbatione, Avaricus Gothorum Rex regnum ſuum in Galliis augere conatus eſt, ac Romanorum mutuis ſeditionibus bene utens: *Gallias ſuo jure niſus eſt occupare*, ait Jornandes: *Quod comperiens Anthemius Imperator, protinus ſolatia Britonum poſtulavit. Quorum Rex Rinthimus cum duodecim millibus veniens, in Biturrigas civitatem Oceano e navibus egreſſus, ſuſceptus eſt. Ad quos Rex Viſigothorum Euricus innumerum ductans exercitum, advenit, diuque pugnans, Rinthimum Britonum Regem, antequam Romani in ejus ſocietate conjungerentur, ſuperavit: qui ampla parte exercitus amiſſa, cum quibus potuit, fugiens ad Burgundionum gentem vicinam Romanis in eo tempore fœderatam advenit.*

Evaricus Gothorum Rex in Galliis regnum dilatat. *Jornand de reb. Geth. c 45.*

6. Avitus Apollinaris Arvernenſis Epiſcopus hoc tempore ordinatus eſt. Vir ea ætate, ob pietatem, eruditionem, ſan-

Sidonius Apollinaris quis eſſet.

JESU CHR. AN. 472. ſanguiniſque claritatem nemini ſecundus. Lugduni natum fuiſſe, ejuſdem ad Candidianum epiſtola teſtatur. Anno 431. circiter in lucem editus, patrem habuit Præfectipraetorio dignitate fulgentem, uti ad Nammatium ſcribens narrat: *Audivi adoleſcens cum pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis tribunalibus præſideret*. Optimam educationem nactus, Hoenio in Poetica, Euſebio in Philoſophia Magiſtris uſus eſt, tantoſque progreſſus fecit, ut clarus Poeta haberetur. Uxorem ſanguine & virtutibus marito non imparem Papianillam, Aviti, qui poſt Maximum Imperator creatus eſt, filiam duxit, ex qua liberos complures ſuſcepit. Gratulatus enim ipſi, quod frater Edicius ad patriciatum honorem aſcenderat, ſubjungit: *Concordiam parem noſtris, ſuiſque liberis exopto*. Tres fuiſſe vulgo creditur, filium ſcilicet, duaſque filias, quarum una Roſcia vocabatur. Avito ſocero ſuo, poſt ubi Imperator dictus eſt, Panegyricum dicavit. Aviti partibus cum adhæſiſſet adverſus Majoranum, Lugdunum defendendum ſuſcepit. Majorani tamen viribus impar, urbem obſidenti reddere coactus eſt:

Sidon. lib. 1. epiſt. 8.
Lib. 8. epiſt. 6.

Fuimus veſtri quia cauſa triumphi,
Ipſa ruina placet.

Neque quod Lugdunum Sidonius defendiſſet, provocavit Principis indignationem, quin benigne excepit, ubi victor civitatem obtinuit, ut Panegyrico Majorani laudes anno 458. celebraverit. Cum Majoranus Arelati eſſet, apud eum Sidonius accuſatus eſt, quaſi ſatyras ſcriberet, ad quem Princeps converſus: *Audio* ait, *Comes Sidoni, quod ſatyram ſcribas*. Cui reſpondit: *Et ego hoc audio, Domine Princeps*. *Tunc ille, ſed ridens, parce vel nobis*. Ut accuſationem diſſolveret, rogat Sidonius, ut accuſator vel objecta probaret, vel ſibi concederetur in illum ſcribere quæ vellet, quod & Majoranus conceſſit, ſi e veſtigio verſibus peteretur. Tum in promptu Sidonius:

Scribere me ſatyram qui culpat, maxime Princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet, aut timeat.

Romam anno 467. profectus, Cecinæ Baſilio in familiaritatem ve-

JESU CHR. AN. 472.

venit, ejuſque hortatu in Authemii laudem orationem recitavit, cujus ſupra mentionem fecimus. Quo panegyrico cum Imperatoris ſibi favorem conciliaſſet, Præfectus Senatus factus eſt, ac ſtatuam in Trajani fori bibliotheca promeruit. Hæc de nobiliſſimo viro civilibus honoribus perfuncto; nunc de Epiſcopatu, rebuſque in Eccleſia geſtis dicendum reſtat.

Sidonius Apollinaris Arvernenſis Epiſc. ordinatur.

Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 22.

Pag. not. 5. ad an. 473. Baſnag. an. 473. 4.

7. Itaque Eparchio Arvernenſi Epiſcopo defuncto: *Sidonius ex Præfecto ſubſtituitur, vir ſecundum ſeculi dignitatem nobiliſſimus, & de primis Galliarum Senatoribus.* Cujus ordinationem etſi ad annum ſequentem differendam cenſeant Pagius, & Baſnagius; nil tamen prohibet, quin ad labentem figatur, nam ut ad rem adnotat Tillemontius, ea annorum ſeries ex Quinquennalibus deducta, cujus S. Lupus Trecenſis in epiſtola ad Sidonium meminit, de uno aut altero anno quæſtionem definire non eſt, ut pluribus in ea immorari oporteat. Quare Epiſcopus hoc, vel ſi mavis anno ſequenti, ordinatus, mores ſuos ita compoſuit, ut perfectiſſimi Sacerdotis imaginem præſeferret, ad quem ea de cauſa ſanctiſſimorum extant Epiſcoporum gratulatoriæ epiſtolæ; inter eos Lupus Trecenſis Epiſcopus magni nominis vir recenſetur, & in Epiſcopatu longa annorum ſerie celebratus, annos quippe 45. in Epiſcopatu exegerat, cum ad ejus gratulatorias epiſtolas reſcripſit Sidonius, ut his verbis teſtatur: *Cum primo poſt deſudatas in militiæ Lirinenſis excubias, & in Apoſtolica ſede novem jam decurſa quinquennia, utriuſque ſanctorum ordinis, quemdam te conclamatiſſimum Primipilarem ſpiritualia caſtra venerentur.* Inter ceteras ejus dotes, cum humilitate præſtaret, factus Epiſcopus, ſe tanto honori & oneri imparem eſſe ſæpe conqueſtus eſt. Ne multa afferantur, ad Apollinarem primo Epiſcopatus ſui anno hæc ſcribebat: *Ego infelix conſcientiæ mole depreſſus, vi febrium nuper extremum ſalutis acceſſi, utpote cui indigniſſimo tantæ profeſſionis pondus impactum eſt: Qui miſer ante compulſus docere, quam diſcere, & ante præſumens bonum prædicare quam facere, tanquam ſterilis arbor; cum non habeam opera pro pomis, ſpargo verba pro foliis.* Hæc de ſe ipſo Sidonius, qui ad Fauſtum nuper Rejenſem Epiſcopum ordinatum, ubi eum impenſe laudavit, quod Sacerdos ordinatus, monaſticæ vitæ ſeveritatem non immutaverit, ut pro ſe precaretur,

Sidon. lib. 5. epiſt. 3.

Lib. 9. epiſt. 3.

 eni-

enixe hortatur, *ut portio noſtra ſit Dominus, atque ut adſcripti turmæ Levitarum, nec remaneamus terreni, quibus terra non manet, inchoemuſque ſicut a ſeculi lucris, ſic quoque a culpis peregrinari*. Hæc, aliaque plura de ſe ipſo Sidonius, quem in omni virtutum genere refulſiſſe Gregorius Turonenſis, aliique paſſim tradiderunt.

Bituricenſis ſynodus, qua Simplicius Epiſc. ordinatur.

8. Initia Epiſcopatus ſui Simplicii Bituricenſis Epiſcopi ordinatione illuſtriora reddidit Sidonius. Ad ordinationem Bituricenſis Epiſcopi invitatus, cum illuc acceſſiſſet, eam eccleſiam in maxima perturbatione invenit: *Quæ nuper viduata paſtore, utriuſque profeſſionis ordinibus quoddam claſſicum cecinit. Fremit populus per ſtudia diviſus, pauci alteros, multi ſe ſe non offerunt ſolum ſed inferunt, & niſi immerito quæri judicaretis, dicere auderem, tam præcipitis animi eſſe pleroſque, tamque periculoſi, ut ſacroſanctam ſedem, dignitatemque affectare oblato pretio non reformident; & rem jamdudum in nundinam mitti actionemque potuiſſet, ſi quem paratus inveniſſet emptor, venditor tam deſperator inveniretur*, ait Sidonius in epiſtola ad Agræcium Senonenſem Metropolitanum, quem propterea ad Bituricenſis Epiſcopi ordinationem invitat, quia etiam *Provincialium Epiſcoporum deficimur* numero, ait Sidonius, eo quod *de urbibus Aquitanicæ primæ, ſolum oppidum Arvernam Romanis reliquum partibus bella fecerunt*. Agræcium itaque etſi alienæ provinciæ Metropolitanum, ut ſine mora illuc pergat, hortatur, cujus arbitrio rem integram hactenus ſervaſſe commemorat, ad eamque ordinationem epiſtola altera Euphronium Auguſtodunenſem

Lib. 7. epiſt. 4.

quoque invitavit, ac de Simplicio ordinando, quem populus etiam poſtulabat, conſilium petit. Cum itaque clerus, populuſque Bituricenſis in varias, ut audivimus, partes diſtraheretur, ac Epiſcopi congregati, quid agerent, pene ignorarent, in unius Sidonii electionem res tota devolvitur; unde Sidonius in oratione in Simplicii ordinatione ad clerum populumque Bituricenſem coram congregatis Epiſcopis habita,

Labb. concil. tom. 4. pag. 1824.

hæc de electionis munere ſibi delegato adnotat: *Adjicitur huic impoſſibilitati pondus pudoris, quod mihi peculiariter paginæ decretalis oblatæ Pontificis eligendi mandaſtis arbitrium, coram ſacroſancto & Pontificatu maximo digniſſimo Papa, qui cum ſit ſuæ provinciæ caput, ſit etiam mihi inſtitutione facundia, privilegio, tempore, ætate præſtantior: ego deque, coram*

coramque Metopolitano verba facturus & provincialis & junior, pariter fero imperiti verecundiam, procacis invidiam. Sed quoniam veſtro ſic libitum errori, ut ipſe prudentia carens, prudentem vobis in cujuſque perſonam bona multa concurrant, ſub ope Chriſti Epiſcopum exquiram, noveritis hujuſmodi aſſenſu multum me honoris, plus oneris excipere.

JESU CHR. AN. 472.

Quam difficilis ſit electio Epiſcoporum ex Sidonii ſententia.

9. Hæc aliaque plurima de injuncti ſibi officii difficultate præfatus hæc alia addidit: *Si quempiam nominavero monachorum quamvis illum Paulis, Antoniis, Hilarionibus, Macariis conferendum, ſectatæ anachoreſeos prærogativa comitetur: aures illico meas incondito tumultu circumſtrepitas ignobilium pupilionum murmur evertebat conquerentium. Hic qui nominatur, inquiunt, non Epiſcopi, ſed potius Abbatis complet officium, & intercedere magis pro animabus apud celeſtem Judicem. Sed quis non exacerbeſcat, cum videat ſordidari virtutum ſinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abjectus. Si proferimus erectum, ſuperbire cenſetur. Si minus inſtitutum, propter imperitiam creditur irridendus. Si aliquatenus doctum, propter ſcientiam clamatur inflatus. Si ſeverum, tamquam crudelis horretur. Si indulgentem, facilitate culpatur. Si ſimplicem, deſpicitur ut brutus. Si acrem, vitatur ut callidus. Si diligentem, ſuperſtitioſus decernitur. Si remiſſum, negligens judicatur. Si ſolertem, cupidus. Si quietum, pronunciatur ignavus. Si abſtemium producimus, avarus accipitur. Si eum qui prandendo paſcat, edacitatis impetitur. Si eum qui paſcendo jejunat, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant: verecundiam pro ruſticitate faſtidiunt: rigidos ob auſteritatem non habent caros: blandi apud eos communione vileſcunt. Ac ſi apud eos utrolibet genere vivatur: ſemper hi tamen bonarum partium mores, pungentibus linguis maledicorum, veluti bicipitibus hamis inuncupabantur. Inter hæc monaſterialibus diſciplinis ægre ſubditur vel popularium cervicoſitas, vel licentia clericorum. Si clericum dixero, ſequentes æmulantur, derogant antecedentes.* Et poſt nonnulla adverſus eos, qui diuturnitate clericalis miniſterii, non prærogativa meritorum cæteris ante habendos eſſe clamabant, hæc ſubdit: *Si militarem dixero forte perſonam*, quæ nimirum palatina militia aut Præfectura aliqua emineret: *Protinus in hæc verba conſurgitur. Sidonius ad clericatum, quia de ſæculari profeſſione translatus eſt, ideo ſibi aſſumere*

JESU CHR. AN. 472.

mere Metropolitanum de religioſa congregatione diſſimulat: natalibus turget, dignitatum faſtigiatur inſignibus, contemnit pauperes Chriſti. Hæc & alia in eam rem Sidonius, ut difficultatem in electione Epiſcopi ſibi delegata demonſtraret; eumque ita in dicendo eloquentem fuiſſe narrat Gregorius Turonenſis, *ut plerumque ex improviſo luculentiſſime, quæ voluiſſet, nulla obſiſtente mora componeret*; hinc cum quadam die ad feſtivitatem quamdam invitatus acceſſiſſet, ablato ſibi per invidiam libro, quo ſancta myſteria peragere conſueverat; nihilominus opus ita perfecit, *ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adſtantibus ibidem hominem locutum fuiſſe ſed Angelum. Quod in præfatione libri, quem de miſſis ab eo compoſitis conjunximus, plenius declaravimus*, ait ſupracitatus Turonenſis.

Greg. Turon. lib. 1. 22.

Eudocia junior exAfrica fugiens Hieroſolymam petit, ibique obiit.

10. Egregium fortitudinis exemplum Eudocia junior, Hunnerico Genſerici Vandalorum Regis filio nupta exhibuit, dum inſcio invitoque marito ex Africa aufugiens, Hieroſolimam perrexit, ubi paulo poſt obiit; de quibus ad hunc annum hæc narrat Theophanes: *Junior Eudocia Theodoſii neptis, annis jam ſexdecim cum Honorico conjuge in Africa exactis, & puero Ilderico ex ejus amplexibus ſuſcepto, Virum, ceu Arianum averſa occaſione ſe ſe ultro offerente, fugam arripit, & Hieroſolyma dirigit iter; tum venerandis locis Chriſtiano ritu adoratis, ſalutato etiam aviæ ſepulchro, cum paucos dies in ſancta Urbe moram feciſſet, bonis ſuis omnibus ſanctæ Reſurrectionis ædi teſtamento relictis, Curco inſuper, cujus opera & auxiliis, velut ſibi fidiſſimi, dum Honorichum conjugem fugeret, uſa fuerat, cum liberis Archiepiſcopo Hieroſolymorum commendato, in pace animam efflavit*. Idem habet Zonaras, qui eam Conſtantinopolim, indeque Hieroſolymam ex Africa profectam refert, quod & veroſimilius eſt; juxta Aviæ tumulum in præclaro monumento reconditam fuiſſe, addit Nicephorus.

Niceph. lib. 15. 12.

Veſuvii horrenda eruptio & incendium.

11. Horrendum Veſuvii incendium hoc anno accidiſſe narrat Marcellinus in chronico his verbis: *Veſuvius mons Campaniæ torridus inteſtinis ignibus æſtuans, exuſta evomit viſcera, nocturniſque in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris annue celebrant octavo Idus Novembris*. Conſtantinopolitani videlicet; eo enim uſque violentus perlatus eſt, & dilapſus ma-

magno omnium timore cinis: nam Procopius tantæ rei anniverſariæ memoriæ his verbis meminit: *Ferunt namque cum in Byzantium ſemel cinis hic* (e Veſuvio egreſſus ſcilicet) *recidiſſet, ſic ejus loci homines terruiſſe, ut ex eo tempore ad noſtram ætatem annuis Deum ſupplicationibus placent. In Tripolique item Libyæ altero, & ſubſequenti anno illapſum affirmant.* Hæc & alia de his Procopius, quem fortaſſe hæc exageraſſe credi poteſt, dum Veſuvii cineres CPolim uſque pervolaſſe narrat. Ceterum ultramare Adriaticum, aut Lybicum ignitas cineres aliquando perveniſſe noſtra etiam ætate ſcribit Muratorius; de vetuſtis vero temporibus auctor eſt Caſſiodorus ad Fauſtum Præfectum ſcribens, non ſemel ad ultramarinas oras cineres ſuos Veſuvium jactaſſe: *Volat per mare magnum*, inquit, *cinis decoctus, & tetris nubibus excitatis, transmarinas quoque provincias pulvereis guttis compluit*. Quis porro tanto auctori, res ſuorum temporum ſcribenti fidem negare poteſt? Quare Bodinum hæc tamquam fabulas explodentem, temeritatis merito Baronius arguit. Atque hoc ipſo, quo hæc ſcribimus anno 1779. non ſolum igneos globos, & cineres evomuit, ad multa milliaria, ſed lapidum etiam ingentes moles.

Jesu Chr. an. 472.

Murat. annal. ad an. 472. Caſſiod. variarum lib. 4. cap. 50.

12. Hoc anno Leonis Imp. 16. magnus Eutymius Archimandrita, cujus ſæpe mentionem fecimus, ſanctitate & miraculorum gloria præclarus ad Deum abiit; cujus res geſtas Cyrillus monachus ejus diſcipulus poſteritati tradidit. Natus erat anno 377. Gratiano & Merabaude Coſſ., patriam in Melitene habuit; parentes vero Paulum, & Dionyſiam, quæ cum ſterilis eſſet, una cum viro Polyeucti Martyris templum ingreſſa, fuſis precibus, ut mater fieri mereretur, bono animo eſſe, ac filium ſuo tempore habituram, divina revelatione cognovit; quo ſuſcepto ſancteque educato, cum adolevit, a Melitenenſi Epiſcopo invitus presbyter eſt ordinatus, & provinciæ monaſteriis præpoſitus. Quietis autem, & ſolitudinis deſiderio flagrans, anno ætatis ſuæ 29. clam ex urbe egreſſus, Hieroſolymam proficiſcitur, indeque ad Lauram ad Pharan montem, ſex milliaribus ab urbe diſſitam, in deſertum deinde ingreſſus ſpeluncham pro domo habitavit; quæ temporis tractu confluentibus ad eum monachis, in Monaſterium converſa eſt. Interea anno Euthymii 75. cum Chalcedonenſe concilium celebratum fuiſſet, ejuſdem auctorita-

Euthymii monachi obitus. *Sur. Belland. die 20. Januarii; Cotelerii monum. eccleſiæ Græc. tom. 2.*

JESU CHR. AN. 473. ritatem mordicus, totiſque viribus tuebatur Euthymius; ut cum de Eudoxiæ ſenioris geſtis egimus, ſupra adnotavimus; cumque ad annum uſque nonageſimum nonum in vita fuiſſet; tandem hoc anno Leonis Imp. 16. die Sabbati 22. Januarii, in pace obdormivit, cujus funeri interfuit Anaſtaſius Hieroſolymorum Epiſcopus, ac honorificentiſſima ſepultura donatus eſt; ejuſque memoria die 20. Januarii ſingulis annis recolitur.

JESU CHRISTI AN. 473. SIMPLICII PAPÆ 6.
LEONIS IMP. 17. CLICERII IMP. 1.
COSS. LEONE AUG. V. SINE COLLEGA.

Glycerius Imperium Occidentale obtinet.

1. Poſt Olybrii obitum, de quo anno proximo egimus, per menſes aliquot Occidentale Imperium nullum habuit Imperatorem; at dum tanti momenti res inter Senatum & Leonem Imp. agitaretur, Glycerius *hortante Gundebado Ravennæ ſumit Imperium*, ait Caſſiodorus ad hunc annum. Abſque Senatus populique conſenſu Imperium invaſiſſe magis, quam obtinuiſſe, clarius indicat Marcellinus his verbis: *Glycerius apud Ravennam plus præſumptione, quam electione Cæſar eſt factus*. Inaugurationis diem Cuſpiniani chronographus ad hunc annum adnotavit: *Levatus eſt Imperator Glycerius Ravennæ, tertio Nonas Martii*. Glycerii Imperium breviſſimum, ad uſque menſem Junium anni ſequentis, fuit. Nam Gothi, Theodomiri inſtinctu, Italiæ Regnum, quod Glycerius tenebat, duce Vindemiro Theodomiri fratre, adorti extinxiſſent penitus, niſi eos datis muneribus Italia excedere, ac Gallias occupare Imperator ſuaſiſſet; *Mox Vindemir Italiæ terras intravit*, ait Jornandes, *& extremum fati munus reddens, exceſſit rebus humanis ſucceſſorem relinquens regni, Vindemir filium ſuum, quem Glicerius Imperator, muneribus datis, de Italia ad Gallias tranſtulit &c.*

Jornand. de Reb. Geth. cap. 56.

Theodorici geſta in Oriente.

2. Dum Vindemir Oſtrogotis ſociatus, in Galliis Gothorum Regnum dilatabat, firmabatque, Theodomirus in Oriente Regno ſuo varias ſubegit provincias; nam ut idem narrat Jornandes, Superato Savo, Naiſſum occupavit, ac miſſis Comitibus Ulpianam villam cum opibus in deditionem accepit, ac Hæracleam, Lariſſam, Theſſaliam invaſit. Mox relicta

Naiſſo

Naiſſo, ipſe Theſſalonicam tranſiit , ubi Clarianus Patricius cum exercitu morabatur , qui cum ad reſiſtendum impar eſſet , miſſis muneribus ab urbis obſidione revocavit . Initoque fœdere Ceropellas , Medianam , Petinam , Bereum , Sium Gothis incolendas tradidit , qui poſitis armis quievere . At non multo poſt Theodomiro defuncto , Theodoricus ſucceſſit . De Theodorici geſtis agens Malchus Rhetor in excerptis de legationibus narrat , decimoſeptimo Leonis Imp. anno, ideſt labente , Barbaros, qui in Thracia erant , miſſis legatis tria ab eo petiiſſe , ut cum eo pacem facerent ; ut Theudericus Aſparis hæreditate ſibi relicta frueretur ; ut in Thracia quiete habitare poſſent ; & ut Theodoricus utriuſque militiæ magiſterium poſt Aſparem obtineret . Cum ultimum tantummodo conceſſiſſet Leo ; bellum iterum adverſus Leonem Gothi inſtaurarunt . At urgente fame, his tandem conditionibus pax firmata fuit , ut ab Imperatore duo millia librarum auri Gothis ſingulis annis penderentur , & ut Theodoricus utriuſque militiæ dux eſſet ; ſed de his hactenus .

Jesu Chr. An. 473.

Bizant. hiſt. pag. 92.

3. In ipſa etiam urbe Regia turbatas hoc anno res fuiſſe Cuſpiniani Anonymus , & Marcellinus tradunt . Nam *CP. li ſeditione in Circo facta , multi Iſaurorum a populo interfecti ſunt* . Leo vero Imperator , cum filios non haberet , Leonem Zenonis , & Ariadnes filiæ ſuæ filium , Cæſarea , & Auguſtea dignitate exornavit : *Eodem anno* 17. Imperii ſui, ait Caſſiodorus , *Leo nepotem ſuum conſortem fecit Imperii* ; cur vero nepotem magis quindecim vix annos natum , quam Zenonem Generum Imperii ſocium dixerit , hanc Candidus apud Photium rationem refert . *Leo multa volens , molienſque , quo Zenonem generum Imperatorem renunciaret , plebe repugnante , minime id quidem efficere potuit . Sed paulo ante obitum , nepotem ex Ariadna & Zenone natum creavit* ; Zonaras autem addit , Nepoti potius , quam genero coronam dediſſe Leonem , eo quod Zeno non ſolum corpore & facie deformis eſſet ; ſed animo etiam & vitiis turpior , quem ideo Imperio indignum Leo judicabat , nec immerito , ut exitus declaravit . De hac Leonis junioris inaugnratione agens Baronius , in multis peccavit , ut a Pagio & Baſnagio adnotatum eſt , dum præcipue paucorum menſium puerulum Leonem tunc fuiſſe adnotavit ; quæ tamen facile condonanda ſunt , utpote ex corruptis hiſtoricorum Græcorum locis de-

Leo junior Cæſar & Auguſtus dicitur.

Phot.Cod.79.

Pag. Baſnag. ad hunc an.

JESU CHR. AN. 474. ſumpta, quæ neque ex Candido, aliiſque poſt Baronii ætatem vulgatis, emendari, illuſtrarique poterant.

JESU CHRISTI AN. 474. SIMPLICII PAPÆ 7.
ZENONIS IMP. 1. NEPOTIS IMP. 1.
COSS. LEONE AUG. JUNIORE SINE COLLEGA.

Utriuſque Leonis Imp. obitus.

1. Hoc anno Leo Auguſtus CPoli e vita exceſſit, cui Leo junior ex Zenone & Ariadna Leonis filia genitus ſucceſſit, *menſe Januario indictione* 12. ut ait Theophanes ad hunc annum. Junior autem Leo Zenonem patrem ſuum, Verina & Ariadna ſuadentibus, Imperii ſocium, dixit, & in Circo corona exornavit: *Solos autem decem menſes, cum proprio patre Zenone Leo junior Imperium aſſecutus, ægra valetudine vexatus extinguitur*. Auctor vero Chronici Alex. de Leonis junioris interitu adnotat: *Leo undecimo conſulatus ſui, menſe Dio, ſeu Novembri, morbo extinctus eſt: Vixit annos decem & ſeptem, quemadmodum Neſtorianus tradit, qui ſapientiſſimus chronographus hiſtoriam uſque ad Leonem juniorem perduxit*. Hunc de Leonis junioris interitu locum ex Joannis Malelæ chronico referens Noriſius, anno ætatis ſeptimo obiiſſe legit. At decimoſeptimo apud Neſtorium chronographum legendum eſſe adnotat Pagius: quod Suidæ etiam auctoritate confirmat; dum narrat Leonem juniorem, adoleſcentiæ limitem vix ingreſſum, Sabaritico more vixiſſe, fœdiſque voluptatibus Imperii initio eouſque inſerviſſe, ut in marium etiam amores rueretur, quæ ſane puero ſeptenni aptari nequeunt. Quare etſi immatura morte ereptus fuerit, vix tamen longiore Imperio dignus fuit, niſi nequiorem poſt ſe ſucceſſorem reliquiſſet, ideſt Zenonem patrem. Diu autem poſt patrem ſuperſtitem fuiſſe Leonem juniorem tradit Victor Tunonenſis in chronico; quem cum pater ejus Zenon occidere vellet: *alium pro eo ejus uxor Ariadna Auguſta ſimilem puerum ad mortem obtulit*: filium vero ſuum clericum ordinatum CPolitanæ eccleſiæ inſerviſſe, ac ad Juſtiniani uſque tempora ſupervixiſſe fabulatur, quem ſane omnes Græci hiſtorici confutant. Sed de Leone juniore hactenus: de ſeniore hoc unum addimus, quamplurima poſt ſe pietatis monumenta reliquiſſe, cujuſmodi ſunt leges ab eo editæ, de feſtorum obſervantia, de immunitate clericis, eccleſiis, & hoſpi-

Noriſ. de epochis Syro Maced. diſſert. 3. cap. 4.
Pag. not. 3.

Cod. Juſtin. leg. 33. & 36. de Epiſc. & cler.

ſpitalibus conceſſa; & ut ejuſdem in catholica fide tuenda zelum prætereamus, de quibus ſuo loco nonnulla adnotavimus, Regiam urbem ſacris etiam ædibus exornavit: duæ præceteris in honorem Beatæ Virginis Dei Genitricis illuſtriores fuerunt, quarum una ad fontem dicta eſt, altera Rotondum dixere ex ædificii forma, quam etiam Genitricis Dei veſte ex Hieroſolyma aſportata nobilitavit: utrumque vero templum innumeris inclaruiſſe miraculis narrat Nicephorus, qui ea etiam accuratiſſime deſcripſit lib. 15. cap. 24. & 26.

JESU CHR. AN. 474.

2. Utroque Leone ſublato, cum Orientale Imperium Zeno obtinuiſſet: *Quaſi perſuaſum habens*, ait Evagrius, *ſe nequaquam ſummo Imperio præditum eſſe, niſi in omne genus libidinis, quodcumque obvium eſſet, ſumma cum licentia effunderetur: ſtatim ab ipſo exordio illecebris cupiditatum ita ſe totum dedidit, ut nihil eſſet tam turpe, tamque illicitum, quod impetum ejus cohiberet. Sed ſic in flagitiis volutabatur, ut clam quidem ac remotis arbitris ea committere, vile ac plebejum exiſtimaret: palam vero & ſub oculis omnium ea patrare, regium quiddam, & Imperatore dignum cenſeret*; cum econtra nil Imperatoria majeſtate dignius ſit, quam ſe ipſum effrenataſque cupiditates regere, & moderari, ac exemplo ſuo ſubditos ad imitationem allicere, ut eodem loco adnotat Evagrius; qui ſubdit Barbarorum irruptionibus, & ſtragibus Imperii provincias diriſſime tunc temporis afflictas fuiſſe, de quibus infra dicturi ſumus.

De Zenone Imp. ejuſque fide, & moribus. *Evagr. lib. 3. 1.*

Evag. lib. 3. 2.

3. Inter hæc Glycerius, qui hortante Gundibalo, Imperium anno proximo occupaverat, hoc anno e ſolio dejectus, imperiale ſceptrum in paſtoralem virgam commutavit; Epiſcopus etenim ordinatus fuit. Quo tempore id acciderit, nos docet Cuſpiniani Anonymus: *Dejectus de Imperio Glycerius in portu urbis Romæ, eo anno levatus eſt Dominus Julius Nepos octavo Kal. Julias*, itaque annum unum, menſes tres, dies viginti Imperium Glycerius tenuit, quo brevi tempore, vix quidquam memoria dignum geſſit. Ad clementiam eum proclivem fuiſſe, illuſtri exemplo indicat Ennodius, dum injuriam matri ſuæ illatam: *Supplicante Sancto viro*, Epiphanio ſcilicet Ticinenſi Epiſcopo, *illatam matri, a ditionis ſuæ hominibus conceſſit injuriam*. Imperio autem dejectus, in clerum cooptatus, Epiſcopalem dignitatem obtinuit, ac Salonæ in Dalmatia Epiſcopus eſt ordinatus. Quare Jornan-

Glycerius Epiſc. creatur.

Jornand. de reb. Geth. c. 45. apud Murat. tom. 1. rerum Ital.

Jesu Chr. an. 474. nandes: Anno vix expleto, Nepos Marcellini quondam patricii ſororis filius a Regno dejiciens in portu Romano, Epiſcopum ordinavit, ideſt ut ordinaretur, juſſit, quem Salonæ in Dalmatia ſacris præfuiſſe, idem Jornandes de regnorum ſucceſſione diſerte ſcribit: *Nepos Regno potitus legitimo, Glycerium, qui ſibi tyrannico more Regnum impoſuiſſet, ab Imperio expellens, in Salone Dalmatiæ Epiſcopum fecit*. Evagrius etiam: *Glycerium apud Salonas Dalmatiæ Epiſcopum ordinavit*.

Evagr. hiſt. lib. 2. c. 16.

Nepos Imp. cum Evarico Gothorum Rege pacem firmat.

Jornand. de Regn. ſucceſſ. cap. 102.

4. Cum Leone Auguſto invito, vel ſaltem inſcio Occidentale Imperium invaſiſſet Glycerius, ad eum e ſolio dejiciendum Nepotem cum exercitu ex Oriente miſerat Leo, uti narrat Jornandes: *Occiſo Anthemio, Nepotem filium Nepotiani, copulata nepte ſua in matrimonio, apud Ravennam per Domitianum clientem ſuum Cæſarem ordinavit, qui Nepos Regno potitus legitimo, Glycerium, qui ſibi tyrannice Regnum impoſuiſſet*, Imperio dejecit. Nam Ravennam cum exercitu delatus, ibique Cæſar dictus, continuo Romam armatus perrexit; quare Glycerius fugam captans, ac in portu Romano detentus, Imperiali purpura exutus, Salonam, ut Epiſcopus ibidem eſſet, relegatus eſt, ac Nepos octavo Kal. Julii Imperii clavum accepit, vir quidem Imperio non indignus, ſi meliore uſus fuiſſet fortuna, quem paucis verbis, ſed egregio præconio exornat Sidonius: *Julius Nepos armis pariter ſummus Auguſtus, ac moribus*; & ſane Imperium vix adeptus, pacem cum Evarico Gothorum Rege firmare conatus eſt, Liciniano primum ad eum miſſo, qui cum apud barbarum Regem nil proficeret; Epiphanium deinde Ticinenſem Epiſcopum miſit, cujus tandem opera, deſinente hoc anno pax firmata fuit, ut paulo poſt dicturi ſumus. Evaricus itaque Rex Gothorum, *tantas varietates & mutationes cernens, Arvernam occupat civitatem, ubi tunc Romanorum dux præerat Ecdicius... nobiliſſimus Senator dudum Aviti Imperatoris, filius &c.* ait Jornandes. Licinianum vero in Gallias tunc miſſum, ut de pace cum Evarico ineunda tractaret, & ut Patriciatus honorem Ecdicio conferret, ob egregiam in Arvernenſis oppidi defenſione navatam operam, teſtis eſt Sidonii epiſtola ad Papianillam uxorem ſuam, *Ravenna veniens Quæſtor Licinianus, cum primum tetigit, Alpe tranſmiſſa, Galliæ ſolum, litteras adventus ſui prævias miſit, quibus indicat eſſe ſe gerulum codi-*

Sidon. lib. 5. epiſt. 16.

Jornand. de reb. Geth.

Lib. 5. epiſt. 16.

codicillorum, quorum in adventu fratri etiam tuo Ecdicio, cujus æqua titulis ac meis gaudes, honor Patriciatus accedit, celerrime ſi cogites ejus ætatem, ſi merita tardiſſime. Namque ille jam pridem ſuffragium dignitatis ineundæ non ſolvit in lance, ſed in acie. Fruſtra tamen in pace cum Gothis ineunda laboraſſe Licinianum, ſecunda legatio Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo delegata indicat, de qua pluribus Ennodius in ejus vita agit, ac feliciorem exitum eam habuiſſe teſtatur; etſi *conclamatam actionem, & valde difficilem* ſuſcepiſſet; at *cæleſti potentiæ præſidio percunctatus ſuſcepit, implevit.* Nam Ticinio egreſſus, alpibuſque ſuperatis, Toloſam ubi Evaricus Rex morabatur, intravit, ac Regi oblatus, legationis ſuæ munus implevit, teſtatus Nepotem Imp. *Licet certamina non formidet, concordiam prius exoptare &c.* cumque multa in eam rem addidiſſet; Epiphanio Evaricus petitam donavit pacem: *Facio*, inquit, *venerande Papa, quæ poſcis, quia grandior eſt apud me legati perſona, quam potentia deſtinantis. Accipe nunc fidem, & pro Nepote pollicere, quod ſervet intemeratam concordiam, quando te promiſiſſe, juraſſe eſt.* Et recuſata Ariani Regis menſa, ſui voti compos factus, die ſequenti in Italiam revertitur. Nepos interea cum toto hoc anno bellum in Galliis geſſiſſet, reſtaurata aliquatenus hyberno tempore Epiphanii opera cum Euarico pace, præcepit Ecdicio Magiſtro militum, qui fortiter hactenus in Arvernenſi obſidione ſe geſſerat, ut *relictis Galliis ad ſe veniret, in locum ejus Oreſte magiſtro militum ordinato*. Sicque dum perfidum virum dignitate magiſtri militum exornavit, in ſe ipſum armavit hoſtem. Suſcepto Oreſtes exercitu, ut filium ſuum Auguſtolum Imperatorem faceret, ad Nepotem opprimendum arma convertit, ut ſequenti anno dicturi ſumus.

JESU CHR. AN. 475.

Jornand. de reb. Geth. c. 45.

JESU CHRISTI AN. 475. SIMPLICII PAPÆ 8.
ZENONIS IMP. 2. AUGUSTULI IMP. 1.
COSS. ZENONE AUG. II. SINE COLLEGA.

Nepos Imperio ſpoliatur, cui Auguſtulus ſuccedit.

1. In tanta Occidentalis Imperii perturbatione, qua fiebat, ut ſingulis fere annis novus in ſcenam, veteri exauctorato, prodiret Imperator, nullus in Occidente conſul creatus eſt, ac Zeno Auguſtus ſine collega conſul ſecundo hunc ſignavit annum, quo Oreſtes magiſtri militum dignitate ornatus,

Jesu Chr. an. 475. tus, ac in Gallias, revocato Ecdicio, miſſus, ut bellum adverſus Gothos ageret, armis continuo in benefactorem ſuum converſis, Ravennam, ubi tunc Nepos morabatur, cum exercitu perrexit, quo antequam adeſſet, Nepos conſcenſa navi Salonam in Dalmatia fugiens, e perfidi Oreſtis manibus ſe ſe eripuit. Luctuoſam tragœdiam Cuſpiniani Anonymus paucis his verbis exhibet: *Intravit Ravennam Patricius Oreſtes cum exercitu, & fugavit Imperatorem Nepotem ad Dalmatias quinto Kal. Septemb.* De ſucceſſore Nepotis addit: *Eo anno levatus eſt Auguſtulus Imperator Ravennæ a Patricio Oreſte patre ſuo, pridie Kal. Novemb. Nepos autem Salonam fugiens*, aliqualem Imperii umbram uſque ad obitum retinuit; hinc eum quinquennio imperaſſe Evagrius ſcribit, uſque ad annum 480., quo Coſſ. Baſilio juniore, ut adnotavit Marcellinus, a ſuis occiſus eſt: *His Coſſ. Nepos, quem dudum Oreſtes Imperio abdicaverat, Viatoris & Ovidæ Comitum ſuorum inſidiis haud longe a Salonis ſua in villa occiſus eſt.* Glycerii Epiſcopi fraude eum periiſſe adnotat Malchus apud Photium, memor injuriæ, eo quod a Nepote Imperio dejectus fuiſſet. Oreſtes vero Ravennam ingreſſus Auguſtulum filium ſuum Imperatorem fecerat, quem etiam Romulum dictum fuiſſe ante Imperium, adnotant ſcriptores, alii etiam pro Romulo corrupte, ut veroſimile eſt, Momulum dixerunt, ſicuti etiam pro Auguſto Auguſtulum. De quibus audiendus eſt Anonymus Valeſianus ad Marcellini hiſtoriam: *Nepos factus Imperator Romæ, mox veniens Ravennam, quem perſequens Oreſtes Patricius cum exercitu, metuens Nepos adventum Oreſtis, aſcendens navim, fugam petit ad Salonam, & ibi manſit per annos quinque, poſtea vero a ſuis occiditur. Mox eo egreſſo factus Imperator Auguſtulus, qui ante Regnum Romulus a parentibus vocabatur, a Patre Oreſte Patricio.* Non diu tamen perfidiæ ſuæ fructum potitus eſt ſive Oreſtes, aut Auguſtulus, nam anno ſequenti ab Edoacre Rege Oreſtes occiſus eſt. Auguſtulus vero ob puerilem ætatem ſervatus, cum parentibus ſuis vivere permiſſus eſt, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Evagr. hiſt. lib. 2. c. 15.

Phot. Cod. 78. pag. 66.

Evaricus Rex in Galliis catholicos perſequitur. Lib. 7. epiſt. 6.

2. Interea Evaricus Gothorum in Galliis Rex, cum earum partem maximam occupaſſet, adverſus catholicam fidem perſecutionem excitavit, cujus Sidonius his verbis meminit: *Propter quod diſcite cito catholici ſtatus valetudinem occultam, ut*

ut apertam feſtinetis adhibere medicinam. Burdegala Petrogorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Heluſani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes, multoque jam major numerus civitatum (ſummis ſacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis, per quos utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur) latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit, quem fere conſtat ſic per ſingulos dies morientium Patrum proficere defectu, ut non ſolum quoslibet hæreticos præſentum, verum etiam hæreſiarcas priorum temporum potuerit inflectere: ita populos exceſſu Pontificum orbatos triſtis interciſæ fidei deſperatio premit, nulla in deſolatis cura diœceſibus, parochiiſque, hinc eccleſias derelictas ac direptas, pecorum magis, quam hominum frequentia expoſitas fuiſſe addit. *Ipſa (proh dolor) videas armenta non modo ſemipatentibus jacere veſtibulis, ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci &c.* Epiſcoporum etiam nonnullos in exilium ejectos fuiſſe addit: *Taceo*, inquit, *veſtros Crocum, Simpliciumque collegas, quos cathedris ſibi traditis eliminatos, ſimilis exilii cruciat pœna diſſimilis. Namque unus ipſorum ſe dolet non videre quo redeat*, cum longius a ſua ſede moraretur. Alter vero non longe a ſua eccleſia relegatus, *ſe dolet vivere quo non redit*, ait in citata ad Baſilium epiſtola Sidonius. Cruentam etiam Evarici perſecutionem fuiſſe narrat Gregorius Turonenſis: *Hujus tempore*, nempe S. Patientis Lugdunenſis Epiſcopi, *Evaricus Rex Gothorum excedens Hiſpanum limitem, gravem in Galliis ſuper Chriſtianos intulit perſecutionem. Truncabat paſſim perverſitati ſuæ non conſentientes, clericos carceribus ſubjiciebat; ſacerdotes vero alios dabat exilio, alios trucidabat &c.* *Greg. Turon. lib. 2. 25.*

3. Ad malorum cumulum, quibus Galliarum eccleſiæ affligebantur, ingens penuria acceſſit, cujus Gelaſius Papa meminit adverſus Andronicum ſcribens; eamdemque commemorat Sidonius, dum S. Patientis Lugdunenſis Epiſcopi effuſam in pauperes largitatem commemorat, ac totam fere Galliam, ſua cura impenſiſque ſublevatam fuiſſe narrat. Inter cetera: *Aliquis aliquem* (laudet): *ego illum præcipue puto ſuo vivere bono, qui vivit alieno; quique Fidelium calamitates, indigentiamque miſeratus, facit in terris opera cælorum. Quorſus iſthæc? inquis. Te ſententia quam maxime, Papa beatiſſime, petit, cui non ſufficit illis tantum neceſſitatibus opem* S. Patientis Lugdunenſis Epiſc. egregia geſta.

fer-

JESU CHR. AN. 475. *ferre, quas noveris, quippe uſque in extimos terminos Galliarum caritatis indage porrecta, prius ſoles indigentium reſpicere cauſas, quam inſpicere perſonas. Nullius obeſt tenuitati debilitatique, ſi te expetere non poſſit: nam prævenis manibus illum, qui non valuerit ad te pedibus pervenire. Tranſit in alienas provincias vigilantia tua, & in hoc curæ tuæ latitudo diffunditur, ut longe poſitorum conſoletur anguſtias: & hinc fuit, ut quia crebro te non minus abſentium verecundia, quam præſentium querimonia movet, ſæpe terſeris eorum lacrymas, quorum oculos non vidiſti*; & poſt plurima in eamdem rem: *Quapropter*, ſubdit, *etſi ad integrum conjicere non poſſum, quantas tibi gratias Arelatenſes, Regienſes, Avenioccus, Arauſionienſis quoque, & Albenſis, Valentinæque, nec non & Tricaſſinæ urbis profeſſor exolvat, quia difficile eſt eorum ex aſſe vota metiri, quibus noveris alimoniam ſine aſſe collatam: Arverni tamen oppidi ego nomine uberes per quam gratias ago: cui ut ſuccurrere meditarere, non te communio provinciæ, non proximitas civitatis, non opportunitas fluvii, non oblatio pretii adduxit. Itaque ingentes per me referunt grates, quibus obtigit per panis ſui abundantiam ad ſui ſufficientiam pervenire. Igitur ſi mandati officii munia ſatis videor expleſſe, ex legato nuncius ero licet ſcias volo, per omnem fertur Aquitaniam gloria tua: amaris, laudaris, deſideraris, excoleris omnium pectoribus, omnium votis. Inter hæc temporum mala, bonus Sacerdos, bonus pater, bonus es, quibus operæ pretium fuit, fieri famem ſuam periculo, ſi aliter eſſe non poterat tua largitas experimento. Memor noſtri eſſe dignare Domine Papa*, ait, in citata epiſtola ad Patientem Sidonius, quam etiam Gregorius Turonenſis S. Patientis geſta referens, recitat.

Ecdicius Senator pauperum nutritor. *Greg. hiſt. Franc. lib. 2. 24.*

4. Ecdicii etiam clariſſimi viri, ac Sidonii cognati liberalitatem, ac in pauperum inopia ſublevanda ſollicitudinem commendat Gregorius his verbis: *Tempore Sidonii Epiſcopi, magna Burgundia fames oppreſſit. Cumque populi per diverſas regiones diſpergerentur, nec eſſet ullus, qui alimoniam pauperibus largiretur, Ecdicius quidam ex Senatoribus, hujus Sidonii propinquus, magnam tunc rem in Deo confiſus feciſſe perhibetur: Nam invaleſcente fame, miſit pueros ſuos cum equis & plauſtris per vicinas ſibi civitates, ut eos, qui hac inopia vexabantur, ſibi adducerent. At illi euntes, cunctos*

pau-

pauperes, quotquot invenire potuerunt, adduxerunt ad domos ejus: ibique eos per omne tempus ſterilitatis paſcens, ab interitu famis exemit. Fueruntque (ut multi ajunt) pluſquam quatuor millia promiſcui ſexus. Adveniente autem ubertate, iterata iterum evectione, unumquemque in locum ſuum reſtituit. Sed de his hactenus.

Simplicius PapaGaudentium Epiſc. damnat qua de cauſa. *Labb. Concil. tom. 5. pag. 1069.*

5. In vindicanda canonum auctoritate, & obſervantia, totis viribus Simplicium Rom. Pontificem invigilaſſe teſtis eſt ejuſdem epiſtola, 13. Kal. Decemb. poſt-conſulatum Leonis Aug., ideſt hoc anno, data ad Florentium, Æquitium, &Severum Epiſcopos, qua Gaudentium Auſinienſem Epiſcopum ob illicitas ordinationes factas munere Sacerdotali privat; jubetque reddituum parte maxima mulctari, ita ut quarta tantummodo pars pro ejuſdem victu cederet; ac ut Severus ejuſdem eccleſiæ adminiſtrationem ſuſciperet, *ita ut illi, qui ab eodem*, Gaudentio, *illicite ſunt provecti, ab eccleſiaſticis miniſteriis ſint remoti. Simul etiam de redditibus eccleſiæ, vel oblatione fidelium, quid deceat neſcienti, nihil licere permittat; ſed ſola ex his quarta portio remittatur, duæ eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ ab Onagro presbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur. Ultima inter ſe clericis pro ſingulorum meritis dividatur.* Miniſteria vero eccleſiæ injuria diſtracta, ac eccleſiæ bona integro triennio ſibi vindicata, a Gaudentio vindicanda, ac reſtituenda eſſe jubet, ut ibidem videre eſt.

De Arelatenſi ſynodo; quando & qua de cauſa celebrata fuit. *Labb. concil. tom. 4. pag. 1041. B. ſaag. an. 485. Pag. not. 15. ad an. 490.* Fauſti Epiſc. epiſt. ad Lucidum Presbyterum.

6. Arelatenſem ſynodum, de qua ad annum 490. agit Baronius, ad hunc annum 475. revocandam eſſe eruditorum plurimi cenſent, quæ opinio ceteris probabilior eſt, ait Pagius; hac etenim ætate ii maxime florebant Epiſcopi, quorum nomina, vel in Fauſti Rejenſis Epiſcopi epiſtola, vel in inſcriptione libelli a Lucido Presbytero oblati leguntur. Synodo autem Lucidum Presbyterum Prædeſtinatianæ hæreſis accuratum cauſam dediſſe, ex Fauſti epiſtola ad Lucidum, ejuſdemque Lucidi retractatorio libello patet. Cum etenim Lucidus Presbyter de Dei prædeſtinatione, & gratia Chriſti doceret abſurda quædam inſimularetur, ad eum Fauſtus Rejenſis Epiſcopus, Semipelagianorum tunc in Galliis facile princeps, litteras dedit, ut ab infando errore revocaret, excommunicationis ſententiam minatus, niſi errorum capita tranſmiſſa, mente & ore reſpueret. Ac inprimis ab eo exigebat Fau-

ſtus, ut cum gratia Domini operationem hominis baptizati ſemper conjungeret, & eos qui prædeſtinationem, excluſo labore hominis, aſſerunt, cum Pelagii dogmate deteſtaretur. Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagii impietates, hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſalvari, damnanda præſumptione contenderit, & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit. Item anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione baptizatum, & aſſerentem catholicam fidem, & poſtmodum per diverſa hujuſmodi oblectamenta prolapſum, in Adam, & originale peccatum periiſſe aſſeruerit. Item anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi hominem dixerit. Item anathema illi, qui dixerit, illum qui periit, non accepiſſe, ut ſalvus eſſe poſſet, id eſt, de baptizato, vel de illius ætatis Pagano, qui credere potuit, & noluit. Item anathema illi, qui dixerit, quod vas contumeliæ non poſſit, ut ſit vas in honorem. Item anathema illi, qui dixerit, quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſalvos eſſe velit, his vero Anathematiſmis hæc tandem, ut omnem tergiverſationis, aut moræ prætextum Lucido eriperet, ſubdit: *Hujus autem epiſtolæ exemplar mecum retineo in conventu ſanctorum Antiſtitum, ſi ita neceſſe fuerit, proferendum. Quam ſi ſuſcipiendam putaverit fraternitas tua: aut ſubſcriptam manu propria mox remittat, aut ſequentibus ſcriptis omnino ſe improbaſſe reſpondeat. Quod ſi eam ſubſcriptam (ut dixi) tranſmittere nolueris, aperte adhuc te in errore perſiſtere, ipſo ſilentio comprobabis: ac proinde jam neceſſitatem mihi facies ad perſonam tuam publicis conventibus exponendam. Et ideo ſecundum hæc, quæ a me ſunt directa, reſcribe, utrum ea remotis circuitionibus, aut cognoſcas, aut reſpuas.* Hactenus Fanſti epiſtola, quam etiam in alio Epiſcoporum congreſſu legendam, probandam, ſubſcribendamque propoſuit, cum forte ad Epiſcopi alicujus ordinationem, aut eccleſiæ dedicationem in unum Epiſcopi undecim conveniſſent, quorum nomina ibidem leguntur, ideſt Auxanii, Fauſti, Pauli, Eutropii, Præmatii, Patientis, Euphronii, Megetii, Leucadii, & Juliani, eamdemque Lucidus Presbyter lectam ſubſcripſit; nam additum eſt: *Lucidus presbyter relegi, & ſubſcripſi.*

Lucidi Presbyteri fidei confeſſio, & palinodia.

7. Quid iis in anguſtiis poſitus ageret infelix Lucidus, uil occurrebat, niſi, ut imbibitos mente errores, vel fortaſſe adtri-

adtributos retractaret. Quare ut comminatam excommunicationis ſententiam, hæreſiſque infamiam vitaret, Epiſcopis alia in ſynodo, ut videtur, congregatis, epiſtolam dedit, qua errores ſibi objectos retractabat, eique hanc inſcriptionem appoſuit: *Dominis Beatiſſimis in Chriſto Reverendis Patribus Leontio, Euphremio*, cum aliis 26. quorum nomina legi ibidem poſſunt; deinde: *Correctio veſtra*, inquit, *ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt; unde & ego ſummum remedium duco, ut præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera confeſſione mea diluam. Proinde juxta prædicandi recentia ſtatuta concilii, damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit, humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non eſſe jungendum: qui dicit, poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis exſtinctum; qui dicit, quod Chriſtus & Salvator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit; qui dicit, quod præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt; qui dicit, quod poſt acceptum legitime baptiſmum in Adam moriatur quicumque deliquerit; qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos; qui dicit, ab Adam uſque ad Chriſtum, nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id eſt, per legem naturæ cum ſpe in adventum Chriſti fuiſſe ſalvatum, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint; qui dicit, Patriarchas, ac Prophetas, vel ſummos quoque Sanctorum, etiam ante redemptionis tempora, intra paradiſum deguiſſe. Hæc omnia quaſi impia & ſacrilegiis repleta condemno. Ita autem aſſero gratiam Dei, ut anniſum hominis, & conatum gratiæ ſemper adjungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam, & infirmatam eſſe pronunciem, & periclitari eum, qui ſalvus eſt, & eum qui periit potuiſſe ſalvari. Chriſtum etiam Dominum & Salvatorem noſtrum, quantum pertinet ad divitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe: & quia nullum perire velit, qui eſt Salvator omnium, maxime fidelium, dives in omnibus, qui invocant illum. Aſſero etiam, per rationem & ordinem ſeculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe adventus Chriſti fuiſſe ſalvatos; tamen ex initio mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri Sanguinis non abſolutos. Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas fa-*

JESU CHR. AN. 475.

Concil. tom. 4. pag. 1046.

Jesu Chr. an. 475. *ctis capitalibus præparatas: quia perſeverantes humanas culpas merito ſequitur divina ſententia; quam juſte incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me Domini ſancti, & Apoſtolici Patres*. Hactenus Lucidi epiſtola, errorumque palinodia, quam manu propria ſubſcripſiſſe ibidem legitur.

Lucidi Presbyteri palinodia Semipelagianis erroribus favet.

8. Terminos nihilominus a Patribus poſitos in ea retractatione exceſſiſſe Lucidum, ac Fauſto Rejorum Epiſcopo, & Semipelagianæ ſectæ Coriphæo impellente, S. Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum, & reproborum damnatione doctrinam, ea palinodia ejuraſſe, ex eo præſertim capite conſtat, quo eorum ſententiam retractavit, qui dicunt: *Alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos*, quæ ſane apertiſſima S. Auguſtini ſententia eſt. Cum etenim prædeſtinatio ſit præparatio auxiliorum Dei, quibus certiſſime liberantur a maſſa perditionis, quotquot prædeſtinati ſunt, ſequitur ceteros in maſſa damnationis relictos, & ob mala ipſorum merita ad æternam mortem deſtinatos. Quod ſane non diſſimulavit Fauſtus in ſuo de gratia Chriſti, & mentis humanæ arbitrio, libello, quo eamdem ſententiam aperte confutavit, & a ſanctis viris traditam, ideſt ab Auguſtino, fuiſſe adnotavit: *Si ergo unus ad vitam*, inquit, *alter ad perditionem, ut aſſerunt, deputatus eſt: ſicut quidam Sanctorum dixit*, (ideſt Auguſtinus) *non judicandi naſcimur, ſed judicati*. Id etiam in Lucidi retractatione notatu dignum eſt, quod ea capitula reſpuat, quæ ex male intellectis S. Auguſtini libris de gratia & libero arbitrio, de Prædeſtinatione Sanctorum, & de correptione & gratia, olim ab Adrumetinis monachis, aut Lirinenſis ſcholæ diſcipulis, ideſt Semipelagianis objecta fuerant, ac in Vincentianis objectionibus, & Gallorum diſerte, tum a S. Auguſtino primum, cum a Sanctis Proſpero, & Hilario ſoluta explanataque fuerant, ut ab Uſſerio, Noriſio, Jacobo Serri Ordinis Prædicatorum, aliiſque adnotatum eſt.

Fauſtus lib. 1. cap. 4.

Lugdunenſis ſynodi juſſu Fauſtus libros de gratia & libero arbitrio ſcribit.

9. Cumque hoc tempore de gratia, & libero arbitrio, deque hominum Prædeſtinatione ad gloriam, vel reprobatione, inter ſe certarent Semipelagiani, & Auguſtini diſcipuli, Lugdunenſis ſynodus paulo poſt habita Fauſto Rejenſi Epiſcopo juſſit, ut ſcriptis ſuis ſerpentes errores, vel a Semipelagianis fictos confutaret. Hinc Fauſtus in prologo ad libros de gratia & libero arbitrio, ad Leontium Arelatenſem Epi-

Jesu Chr. an. 475. *Concil. pag.* 1041.

Epiſcopum ait: *Domino Beatiſſimo, & Reverendiſſimo Leontio Papa Fauſtus. Quod pro ſollicitudine paſtorali beate Papa Leonti, in condemnando prædeſtinationis errore, concilium ſummorum Antiſtitum congregaſtis, univerſis Galliarum eccleſiis præſtitiſtis. Quod vero ad ordinanda ea, quæ conlatione publica doctiſſime protuliſtis, operam infirmis, curamque mandaſtis, parum ut reor tanto negotio, parum ſanctæ exiſtimationi veſtræ conſuluiſtis, & me judicio caritatis, vos periculo electionis oneraſtis. Quia ergo veſtram laborare perſonam ſub impoſito nobis faſce cognoſcitis, communem cauſam hoc loco agitis, ſi ei, quem opinioni veſtræ imparem cernitis, manum ſuffragii porrigatis.* Hactenus Fauſtus de Lugdunenſi concilio, ob Prædeſtinatianam hæreſim comprimendam congregato, cujus tantum apud Fauſtum memoria extat.

Fauſtus Regenſis Epiſc. Prædeſtinatianam hæreſim confutans Semipelagianis favet. *Elect.* 26. *Bar.* 490. *n.* 30. *Martyr. Rom.* 11. *Septemb.* *Bar. n.* 36.

10. At in provincia ſibi a Leontio Epiſcopo, aut a ſynodo Lugdunenſi delegata, muneris ſibi injuncti limites eum exceſſiſſe, ac *inſtar cauponis, qui miſcens aquam vino, non juſtificatur a peccatis*, ut ait Baronius; quin malis artibus egiſſe, verſipellem vulpeculam in notis ad Rom. Martyrologium adnotat, dum ſub prætextu confutandæ hæreſis Prædeſtinatianæ Auguſtinum ſub Prædeſtinatianorum corio vapulat. Semipelagianorum cauſam defendens, ac in Patrum choro, ut Saul *inter Prophetas*, ait iterum Baronius, privatis ſuis ſcriptis, doloſa arte confictis, totam de juſtificatione hominis deſtruxit ſententiam; ac dum captioſe videri voluit pugnare contra Pelagium, Pelagio faviſſe compertus eſt.

Fauſti libri & errores undique confutat.

11. Fauſtus itaque, cum in delegata ſibi provincia ab ſynodo Lugdunenſi confutandæ hæreſis Prædeſtinationæ fines exceſſiſſet, ac in Auguſtini de Chriſti gratia, & Prædeſtinatione inconcuſſa dogmata, ſtylum acuiſſet, Maſſilienſium fortunam expertus eſt, cujus opuſcula de gratia, & libero arbitrio a catholicis ſcriptoribus confutata ſunt, aut deſpectui habita: & ut Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum prætereamus, qui cum venenum ea arte paratum videret, librum de gratia & libero arbitrio eodem titulo, quo ſuos Fauſtus inſcripſerat, edidit, quo S. Auguſtini doctrinam ſolidiſſime adverſus Fauſtum vindicavit: *Quod opus etiam Papa Felix quartus per ſuam epiſtolam roboravit, & in latius promulgavit*, ait continuator Gennadii de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 86. De Avito etiam Viennenſi Epiſcopo narrat Ado in Chroni-

Bar. 490. *n.* 33.

co

Jesu Chr. an. 475.

co ad annum Chriſti 492. *Fauſtus iſte ita liberum chriſtianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus & ſalus, non a Chriſto, ſed a natura ſit. Contra hunc ſcribit lucidiſſima fide Avitus Viennenſis Epiſcopus, ejus redarguens errorem: ſimiliter & Joannes vir eruditus Antiochenus presbyter*. Eos quoque Fulgentius Ruſpenſis in Africa Epiſcopus

Iſid. de viris Illuſt. cap. 14.

ſeptem libris vehementiſſime oppugnavit: *Legimus de gratia Dei, & libero arbitrio Fulgentii libros reſponſionum ſeptem, Fauſto Galliæ Regienſis urbis Epiſcopo, Pelagianæ pravitati conſentienti, reſpondentis: obnititur ejus profundam deſtruere calliditatem*. Sed quod pluris eſt, tres Romani Pontifices Fauſti libros cenſura confixerunt. Felix ſcilicet quartus, dum Cæſarii librum probavit, Gelaſius vero in Romana ſynodo, cum ceteris Apocryphis libris, quos Romana & catholica eccleſia non recipiebat, hoc de Fauſtis libris judicium tulit: *Opuſcula Fauſti Rejenſis Galliarum Epiſcopi Apocrypha*, qua ſententia iis libris, non ſolum ſummam auctoritatem, qua gaudebant, abſtulit, ut ait Sirmondus, ſed nullam reliquit, ac cum Joviniani, Montani, Priſcillæ ceteriſque hæreticorum quiſquiliis Fauſti quoque libri relegati ſunt.

Hormiſdæ Papæ de Fauſti libris judicium.
Concil. tom. 4. pag. 1432.

12. His accedat Hormiſdæ Papæ celebratiſſimum de Fauſti libris judicium, in epiſtola ad Poſſeſſorem his verbis: *Hi vero, quos de Fauſti cujuſdam Galli Antiſtitis dictis conſuluiſſe litteris indicaſtis, id ſibi reſponſum habeant: Neque illum, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut eccleſiaſticæ diſciplinæ ambiguitatem poſſe gignere, aut religionis præjudicium comparare. Fixa ſunt a Patribus, quæ Fideles ſectari debeant inſtituta*. Et poſt nonnulla: *De libero tamen arbitrio & gratia Dei, quod Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & ſervet Eccleſia, licet in variis libris beati Auguſtini, & maxime ad Hilarium & Proſperum poſſit agnoſci: tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis deſtinabimus*. Hæc & alia Hormiſda ad Poſſeſſorem in Africa Epiſcopum de Fauſti libris, cujus errores S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, & Joannes Maxentius monachus in reſponſione ad Hormiſdam Rom. Pontificem præceteris adnotarunt, graviſſimaque cenſura confixerunt, de quibus ſuo loco infra ſermo fiet: plura ſi lubet apud Noriſium, & Dupinium videri poſſunt.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. 15. & ſeqq. Dupin. ſecul. 5. tom. 3.

13. Ex

Jesu Chr. an. 475.

An hæreſis Prædeſtinatiana unquam fuerit.

13. Ex Fauſti Epiſcopi ad Lucidum Presbyterum epiſtola, qua eum ad Prædeſtinatianæ hæreſis palinodiam coegit, in difficilem de Prædeſtinatiana hæreſi quæſtionem dilabimur, quam magna animorum contentione ſeculo proximo eruditi viri agitarunt; itaut: *Non noſtrum ſit inter vos tantas componere lites*. Hiſtorici fungentes munere adnotare ſufficiet, non defuiſſe viros eruditione clariſſimos, Uſſerium ſcilicet, Baſnagium, Moguinum, alioſque, qui Prædeſtinatianam hæreſim commentitiam fuiſſe ſcriberent, quorum opinio, *melior meo quidem judicio* videtur, ait Serry in Auguſtino vindicato adverſus Launoji criminationes pagina 158. Bertius vero in breviario hiſtoriæ eccleſiaſticæ ad ſeculum quintum pag. 139. *Commemorant nonnulli hæreſim Prædeſtinatianorum exortam, ut ajunt in Africano monaſterio Adrumeti, ſed nos arbitramur eſſe fictitiam*, qua quotquot S. Auguſtini ſententiam de gratuita Dei prædeſtinatione ante prævīſa merita tuebantur, tamquam Prædeſtinatiani inſimulabantur a Semipelagianis eorumque Apologiſtis, ex quibus Fauſtus Regenſis merito accenſetur. Et ſane Proſperum inter Auguſtini diſcipulos clariſſimum, ejuſque de gratuita prædeſtinatione ante prævīſa merita ſententiæ vindicem, Prædeſtinatianæ hæreſis inſimulatum fuiſſe a Maſſilienſibus Caſſiani diſcipulis, quaſi *adverſantia veritati* doceret, auctor eſt Cæleſtinus Papa in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ. Quid vero Auguſtino, ejuſque diſcipulis Maſſilienſes Semipelagiani objicerent, his verbis ad Auguſtinum ſcribens, exponit Proſper: *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante Mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum & ejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundum quod placuit Creatori, alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferri &c. Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem*. Idemque in Vincentianis objectionibus iterum confutat Proſper; unde in proemio: *Contexunt*, inquit, *& qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaque oſtendenda & ingerenda multis publice, privatimque circumferunt, aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico continentur indiculo, quæ falſo in nos* ad

Uſſer. Antiq. Britann. cap. 13.
Baſnag. an. 475.
Moguin. hiſt. Gotheſchalchi.

Proſp. epiſt. ad Auguſt.

JESU CHR. AN. 475. *ad excitandam invidiam jactitari facile & ſufficienter ſubſcriptione unius probaremus anathematis, niſi malignitas eorum, qui ſe gravari putant, ſi de nobis bene ſentiatur.* Quare hoc præcipuum Prædeſtinatianorum dogma ferebatur, Deum alios prædeſtinaſſe ad gratiam & gloriam, alios ad malum & gehennam, ut patet ex anathematiſmis Fauſti; hoc autem a Maſſilienſibus Auguſtino obiectum; non vero a Prædeſtinatianis ſub nomine Auguſtini defenſum, ſcribit ſanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30. *Non autem ignoras etiam præterito tempore illi luculentiſſimo Sancti Auguſtini operi, quod ſcripſit de Prædeſtinatione Sanctorum a quibuſdam Galliis objectum, quod B. Auguſtinus in aſſertione Prædeſtinationis divinæ, peccatores non ad ſolum prædeſtinatos diceret judicium, ſed etiam ad peccatum, cujus dicta, quia ipſe celeri præventus eſt obitu, Proſper vir eruditus & ſanctus recta defendit fide, & copioſo ſermone.* Poſtea duobus Maſſilienſium objectis recitatis ait: *Huic itaque pravitati, quæ B. Auguſtini dictis, non ex veritate, ſed ex livore objiciebantur, tali Proſper ſermone reſpondit &c.* Cum vero plures in Gallia Maſſilienſibus ac Lirinenſibus adhærerent; Auguſtinianam non modo ſententiam de gratuita Prædeſtinatione ad fidem abhorrebant, verum etiam quoslibet ejuſdem ſectatores Prædeſtinatos ignominiæ cauſa Appellabant. Ita Proſper ille Tiro citatus, ita etiam Arnobius Junior loquebatur in Pſal. 146., ubi ait: *Nota tibi, Prædeſtinate, quod loquor omnium generaliter bonam voluntatem Chriſti.* Hunc Arnobium Semipelagianum fuiſſe probat Noriſius, ut mirum non ſit, Prædeſtinatianam hæreſim Auguſtini diſcipulis objeciſſe.

Noriſ. hiſt. Pelag. cap. 15.

Prædeſtinatiana hæreſis imaginaria non fuit, etſi obſcura.

14. Ceterum etſi ex hactenus dictis dubitari non poſſit, Auguſtinum ejuſque diſcipulos Prædeſtinatianæ hæreſis inſimulatos fuiſſe; nonnullos nihilominus craſſioris ingenii viros, aut profundiſſimæ ignorantiæ, abſurda dogmata, quæ Prædeſtinatianis objiciebantur, aut tenuiſſe, aut docuiſſe dubitari vix poteſt; ii tamen nec numero, nec eruditione tanti erant, ut famoſam ſectam, qualem ſibi Sirmondus, aliique ſomniarunt, efficere potuerint, ſed obſcuri prorſus nominis viri quorum unus Lucidus Presbyter fuit a Fauſto confutatus, Monimus etiam, quem Fulgentius libro primo capite tertio arguit, ſicque alii perpauci numero nec fama clari. Hinc

Sirmond. opera tom. 4. pag. 400.

Digitized by Google

Hinc cum ſeculo nono ineunte adverſariis ſuis in Gotheſchalchi monachi cauſa prædeſtinatianam hæreſim objiceret Hincmarus Rhemenſis; eam aliquando fuiſſe, ſe ignoraſſe ſanctus Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus in libro adverſus Joannem Erigenam capite quarto teſtatus eſt: *Tertiam vero hæreſim*, inquit, *quam Pelagianis contrariam aſſeris, qua ita donum gratiæ prædicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus*. Eademque ignorantia circa prædeſtinatianam hæreſim tenebatur Florus Lugdunenſis contra eumdem Erigenam ſcribens cap. 4. Ceterum Sirmondus in eo cauſam viciſſe videtur, dum prædeſtinatianam hæreſim nequaquam imaginariam, ſed revera aliquando fuiſſe probavit, cujus auctorem ab eo editum, Prædeſtinatum etiam dictum, meminit, dum in hæreſum catalogo numero 90., de Prædeſtinatiana hæc adnotat: *Nonageſima hæreſis, quam in præfatione noſtra diximus de nomine Auguſtini Epiſcopi eſſe mentitam, Prædeſtinatianorum nomen accepit. Hi electionem bonorum, & recuſationem malorum, Deo decernente, definiunt, non homine vel ſtudente, vel negligente. Nolunt Dei jura vel a ſtudentibus cuſtodiri, vel a negligentibus violari. Dicunt etiam ſi voluerit bonum facere, qui ad malum prædeſtinatus eſt, ad bonum pervenire non poterit, nec qui ad bonum prædeſtinatus eſt, etiamſi negligat, ad bonum perducetur invitus &c.* Hæc aliaque obſcuræ ætatis obſcuriorisque nominis auctor, quem Pelagianum, aut ſaltem Semipelagianum fuiſſe apertiſſime ſe prodit, dum prævenientem gratiam, qua ad bonum excitamur, tanquam hæreſim averſatur, ac in prædeſtinatianorum errores recenſet, hæc paulo poſt ſubdens; dicunt Prædeſtinatiani: *Ita antecedit gratia liberum arbitrium, ut ante accipiat homo quam petat, ante inveniat quam quærat, ante ei aperiatur, quam pulſet &c.* atque in hac Prædeſtinatiana hæreſi librum ſuum claudit, in cujus etiam Præfatione nonnulla comminiſcitur, quæ non ſolum obſcura, & incerta, ſed falſa ſunt; cujuſmodi ſunt ea, quæ de libro quodam ſub Auguſtini nomine Cæleſtino Papæ oblato, ab eoque Sancto Pontifice cum execratione rejecto, ac tenebris, perpetuoque ſilentio deſtinato, quibus fortaſſe hic auctor Auguſtini de correptione & gratia, & de prædeſtinatione Sanctorum libros, per ſummam aut inſcitiam, aut deteſtabilem calumniam deſignavit. Primus vero qui præ-

JESU CHR. AN. 475.

Biblioth. PP. tom. 27. pag. 557.

Jesu Chr. an. 476.

deſtinatianæ hæreſis meminerit, Tiro Proſper in chronico occurrit; qui ad annum Honorii Imp. 23. Chriſti 417. hæc adnotavit: *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initium, ſeu ab Auguſtini libris male intellectis*, ut Tironis verba emendavit Sigebertus, *his temporibus ſerpere exorſa eſt*. Arnobium quoque juniorem, virum Semipelagianæ factionis, ejuſdem hæreſis meminiſſe ſupra vidimus. His autem adde Gennadium in libro de hæreſibus, Fauſtum Rejenſem Epiſcopum, Joannem Erigenam, ceteroſque, qui adverſus infelicem Gotheſcalchum ſcripſerunt. At dum Prædeſtinatianos aliquando fuiſſe Sirmondo concedimus; eos nihilominus, vel in Adrumetinis monachis, aut in Galliis Proſperi tempore fuiſſe, Sirmondo concedere non poſſumus. Adrumetini etenim monachi, ceterique in Gallia Auguſtinianæ doctrinæ obtrectatores, Semipelagiani erant; qui ad conflandam Auguſtinianis opinionibus invidiam, ex prædeſtinatione gratuita, ac efficaci gratia, abſurda, & falſa deducebant conſectaria ab Auguſtino primum, clarius deinde a Proſpero confutata. Quare ſi qui fuerunt pinguioris Minervæ homines, qui tam abſurdas opiniones ſectarentur; ii tam obſcuri nominis fuere, ut vix fundandæ, aut propagandæ ſectæ pares fuiſſe dicendum eſt, de quibus plura apud Natalem Alex. ſeculo quinto diſſert. 5. Noriſium hiſt. Pelag. lib. 2. 15. Serri Auguſtin. vindic. cap. 12. Pag. ad an. 490. ut Dupinium, Moguinum, alioſque prætereamus.

JESU CHRISTI an. 476. Simplicii Papæ 9. Basilisci Imp. 1. Odoacris Regis Italiæ 1. Coss. Basilisco Aug. II. et Armato.

Odoacer Italiæ Regnum invadit.

Jornand. de rebus Geth. cap. 46.
Priſc. hiſt. to. 1. Bizant. p. 37. & ſeqq.

1. Cum crebris concuſſionibus, continuiſque diſſenſionibus ad interitum delaberetur Occidentale Imperium; in Auguſtulo hoc tandem anno, quo Baſiliſcus & Armatus in Oriente conſules creati ſunt, finem habuit; ut Marcellinus, Caſſiodorus, ceterique chronologi narrant. Nam *Odoacer Turgilingorum Rex habens ſecum Schyros, Herulos, diverſarumque gentium auxiliarios Italiam occupavit*, ait Joruandes. Ædici filius erat Odoacer, Edicus vero Rugus genere ſive Gothus, inter Attilæ Gothorum Regis Duces facile Princeps. Odoacrem in Italia educatum fuiſſe, & inter Prætorianos, ſive cuſto-

custodes Imperatoris militaſſe Theophanes, & Procopius teſtantur; ex Pannonia tamen cum ingenti exercitu in Italiam irruit, cui Italicum Regnum ſanctus Severinus Norici Apoſtolus, prædixerat: *Quidam barbari cum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum intuitu perrexerunt, inter quos & Odoacer, qui poſtea regnavit Italiæ, viliſſimo habitu juvenis, ſtatura procerus advenerat. Qui dum humillimum tectum cellulæ ejus ſuo vertice contingeret, inclinans ſe, a viro Dei glorioſum ſe fore cognovit. Cui etiam valedicenti: Vade, inquit, ad Italiam, vade viliſſimis nunc pellibus coopertus, ſed multis cito plura largiturus. Interim ut Dei famulus ei prædixerat, mox in Italia ingreſſus eſt, Regnum accepit.* Italiam ingreſſo Odoacre, Oreſtes Auguſtuli Imp. pater, tanto hoſti reſiſtendo cum impar eſſet, in Ticinum munitiſſimum oppidum ſe recepit, quod in ejus cladem ceſſit. Nam *tota civitas, quaſi unus rogus effulgurat*, ait Ennodius in vita Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi; *eccleſiæ flammis hoſtibus concremantur*; ipſaque Epiphanii ſoror captiva ducitur, ac *ſuperveniente Odoacre cum gente Schyrorum occidit Oreſtem Patricium in Placentia, & fratrem ejus Paulum ad Pineta foris claſſem Ravennæ. Ingrediens autem Ravennam, depoſuit Auguſtulum de Regno, cujus infantia miſertus, conceſſit ei ſanguinem, & quia pulcher erat, tamen donavit ei redditum ſex millia ſolidos, & miſit eum intra Campaniam cum parentibus ſuis libere vivere*. Locus, ad quem relegatus eſt, a Marcellino *Lucullanum caſtrum* vocatur. Tantorum caſuum diem nos ignorare non patitur Cuſpiniani Anonymus: *Levatus eſt Odoacer Rex. X. Kal. Septemb. & etiam eo anno occiſus eſt Oreſtes Patricius V. Kal. Septemb.* Id mirum nonnullis viſum eſt, quod Romanorum Imperium a Romulo urbis fundatore inceptum, & ab Auguſto Cæſare Reipublicæ libertate ſublata, in ceteros Imperatores tranſlata in Romulo Auguſto, ſive Auguſtulo finem habuerit. Unde Marcellinus: *Heſperium Romanæ gentis Imperium, quod ſeptingenteſimo nono urbis conditæ anno, primus Auguſtorum Octavius Auguſtus tenere cœpit, cum hoc Auguſtulo periit, anno deceſſorum Regni Imperatorum 522., Gothorum dehinc Regibus Romam tenentibus*. Quam annorum computationem ſecutus ſit Marcellinus nobis non conſtat; id tamen conſtat, juxta Varronis chronologiam cum anno urbis con-

Jesu Chr. an. 476.

Procop. de bello Goth. lib. 1. cap. 1.

Severini vita apud Belland. 8. Januarii.

 ditæ

Jesu Chr. an. 476. ditæ 1229. Imperii vero Auguſti 519. labentem annum concurrere. Turpius adhuc erravit Evagrius de Romuli Imperio hæc adnotans: *Romulus cognomento Auguſtulus, poſtremus Romæ factus eſt Imperator, mille & trecentis ac tribus annis elapſis a Regno Romuli*; nam ut diximus ab urbe condita ad labentem anni tantum 1229. effluxerant.

Odoacer Italiæ Rex modeſte ſe gerit.

2. Odoacer interea Italiæ Regno potitus, etſi natione barbarus eſſet, & religione Arianus; adeo tamen modeſte ſe geſſit, ut neque Catholicis moleſtiam fecerit, neque ob adeptum Regnum ſuperbe regnaverit, aut ſubditos cujuſcumque generis vexaverit, quin ut auctor eſt Caſſiodorus in chronico, Imperatoris inſignibus, & titulo repudiato: *Nomen Regis adſumpſit, cum tamen nec purpura, nec regalibus uteretur inſignibus*. Annum Regni ſui decimumquartum ingreſſus eſt Odoacer, ut S. Severinus prædixerat, de quibus hæc Eugipius in ejus vita: *Dum memoratum Regem multi nobiles coram ſancto viro laudarent*, ac interrogaſſet Severinus, quem Regem tantis præconiis extuliſſent, & illi Odoacrem dixiſſent; *Vir Dei*, addidit, *Odoacer integer erit inter tredecim, & quatuordecim annos*. Odoacer vero Regnum adeptus, *Sancto Severino familiares litteras direxit, rogans, ut quidquid ab eo vellet, peteret, memor illius præſagii, quo eum quondam prædixerat regnaturum. Quibus Sanctus alloquiis invitatus, Ambroſium quemdam exilio damnatum juſſit abſolvi*; Odoacer vero lætus, *paruit imperatis*. Et ſane per annos 14. nullo reſiſtente in Italia Odoacer regnavit; hinc Paulus Diaconus lib. 16. *Dejecto ab Auguſtali dignitate Auguſtulo, urbem Odoacer ingreſſus, totius Italiæ adeptus eſt Regnum, quod cum annis 14. nullo inquietante tenuiſſet, ab Orientis nunc partibus veniens Gothorum Rex Theodoricus, Italiam poſſeſſurus intravit*, de quibus ſuo loco; nihilominus Italiæ luctuoſiſſimum fuiſſe Odoacris adventum, ac præcipue Liguriæ, Emiliæ, & Thuſciæ provinciis, quæ primos Barbarorum impetus ſuſtinuerunt, Gelaſius Papa contra Andronicum ſcribens indicat his verbis: *Quid Thuſcia, quid Æmilia ceteræque provinciæ, in quibus hominum pene nullus exiſtit, ut bellica neceſſitate conſumarentur?* & ſane, quis ad tantæ molis ruinam vicinus paries non quaſſaretur; quis ad tanti Imperii caſum & ruinam dejectus, proſtratuſque non fuiſſet. At ſi tantæ molis fuit Romanam condere gentem, nullius pene molis fuit

Apud Boll. die 8. Januarii.

Concil. tom. 4. pag. 1234.

fuit Romanum in Occidente evertere Imperium, cum Deus vindex Romanorum ſcelera ulciſci, ac Idololatriæ reliquias extirpare voluit. Unde idem Gelaſius Papa adverſus eos, qui Lupercalia Romæ retinenda adhuc, & celebranda cuperent, cum ea penitus ipſe prohibuiſſet: *Ego*, inquit, *certe abſolvam conſcientiam meam, ipſi videant, qui juſtis admonitionibus obedire neglexerint; quod etiam prædeceſſores meos forſitan feciſſe non ambigo, & apud Imperiales aures hæc ſummovenda tentaſſe, & quia auditos eſſe non conſtat, dum hæc mala hodie quoque perdurant; ideo hæc ipſa Imperia defecerunt, ideo etiam nomen Romanorum, non remotis etiam Lupercalibus, uſque ad extrema quoque pervenit, & ideo ea nunc ſummovenda ſuadeo &c.* Hæc Gelaſius, non multos poſt annos, cauſam tantarum calamitatum urbi, & orbi Romano illatarum, commemorans.

Baſiliſcus Orientale Imperium invadit.

3. Ingenti quoque rerum perturbatione Orientale Imperium hoc eodem tempore concuſſum eſt; nam Baſiliſcus, pulſo Zenone Imperatore, Imperium invaſit; cui ad id audendum Verina Auguſta ejus ſoror ſtimulum addidit. Rem geſtam his verbis narrat auctor chronici Alex. *Zeno Imperator petitus rem quampiam a ſocru ſua Verina negavit. Appetitus deinde ab ea inſidiis, veritusque ne ab aliquo Palatinorum interficeretur (in Regia enim cum genero ſuo Verina ſocrus habitabat) Chalcedonem ſe contulit, atque inde veredis per equos diſpoſitos velut Imperator properavit in Iſauriam, quem fugiens matrem ſuam Ariadna Imperatrix ſecuta eſt in Iſauriam, ibique cum viro ſuo degit. Poſt fugam Zenonis Imperatoris, & Ariadnæ Auguſtæ, ex templo Domina Verina Imperatorem creavit Baſiliſcum fratrem ſuum, qui imperavit annos duos, adſcriptis annis primis, & poſterioribus Zenonis. Porro Baſiliſcus ſimul ac cœpit imperare, coronavit filium ſuum Marcum, & Imperatorem renunciavit.* Jornandes vero eadem referens addit: *Baſiliſcus in Campo acclamatus, mox Marcum filium ſuum Cæſarem creat, & Auguſtæ corona Zenodiam conjugem ornat.* Nec Cæſar tantum creatus eſt Marcus, ſed poſtea etiam Imperator, ut apud Photium adnotat Candidus, qui addit Verinam in Zenonem generum inſidias ideo ſtruxiſſe, ut Patricium Magiſtrum, cum quo adulterii conſuetudinem habebat, ad Imperium eveheret. At ſua ſpe fruſtrata fuit: *Cum ii, qui in Magiſtratu erant, Baſili-*

Phot. Cod. 79. pag. 67.

JESU CHR. AN. 476. *ſiliſcum ejus fratrem Imperatorem renunciarunt*. Hæc quidem cum Pagio hoc anno adnotavimus, quo hæc accidiſſe probat; Muratorius tamen anno ſuperiori Verinæ inſidiis Zenonem Imperio excidiſſe, ac labenti pulſo Baſiliſco, recuperaſſe contendit; Pagius econtra anno ſequenti CPolim Zenonem rediiſſe ſcribit. Nos vero tanti non ſumus, aut fortaſſe res ipſa tanti non eſt, ut contentioſam funem diu trahere, aut quæſtionem ſolvere poſſimus; Pagii nihilominus chronologiam ſecutos hæc adnotaſſe ſufficiet.

Timotheus Ælurus eccleſiam iterum turbat.

4. In tanta rerum perturbatione hoc præcipue dolendum fuit, quod cum Imperii rebus Orientalis quoque eccleſia penitus turbata concuſſaque fuit, nam ſtatim ac Baſiliſcus Imperium adeptus eſt: *Zenodiæ maxime verbis ad id impulſus, rectæ fidei bellum indicit*, ait Theophanes. Quare Timotheum Ælurum, quem Leo Auguſtus Saliæ ducis opera Cherſonam relegari anno 459. juſſerat: *Promulgato edicto revocavit exilio*, ait Theophanes, *Petrumque Fullonem in Inſomnium Monaſterio latitantem Sedi reſtituit: quotquot autem Sanctam Synodum Chalcedonenſem adverſarii reſpuebant, ii liberrime impugnabant veritatem &c. Ceterum Julianus Antiochiæ Præſul ex geſtis rebus dolore concepto vitam amiſit. Petrus autem Fullo thronum invadens, ſe ad anathemata & tumultus excitandos convertit, ex quo cædes & domorum direptiones ob appoſitum Ter ſancto hymno additamentum. Baſiliſcus Edicto in publicum lato Chalcedonenſem Synodum eliminavit, & Acacium CP. illud idem juſſit exequi. Verum totius civitatis mulierum etiam, ac puerorum conferta plebs adverſus Baſiliſcum concurrens in Eccleſiam ſcelus prohibuit. Acacius autem atra veſte proprium corpus, tum thronum, ac tandem altare circumcinxit: magnus quoque ille Daniel divino plane zelo accenſus, columna qua conſederat, deſcendit, & cum Acacio populique frequentia aſſiduus cunctis eccleſiaſticis conventibus aderat*, ut exemplo, auctoritateque ſua Acacium Epiſcopum, & clerum populumque CPolitanum, ad retinendam, tuendamque catholicam fidem confirmaret.

Baſiliſcus Imp. ſynodum Chalcedon. condemnat. *Liberati breviarium cap. 16. pag. 105.*

5. Una cum Timotheo Æluro, & Petro Fullone, ceteros quoque hæreticos ſuis ſedibus pulſos, ab exilio revocatos fuiſſe, ac pulſis orthodoxis Epiſcopis, Baſiliſci Imp. opera ſuas ſedes recuperaſſe, tradit Liberatus: *Cum Baſiliſcus tenuiſſet Imperium, ſcripſit univerſo orbi ſanctionem ſuam, quam*

quam appellavit Encyclicam contra Chalcedonenſe concilium. Tunc enim Baſiliſco reddente Epiſcopatum Timotheo Æluro, & hæreticis ſedibus ſuis reſtitutis &c. Baſiliſci epiſtolas, quibus Chalcedonenſia geſta, Leoniſque Pontificis ſcripta anathemati ſubjiciebantur, Timothei Æluri ſuaſione ſcriptas fuiſſe adnotat Evagrius, eaſque poſteritati tranſmiſit; quarum hæc eſt inſcriptio: *Imperator Cæſar Baſiliſcus, Pius, Victor, Triumphator, Maximus ſemper Auguſtus, & Marcus Nobiliſſimus Cæſar, Timotheo reverendiſſimo, & Dei amantiſſimo Archiepiſcopo magnæ urbis Alexandrinorum.* Commemoratis deinde Nicæno, CPolitano, & Epheſino conciliis, quibus ſuam auctoritatem ſervandam eſſe jubet, de Chalcedonenſi ſynodo, ejuſque geſtis, hæc tandem ſubdit. *Ea vero, quæ ſanctarum Dei eccleſiarum conſenſum & tranquillitatem, & totius orbis pacem diſruperunt, tomum ſcilicet Leonis, & cuncta, quæ Chalcedone in definitione fidei, aut expoſitione Symbolorum docendi, vel interpretandi, vel diſputandi cauſa, ad innovationem ſupra memorati ſacri Symboli 318. Sanctorum Patrum dicta & geſta ſunt; hic & ubique per ſingulas Eccleſias ab univerſis ſanctiſſimis Epiſcopis anathematizari decernimus, & ubicumque reperta fuerint, flammis abſumi &c.* depoſitionis pœna in Epiſcopos ſtatuta, aut exilii, & bonorum publicatione in monachos, & laicos, qui contra fecerint, aut Chalcedonenſis concilii fidem retinuiſſent. *Evagr. lib. 3. 4.*

6. Non unus Timotheus Elurus, Regio edicto ſubſcripſit, ſed alii plurimi, ſive propenſiori in Eutychianum dogma animo, ſive poenæ metu, ex his Petrus Fullo, qui Antiochenam ſedem hoc tempore recuperaverat, nam ut ex Theophane loco ſupracitato audivimus, Julianus Antiochiæ Præſul, ex dolore excepto, quod eccleſias turbari cerneret ob Baſiliſci impietatem, vivere deſierat; Paulus etiam Baſiliſci epiſtolis ſubſcripſit, & Epheſinam ſedem invaſit, Anaſtaſium etiam Hieroſolymorum Epiſcopum, qui Juvenali ſucceſſerat, iiſdem encyclicis ſubſcripſiſſe, ex Zacharia narrat Evagrius, alioſque complures. *Adeo ut circiter quingenti numero fuerint, qui Leonis epiſtolam, & Chalcedonenſe concilium damnaverunt.* Eodemque loco libellum precum Epiſcoporum Aſiæ, qui Epheſi hoc tempore in ſynodo convenerant, Evagrius refert; quo non ſolum ſe ejuſdem epiſtolis ſubſcripſiſſe teſtantur, ſed Imperatorem etiam, ut in inceptis

Timothei Æluri geſta. Petrus Fullo Antiochenam ſedem recuperat.

Evagr. lib. 3. 5.

Jesu Chr. an. 476.

ptis perſeveret, hortantur. *Nihil aliud præter ſacras veſtras encyclicas litteras proponi ſinatis*, ajebant inter cetera, *pro certo habentes*, ut ſubintelligi debet, quod ſi aliter res contingat: *Univerſum orbem rurſum everſum iri, & quod mala, quæ a Calcedonenſi ſynodo, importata ſunt, levia eſſe videbuntur etc.* ac tandem ut Acacii communionem reſpueret, quem CPolitana ſede depoſuerant, & communione privaverant, Imperatorem hortantur. Hæc, aliaque ex Zacharia coævo hiſtorico Evagrius.

Baſiliſci perſecutio in catholicos.

7. His excitatus ſtimulis Baſiliſcus, ac Epiſcoporum plurimos ſuis ſubſcripſiſſe epiſtolis animadvertens, ceteros etiam ad Chalcedonenſis ſynodi geſta rejicienda vi adigere tentavit, & Catholicos perſequi incœpit. Qua conſtantia impiis Baſiliſci conatibus Acacius CP Epiſcopus, cum clero ſuo, & plebe reſtiterit, jam ſupra adnotavimus, cui Daniel ſtylita opem tulit, ut in ejus vita ad diem undecimam Decembris refertur. Quare Baſiliſcus furorem populi metuens, ex urbe regia diſceſſit, ait Theodorus lector: *Cum interdixiſſet Senatoribus, ne cum Acacio colloquerentur: Minabatur autem populus ſe urbem incenſurum. Daniel vero monachis, & quibuſdam ex populo ſecum aſſumptis perrexit ad locum in quo erat Baſiliſcus, & Olympius monachus magna cum libertate Baſiliſcum allocutus eſt.* Quem hæc exitum habuerint, commodius anno ſequenti dicendum reſervamus: hoc unum addimus, Ælurum totius tragœdiæ præcipuum architectum ex perfidia ſua nonniſi ignominiam, & grave vulnus retuliſſe, nam cum acceptis Imperatoris litteris Alexandriam rediiſſet, Timotheus Soloſaſciolus dictus Epiſcopus catholicus, *in Canopi caſtellum fugit, & in monaſterio latuit*, ait Liberatus cap. 16. Ælurus vero *Cum ſeditioſam, & incompoſitam Alexandrinorum turbam collegiſſet, una cum illis ex ædibus Baſiliſci ſupplicans, ad eccleſiam proceſſit, ipſe Aſino vectus. Cumque ad locum qui Octagonus dicitur perveniſſet, graviter prolapſus eſt, & fracto pede cum ingenti ignominia receſſit*, eamdem fere cum Simone Mago, aut Ario, fortunam expertus, ac anno proximo ea ſede iterum pulſus, ſumpto veneno vivere deſiit, ut adnotat Liberatus cap. 16.

Theodor. lib. 1. cap. 33. p. 515.

Theodor. lector lib. 1. cap. 30.

Baſiliſcus litteras ſuas retractat.

8. Interea etſi Baſiliſcus Epiſcoporum plurimos voluntati ſuæ obſequentes inveniſſet, quos litteris ſuis adverſus Calcedonenſis ſynodi decreta, ſubſcripſiſſe narravimus, nihilo-

hilominus, cum temerariis ejus conatibus inter ceteros Acacius Regiæ urbis Epiſcopus fortiter reſtitiſſet, ac ad tuendam catholicam Fidem, clerum, populumque CPolitanum, quin & ſanctiſſimos Monachos adverſus Baſiliſcum excitaſſet, ac ad ſeditionem prope, & ad regiæ urbis incendium civium animi inclinarent, ſi in Acacium vim adhibere tentaſſet; Baſiliſcus ſibi metuens, cum etiam Zenonem adverſus ſe expeditionem parare didiciſſet: *Aſſumpta uxore ſua Zenonide in eccleſiam profectus excuſavit ſe Acacio, & Clero, ac Monachis*, ait Theodorus lector, *Sedi quoque CPolitanæ jura ſua reſtituit, alio edicto abrogans ea, quæ prius conſtituerat*, ideſt litteras ſuas encyclicas adverſus Calcedonenſem ſynodum, quas ſupra commemoravimus, de quibus hæc Evagrius: *Scribit idem Zacharias, Acacium CP Epiſcopum ob eas res dolore perculſum*, Monachos & populum urbis regiæ adverſus Baſiliſcum, ut qui hæreticus eſſet, concitaſſe, Baſiliſcum vero litteras ſuas encyclicas tandem abrogaſſe, & lege lata declaraſſe, ut quæ per obreptionem facta fuerant, irritarentur; litteras denique prioribus encyclicis contrarias miſiſſe, quibus Calcedonenſis ſynodus confirmabatur. Has quidem ſecundas litteras Zacharias Rhetor, utpote Eutychianus, ſuis favens prætermiſit; eas tamen Evagrius publicavit, his verbis conceptas: *Imperatores Cæſares Baſiliſcus, & Marcus. Apoſtolicam & orthodoxam fidem, quæ ab initio in Catholicis Eccleſiis viguit, & quæ ad noſtrum uſque Imperium obtinuit, & quæ nunc ſub Imperio noſtro obtinet, & in perpetuum deinceps prævalitura eſt, in quam nos & baptizati ſumus, & credimus, ſolam illæſam & inconcuſſam prævalere, & in omnibus catholicis atque Apoſtolicis Orthodoxorum Eccleſiis perpetuo manere decernimus, nec quidquam aliud præterea requiri. Hanc igitur ob cauſam, cuncta quæ fidei, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ cauſa, ſub principatu noſtro facta ſunt, ſive Encyclicas, ſive alias epiſtolas, ſive aliud quodlibet, irrita & caſſa eſſe præcipimus: Neſtorio ſimul, & Eutyche, & cunctis aliis hæreſibus, nec non & iis, qui idem cum illis ſentiunt, anathemate damnatis. Ac de hoc argumento, nec Synodum fieri, nec amplius quæſtionem ullam moveri volumus, ſed ea firma atque inconcuſſa remanere*. Hactenus retractatoria Baſiliſci epiſtola, ſequenti fortaſſe anno data, cum jam Zeno cum exercitu ad urbem regiam properaret. At ſera & inutilis

JESU CHR. AN. 476.

Lib. 1. 34.

Evagr. lib. 3. 7.

Evagr. ut ſup.

Jesu Chr. an. 477. tilis Baſiliſci pœnitentia, & palinodia fuit, aut etiam ficta, utpote timore urgente extorta; quem paulo poſt Zenonis armis, & dolo e ſacro azilo abductum, cum uxore & filiis periiſſe videbimus.

JESU CHRISTI AN. 477. SIMPLICII PAPÆ 10. ZENONIS IMP. 4. ODOACRIS ITALIÆ REGIS 2. POSTCOSS. BASILISCI II. ET ARMATI.

Zeno Imperium recuperat; Baſiliſcus occiditur. *Procop. de bell. Vandal. l. 1. Evagr. lib. 3. cap. 8. Phot. Cod. 79. pag. 67.*

1. Inſequens Chriſti annus 477. cum novos conſules non habuerit, hac formula ſignatus eſt, Poſtcoſſ. Baſiliſci II. & Armati. Interea cum per annum unum menſes ſex, aut octo, vel etiam annos duos, incompletos ſcilicet, ut ait Evagrius, Baſiliſcus imperaſſet, Imperio & vita privatus eſt; nam Zeno ex Iſauria cum exercitu rediens, in regiam urbem receptus, Imperium recuperavit; quem Verina Auguſta, quæ eum regio ſolio exturbaverat, ad illud recuperandum adjuvit, ut narrat Candidus apud Photium: *Patricius Magiſter, qui cum Verina conſuetudinem habebat, indignante ipſo Baſiliſco periit. Eapropter in fratrem Verina odio concepto, ac Zenonem opibus ad recuperandum Imperium adjuvans, extrema quæque a fratre pertulit, & niſi e Templo Armatus eam clam ſubduxiſſet, forte & ipſa e medio ſublata eſſet.* De Zenoni reditu, & Baſiliſci interitu, Evagrius audiatur: *Zeno Bizantium verſus caſtra movit, cumque eos, a quibus obſidebatur, muneribus corrupiſſet, Baſiliſcum, qui jam biennio regnaverat, Imperio expulit: & ad ſacrarium eccleſiæ confugientem hoſtibus dedidit. . . . . . & Baſiliſcus quidem in Cappadociam abductus eſt. In ſtatione vero, quæ Acuſus dicitur, una cum uxore, & liberis eſt interfectus.* Tragœdiæ totius ſeriem pluribus perſequitur Alex. chronicon, ac adnotat Zenonem magnis pollicitationibus Armatum Baſiliſci ducem, quem adverſus eum cum exercitu miſerat Baſiliſcus, in ſuas partes traxiſſe, quo cognito, ad eccleſiam Baſiliſcus cum uxore, & liberis confugit; unde per fraudem ſub ſpe veniæ extractus, ac in Cappadociam relegatus, ac in Lymnarum caſtrum incluſus, negata alimonia fame perire coegit, ut narrat Alex. chronicon. Eademque Theophanes; in eo tantum diſſidens, quod Cucuſum in Cappadocia ductum fuiſſe Baſiliſcum cum ſuis, ibique fame peremptos, aut

aut in itinere interfectos fuiſſe addit. Inſuper adnotat in proditionis præmium, perpetuam militum Præfecturam Armatum obtinuiſſe. Filium vero ejus Baſiliſcum Cæſarem continuo in Circo dictum fuiſſe, ac in ſella regia juxta Imperatorem conſediſſe. At non multo poſt, eamdem cum proditoribus, Patricio, & Baſiliſco ſortem expertus eſt Armatus, nam Zeno ſibi, ſuiſque timens, Armatum obtruncari juſſit; filium autem ejus Baſiliſcum, quem Cæſarem dixerat, lectorem ordinari præcepit, *Qui poſtmodum Cizici Epiſcopatum optime geſſit*, ait Theophanes, ſed de his ſequentibus annis.

Simplicii epiſtolæ ad Zenonem Imp. *Evagr. lib. 3. 6*

2. Recuperato Imperio, cuncta, quæ adverſus catholicam fidem Baſiliſcus in Encyclicis litteris conſtituerat, lege lata Zeno abrogavit; ac Petrus cognomento Fullo ex Antiochena eccleſia, & Paulus ex Epheſina ſede exturbati ſunt, ait Evagrius, unaque cum illis ceteri Eutychianæ factionis patroni, atque imprimis Timotheus Ælurus Alex. ſedis invaſor; Zenonem etenim ad catholicam fidem tuendam, eccleſiarumque tranquillitatem reſtituendam, Simplicius Papa, datis ad eum epiſtolis, excitaverat; quibus tum Alexandriæ, cum CPoli adverſus fidem catholicam, & concilii Chalcedonenſis auctoritatem impios Timothei conatus ſe ex monachorum relatione, & ſcriptis cognoviſſe commemorat, ac ut impii parricidæ, ideſt Timothei Æluri, qui Proterii Alex. Epiſcopi ſanguinem fuderat, temeritatem, impietatemque coerceret, enixe rogavit: *Functus igitur*, inquit, *glorioſiſſime ac clementiſſime fili Imperator Auguſte munere ſalutandi, quæ in Eccleſiis Orientis per hæreticorum latrocinia recidiva rurſus dicuntur ſcandala concitari, nec debeo ſilere, nec poſſum. Nam ſicut in meam notitiam ferventium pro fide catholica detulerunt ſcripta monachorum, comperi Timotheum parricidam, qui Ægyptiacæ pridem vaſtator eccleſiæ, in morem Cain (ut lectio divina teſtatur) ejectus a facie Dei, hoc eſt, ab eccleſiæ dignitate ſecluſus, & jam per deſerta vagus, ſceleratæ conſcientiæ diu tormenta paſſurus in exilium proprii erroris abductus eſt, reſumptis priſtini furoris incendiis, conflaſſe nihilominus agmina perditorum, & Alexandrinæ Urbis eccleſiam, quam ſacerdotali prius ſanguine cruentavit, ipſum denuo nunc cruentam depulſione legitimi pervaſiſſe Pontificis: ut cui illa relegationis humilitas injicere debuerit, ex iis, quæ impie geſſerat, aculeum pœnitendi, nutriendi potius otia tribuiſſe*

Concil. tom. 4. pag. 1070.

Jesu Chr. An. 477. *buiſſe videatur atrocioris inſaniæ: quo procul dubio Cain ipſo longe deteſtabilior approbatur. Ille ſiquidem a perpetrato ſemel facinore damnatus abſtinuit, hic profecit ad crimina majora poſt pœnam. Nec eo tamen ſcelerum fine contentus, Conſtantinopolitanam inſuper urbem, recti ſemper dogmatis amore fragrantem (ne quid intemeratum populator humanæ ſalutis omitteret) fertur audacter ingreſſus &c.* ibique manibus humano ſanguine conſperſis, *non divina ſacrificia, ſed ſacrilega celebraſſe* narrat Simplicius; deinde: *Hæc, venerabilis Imperator, cum horreat animus, vel a tanto gladiatore fuiſſe tentata*, ideſt Æluro, *maximo tamen, fateor, ſtupore detineor, ſub veſtræ pietatis aſpectibus potuiſſe committi*; quare ad Marciani, & Leonis Imperatorum exempla ſectanda excitat, ac ut ingentia in eum beneficia a Deo collata præ oculis habeat, admonet; qui eum in regiam civitatem redire, ac Imperium, ex quo exciderat, recuperare fecerat: *Reſpicite quæſo ad divina beneficia*, ſubdit, *& quæ ſint vobis collata perpendite, atque ut hæc proſpera valeant permanere, propitiandum eſſe cenſete auctorem muneris, non lædendum &c.* Quantam vero Chalcedonenſis ſynodus auctoritatem ſibi vindicaret, ex S. Leonis Papæ ſcriptis eum nequaquam ignorare poſſe adnotat; exempla nihilominus & litterarum S. Leonis Acacio CP. Epiſcopo ſe miſiſſe, ut eadem illi offerat, admonet; *Quapropter clementiam veſtram, cui mea vice propenſius frater & Coepiſcopus meus Acacius ſupplicabit, precor atque obſecro, ut imitatores facti tantorum & talium prædeceſſorum, nefandæ præſumptionis operarios, catholico pectore reſpuentes, regia cenſeatis poteſtate cohiberi &c.* hiſque in eamdem rem multa addit, quæ excribere longum eſſet. Data eſt autem hæc epiſtola *quarto idus Januarias*, aut Junii *Baſiliſco Aug. Coſſ.*, ſeu potius poſt CC. Baſiliſci.

Zenonis Imp. epiſt. ad Simplicium, & Simplicii ad Zenonem.

3. Has pro munere ſuo litteras ad Zenonem Imp. ſcripſerat Simplicius Papa: cum vero Imperator recuperato Imperio de reditu ſuo Pontificem certiorem feciſſet, gratulatorias continuo ad eum alteras dedit, quibus eadem ingerit, & ut Alexandrinam eccleſiam ab impio invaſore, ideſt Timotheo Æluro, turbari, violarique non patiatur, impenſius excitat. Leonis quidem epiſtolæ non extant; at eas Simplicius ſe accepiſſe his verbis commemorat: *Ego quidem litteris, quas veſtra clementia deſtinavit, pignus immenſum veneran-*

Concil. tom. 4. pag. 1079.

by Google

nerandæ religioſitatis accipiens, & ingenti gratulatione reſpiro, & omnino non ambigo mentem veſtram in rebus divinis geſturam longe potiora quam cupio: ſed mei memor officii, in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore hortor alloquio, quia imperii tui pariter, & ſalutis affectu, illis te cauſis inhærere ſemper exopto, quibus ſolis & præſentis regni ſtabilitas cuſtoditur, & æterni gloria comparatur, cui ante omnia Alex. commendat eccleſiam, ut catholicum in ea, Timotheo expulſo, Sacerdotem ordinari curet, & ut ſynodo Chalcedonenſi ab omnibus obedientia exhiberetur. *Quia nullo modo retractari poteſt, quod illorum definitione ſepoſitum eſt, nec ullatenus recipi toties undique ore damnatus*, Ælurus ſcilicet; multa inſuper de ejuſdem in urbem regiam reditu, deque recuperato Imperio gratulabundus addit, ita ut: *In tanti conſideratione miraculi, clamandum ſit cum Propheta. Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi &c.* Data eſt autem *octavo Idus* Octobris PoſtCCSS. Baſiliſci & Armati.

JESU CHR. AN. 477.

Pſal. 76.

4. Quia vero Timotheus Ælurus, dum adhuc CPoli eſſet, nullum non movebat lapidem, ut & catholicam fidem ſubverteret, &. Alex. ſedem, quam vi recuperaverat, concilii etiam auctoritate, retineret, in eamque rem Epiſcopos aliquot in ſuas partes traxerat; ut temerarios Timothei conatus reprimeret Simplicius Papa, qui hæc ex monachorum relatione didicerat, ad Acacium ſcribens, gravioribus eum litteris admonuit, ut totis viribus Timothei cauſam in concilio retractari prohiberet: *Quantum Præsbyterorum*, inquit, *& ex diverſis monaſteriis Domino ſervientium monachorum relatione patefactum eſt, eccleſias Domini rurſus diabolus inquietat, ita ut excluſo Alexandrino ſacerdote, hæreticus, atque ab univerſitate damnatus, eumdem locum, de quo pulſus fuerat, occupaſſe dicatur: inſuper quibuſdam faventibus, Conſtantinopolim auſum fuiſſe contendere, &c.* deinde poſt aliqua: *Quem conventus novos pro ſe didicimus comminari reſolvi exiſtimantem quod de ſe univerſalis decrevit auctoritas*, atque ut fortiter pro catholica Fide adverſus hæreticorum conatus certaret, pluribus excitat: quinto autem Kal. Febr. data epiſtola dicitur; epiſtola vero altera, quam per Odoacris legatos ad Zenonem Imp. miſſos, Latinum ſcilicet Patricium, & Maduſium ſpectabilem virum, Acacium laudat, eo quod Timotheum Ælurum in urbe regia ab eccleſiaſtica communione ex-

Simplicii Papæ epiſtola ad Acacium.

Concil. tom. 4. pag. 1073.

Pag. 1074. & 1077.

Jesu Chr. an. 477. ne excluſerit: hortaturque eum, ut Imperatorem moneat, ne Chalcedonenſis concilii ſtatuta violari patiatur. Cumque a clero, & monachis epiſtolas accepiſſet per Epiphanium Simplicius, quibus de Timothei in urbe Regia perverſis adverſus fidem catholicam conatibus admonebatur, continuo ad eos, Epiphanio redeunte CPolim, reſcribens tertio idus Januarii poſtconſ. Baſiliſci & Armati, ideſt hoc anno, eorumdem fidei zelum, ac conſtantiam commendat, eo quod in eorum communione Timotheum admittere recuſaverint, & ut in eodem propoſito perſeverent, hortatur: *Per filium noſtrum laudabilem virum Epiphanium*, ait, *litteris veſtræ dilectionis ſerius quam voluiſtis acceptis, magno ſumus dolore permoti, quod illic intra eccleſiam Dei ſcandalorum recidiva naſcuntur incendia, ubi totius auctoritate Apoſtolicæ Sedis, & ſententia Synodi univerſalis exſtincta ſunt.. Cui namque in toto terrarum orbe cum perverſitate dogmatum nefandorum Neſtorii, Eutychetis, Dioſcorique damnatio, cui Timothei rurſus Alexandrinæ eccleſiæ pervaſoris non eſt nota dejectio? Teſtis eſt Anterius Epheſinus, teſtis eſt recens Chalcedonenſe concilium, quod quiſquis deſiderat retractari, in numero fidelium pronuntiat ſe non haberi, cum prædictorum talis impietas auctoribus & principibus chriſtianis, non ſolum ab Eccleſiæ corpore, verum a cœtu omnium exiliis ſegregata diverſis, unitæ ſententiæ damnatione percuſſa eſt &c.* deinde poſt aliqua: *Hæc eruditione fundata non contentione opus eſt, ut tanquam adhuc de dubiis judicetur, ſed ſicut dilectionem veſtram gaudemus facere, firmis contra dejectos ſtate veſtigiis, nec vos adverſarius terreat, aut tardam putetis deſuper venire victoriam &c.* His alia plurima in eamdem rem addit, ac exemplar epiſtolarum, quas ad Imperatorem, ob hanc eamdem cauſam, miſerat, ſe huic epiſtolæ addidiſſe commemorat.

Simplicii Papæ epiſt. ad Clerum & Monachos CP

Aſiæ Epiſcopi reſipiſcunt, ac ſubſcriptiones retractant *Evagr. lib. 3. cap. 5.*

5. Vix Baſiliſcus Imperio exciderat, ac Zenoni locum reliquerat, cum Aſiæ Epiſcopi, qui Baſiliſci epiſtolis adverſus Chalcedonenſem ſynodum vulgatis ſubſcripſerant, ut narrat Evagrius, mutatis deinde rebus, fidem quoque ipſi mutarunt, ac litteris ad Acacium datis, ſubſcriptiones ſuas revocarunt; & excuſationem ab eo petierunt, eo quod in præcedenti Epheſina ſynodo eumdem exauctoraverint. Libelli titulus hic eſt: *Acacio ſanctiſſimo, ac religioſiſſimo Patriarchæ ſanctiſſimæ eccleſiæ CP novæ Romæ*, deinde, *His litteris ſignifica-*

ut ſupra c. 9.

ficamus non ex animi ſententia, ſed neceſſitate adductos nos ſubſcripſiſſe: verbis quidem ac litteris, ſed non ex animo conſenſum iis accomodantes. Adjuvantibus enim precationibus veſtris Deo acceptis, & divino Numine, ita credimus ſicut a luminaribus Orbis terrarum trecentis illis & octodecim, & a centum & quinquaginta ſanctis Patribus accepimus. Credimus præterea iis, quæ Calchedone pie ac recte definita ſunt a ſanctis Patribus illic congregatis. Vana prorſus ac turpis excuſatio, maxime cum de Epiſcopis agitur; in quibus ſane vigor Sacerdotalis omnino defecerat, cum pro Imperatoris voluntate catholicam fidem prodiderant.

Zenonis Imp. lex, qua Baſiliſci acta damnantur. Evagr. lib. 3. 8 Cod. Juſt. lib. 1. tit. 2. leg. 16. de Sacroſanctis eccleſ.

6. Zeno autem Imperator lege lata, quæcumque adverſus catholicam fidem, aut eccleſiarum privilegia ſub Baſiliſco ſtatuta fuerant, irrita declaravit: *Decernimus*, inquit, *ut antiquatis ac infirmatis funditus his, quæ contra ipſum orthodoxæ religionis Deum quodammodo facta ſunt, in integrum reſtituantur univerſa, & ad ſuum ordinem revocentur, quæ ante poſſeſſionem noſtræ manſuetudinis de orthodoxæ religionis fide, & ſanctiſſimarum Eccleſiarum, & Martyriorum ſtatu firmiter obtinebant &c.*

Simplicii Papæ epiſt. ad Acacium.

Labb. concil. tom. 4. pag. 1039.

7. Acacio ſuadente reſcriptum vulgaſſe Zenonem dubitari non poteſt. At ad id impetrandum, a Simplicio Papa excitatum fuiſſe æque certum eſt, ut ejuſdem Pontificis epiſtolæ teſtantur, quas Holſtenius in ſua collectione vulgavit, atque inde in Labbeanam collectionem, etſi loco non ſuo, inſertæ ſunt, quibus ſic Acacium S. Pontifex alloquitur: *Clementiſſimi Imperatoris auxilium duximus implorandum* (epiſtolis ſuis, quas ſupra hoc anno recitavimus) *ut ii, qui ſibi crediderint Sacerdotale miniſterium damnati hominis præſumptione conferri, promulgata Imperiali conſtitutione, etiam a conventu hominum ſegregandi jubeantur excludi, quatenus his ſubmotis, atque in ſolitudinis perpetua relegatione damnatis*, catholici Epiſcopi ad ſuas redirent eccleſias, vel in iis catholici ordinarentur; quod non ſolum ſuggeſtione ſua ab Imperatore impetrare poſſe ſubdit, ſed etiam ejuſdem Acacii, aliorumque Epiſcoporum, quos adveniſſe CP. ex relatione monachorum didicerat; unde patet Concilium quoddam ab Acacio tunc congregatum fuiſſe, cujus cauſa CPolim Epiſcoporum plurimi convenerant. Hinc ſapientiſſime Simplicius Acacium admonet: *Diu fratres & Coepiſcopos noſtros apud CPolim non con-*

JESU CHR. AN. 477. *convenit demorari, nunc præcipue cum propter concuſſionem perſecutionis, quæ mota fuerat, ſollicitæ atque attonitæ ſunt in ſupraſcriptis eccleſiis civitates, ne aliquis dubius rationis, & trepidus mentis expectet novi aliquid poſt Chalcedonenſe concilium contra definitiones ipſius retractari &c.* Quænam præcipue ab Imperatore exigeret Simplicius, his verbis admonet, ut ſcilicet Timotheus cum ſectatoribus ſuis ad perpetuum deſtinaretur exilium una cum ceteris, qui ejuſdem tyrannidis participes fuerant, ut ibidem videre eſt.

CPolis terræmotu concutitur.

8. Interea cum vix in melius mutatæ res Eccleſiæ viderentur, ingens in urbe regia terræmotus excitatus eſt, quo omnium animi vehementius commoti ſunt, ac in immenſum afflicti: *Hoc anno*, ſcribit Theophanes in chronico, *horrendus terræmotus CPoli contigit, menſis Septembris die quinto ac vigeſimo, indictione prima, quo plures Eccleſiæ, domus, & porticus ad ſolum uſque funditus everſæ, ruinis innumera hominum multitudo oppreſſa eſt.*

Genſerici Vandalorum Regis obitus. *Victor. Vit. de perſec. Vandal lib. 1. pag. 21. ut ſup. pag. 21.*

9. Hoc anno Genſericus Vandalorum in Africa Rex vivere deſiit, cujus Imperium a capta Carthagine: *Duravit in Regno annis trigintaſeptem, & menſibus tribus*, ait Victor Vitenſis, cui conſentit auctor fragmenti Auguſtani ad Proſperi chronicon, quo de Genſerici Regno hæc leguntur: *Quo regnavit eamdem Africam civitatem annis 37. menſibus tribus, diebus ſex.* Hic etſi Ariana perfidia pollutus, & Martyrum ſanguine cruentatus eſſet, ut ſupra adnotavimus, feliciſſimus nihilominus, armiſque potentiſſimus fuit, cui non ſolum Carthaginem cum Africa invadere datum fuerat, ſed Urbem ipſam, totius Romani Imperii caput, & Metropolim diripere, ejuſdemque ſpoliis ditari. Quantas Eccleſiæ, & Imperio calamitates Genſericus attulerit, ſuo loco adnotavimus; hoc loco Victoris verba, quibus Genſerici geſta concludit, referre ſat erit: *Poſt hæc Genſericus Eccleſiam Cartaginis claudi præcepit, diſſipatis ac diſperſis per diverſa exiliorum loca, quia Epiſcopus non fuerat, Presbyteris & Miniſtris. Quæ vix reſerata eſt, Zenone Principe ſupplicante per Patricium Severum, & ſic univerſi ab exilio redierunt. Quæ vero in Hiſpania, in Italia, Dalmatia, Campania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Lucania, Epiro vel Hellada geſſerit, melius illi, qui paſſi ſunt, miſerabiliter lugenda narrabunt. Sed jam perſecutionis noſtræ a Genſeri-*

Genſerico quanto ſublimiter, tanto crudeliter geſtæ iſte ſit finis.

JESU CHR. AN. 477.

10. Genſerico Hunnericus filius ejus major ſucceſſit; Regni non ſolum hæres, ſed paternæ impietatis, Arianæque perfidiæ ſectator, æmulatorque acerrimus, itaut:

Hunnericus Genſerico ſuccedit, ejus mores.

Triſtius haud illo monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Dei ſtygis ſe ſe extulit undis,

etſi Regni ſui initio patre clementior videri voluerit: *Qui primordio Regni*, ait Victor Vitenſis, *ut habet ſubtilitas Barbarorum cæpit mitius, & moderatius agere, & maxime circa Religionem noſtram, ut etiam ubi antea ſub Rege Genſerico præjudicatum fuerat, ne ſpiritales fierent conventus, conventicula concurrerent populorum. Et ut ſe religioſum oſtenderet, ſtatuit ſollicitius requirendos Manichæos, ex quibus multos incendit, plurimos autem diſtraxit navibus tranſmarinis, quos pene omnes Manichæos ſuæ religionis invenit, & præcipue Presbyteros & Diaconos Arianæ hæreſeos. Unde magis erubeſcens, amplius in illos exarſit. De quibus repertus eſt unus, nomine Clementianus, Monachus illorum, ſcriptum habens in femore, Manichæus diſcipulus Chriſti Jeſu. Propter quod magis laudabilior memoratus tyrannus videbatur, in uno diſplicens, quia cupiditati inſatiabili vehementius inhiabat, & Provincias regni ſui variis calumniis, atque indictionibus onerabat, ut de illo præcipue diceretur: Rex egens magnus eſt calumniator.* Annos ſeptem, menſes decem. dies 18. regnavit, crudelitateque ſua paternum furorem ſuperavit, ut ex dicendis ſuo loco infra patebit.

Victor. Vit. lib. 2.

11. Odoacer interea, cum Urbem, Regnumque Italiæ occupaſſet, Romanæ curiæ Senatores legatos ad Zenonem miſit, ut Patriciatus dignitatem pro ſe ipſo a Zenone Imp. peterent; quo etiam tempore Nepos, qui in Dalmatia aliqualem Imperii umbram retinebat, legatos quoque ad eundem Imperatorem miſit, ut ſibi ad recuperandum Imperium auxilio eſſet, cui etſi favere viſus ſit Zeno, nil tamen Nepos obtinere potuit, ac Odoacer nullo reſiſtente, Italiæ regno potitus eſt. *Auguſtus Oreſtis filius*, ait Malchus in excerptis de legationibus, *ut audivit Zenonem iterum Orientis Imperium, expulſo Baſiliſco recuperaſſe, Senatum veteris Romæ legationem ad Zenonem mittere coegit, quæ illi ſigni-*

Odoacer Italiæ Rex legatos ad Zenonem Imp. mittit pacemque petit.

Hiſt. Bizant. pag. 93.

ejus ferebant, ait Liberatus in Breviario; quod ſane faciliimum fuit, nam *hauſto veneno ab humana vita*, ut optaverat, *ſolutus eſt*. Sic juſto Dei judicio factum, ut qui vivens diſcordiæ & hæreſis venena diſſeminaverat, quique Catholicorum, & maxime Proterii Alex. epiſcopi homicida fuerat, ſibimet, tamquam alter Judas, ſumpto veneno mortem inferret; diſcipulos tamen hæreſis ſuæ poſt ſe reliquit, Timotheanos dictos, quos Samuel quidam natione Syrus confutavit, ut narrat Gennadius: *Samuel Edeſſenæ eccleſiæ Presbyter multa adverſus Eccleſiæ inimicos Syro ſermone conſtruere dicitur, præcipua tamen intentione contra Neſtorianos, Eutychianos, & Timotheanos novellos, ſed ſibi diverſos hæreticos. Unde & frequenter triformem beſtiam Eccleſiaſtica ſimul ſententia cum auctoritate ſanctarum Scripturarum ſummatim confecit, oſtendens Neſtorianis, Deum in homine natum: Eutychianis veram humani generis carnem a Deo ſumptam, & non de Cælo exhibitam, nec craſſi aeris ſubſtantiam in carne inceſſiſſe formatam: Timotheanis, ita Verbum carnem factum, ut manente Verbo in ſua ſubſtantia, & homine in ſua natura, ſocietate, non commixtione, unam Filii Dei reddidiſſe perſonam. Vivere adhuc apud Conſtantinopolim dicitur.* Nam initio collati Anthemio Imperii & ſcripta ejus, *& eſſe eum in carne cognovi*, ait Gennadius de Samuele presbytero, cujus res geſtas, & ſcripta commemorat in bibliotheca Orientali Aſſemannus tom. 1. pag. 259.

JESU CHR. AN. 478. *Liber. c. 16. pag. 100.*

Gennad. de ſcript. eccleſ. cap. 81.

2. Timothejanæ hæreſis defenſionem, ideſt Eutychianæ Sirus quidam natione Alexandrinus arte medicus ex philoſopho monachus ſcripſit, *ac adverſus Neſtorium prius eleganter & fortiter, modo autem dum in illum invehitur nimius, & ſyllogiſmis magis quam Scripturis agit, Timotheanum dogma favere cœpit. Denique ambiguus etiam ſui, ſuſpendit animum a conſenſu Chalcedonenſis decreti, nec acquieſcendum putat Filium Dei duabus poſt Incarnationem conſtare naturis.* De Timothei autem ſcriptis addit Gennadius: *Scripſit ad Leonem Imperatorem libellum valde ſuaſorium, quem pravo ſenſu Patrum teſtimoniis in tantum roborare conatus eſt, ut ad decipiendum Imperatorem, & ſuam hæreſim conſtituendam, pene Leonem urbis Romæ Pontificem, & Chalcedonenſem Synodum, ac totos Occidentales Epiſcopos aliorum adminiculo Neſtorianos oſtenderet. Sed favente Deo a Chalcedonenſe*

Timothei, aliorumque ſcripta. *Gennad. cap. 81.*

JESU CHR. AN. 478.

nenſe concilio hoſtis Eccleſiæ arguitur & confutatur. Vivere adhuc in exilio jam hæreſiarcha dicitur, & habetur. Hunc ipſum libellum nocendi gratia ego rogatus a fratribus in latinum tranſtuli, & cavendum prætitulavi. Hæc ipſe: quibus apparet, ante hæc tempora, dum Timotheus in exilio ageret, Timothei Æluri librum ab eodem Gennadio eſſe translatum. Sed etſi hunc Timotheum dictæ hæreſis conſtet auctorem fuiſſe; ex his tamen, quæ ſuperius ſæpe dicta ſunt, ſatis apparet eundem Alexandrinum Timotheum eamdem, quam Dioſcorus atque Eutyches, hæreſim ſectatum eſſe. Quinam autem alii ſcriptores præter Samuelem in hoc tempore adverſus Eutychianam hæreſim ſcripſerint, alibi dictum eſt.

Timotheus Solofaſciolus Alex. rediit. Petrus Mongus Epiſc. ordinatur. *Evagr. lib. 3. 11.*

3. Timotheo Æluro defuncto, Alex. eccleſiæ diſſidia nequaquam extincta ſunt, nam etſi Timotheus alter Solofaſciolus dictus, in Proterii locum ordinatus, quique Æluri perſecutionem fugiens Canopi hactenus delituerat, Alexandriam rediiſſet, Epiſcopi nihilominus Ægyptii, qui Eutychianæ hæreſi patrocinabantur, Petrum Mongum Æluro ſucceſſorem dederunt: *Quod ubi Zenoni nunciatum eſt, vehementer eum quidem conturbavit, ac Petrum quidem Zeno morte mulctandum cenſuit*; eum tamen ſupervixiſſe infra videbimus. Timotheus interea Solofaſciolus *Imperatoris juſſu ſedem ſuam* (Alex.) *recuperavit*, ait Evagrius, qui non multo poſt, de Petri ordinatione agens, eum a duobus tantum Epiſcopis, eamdem cum illo hæreſim profitentibus, ordinatum fuiſſe addit. De reditu autem Solofaſcioli in Alex. thronum, viri ſanæ & integræ fidei, & vexationibus clariſſimi, hæc narrat Liberatus: *Morabatur tunc Timotheus catholicus in Canopo Caſtello, & cognoſcens Imperator Zenon calliditatem Hæreticorum, ſcripſit Anthemio Auguſtali, ut Petrum quidem ſacerdotio privaret, Timotheum vero in Epiſcopatum reduceret, & auctores inthronizati Petri puniret: Anthemius vero accepta Imperiali juſſione, expulit Sacerdotio Petrum, tanquam adulterum, & contra leges Eccleſiæ Catholicæ factum, & in Epiſcopalem ſedem Timotheum Solophaſciolum revocavit. Qui Epiſcopatu recepto, miſit quoſdam Clericos, gratias agens Imperatori.*

Lib. 3. 20. Liberat. cap. 16.

Liberat. c. 16.

Acacii epiſt. ad Simplicium Papam, de reditu Ti-

4. Timothei Solofaſcioli in Alex. eccleſiam reditum, æque ac profanam impuri hominis ordinationem, ideſt Petri Mongi, litteris ſuis Simplicio Papæ ſignificavit Acacius CP. Epi-

Jesu Chr. an. 478.

Epiſcopus, quibus de Timotheo hæc narrabat : *Timotheus paternorum canonum cuſtos, qui Davidicæ manſuetudinis exemplo ſubditur, & uſque in finem patiens, atque poteſtati propriæ a Chriſto propriæ ſedis honore lætatur. Attentius igitur oret veſtra Beatitudo, & pro Chriſtianorum honore, & pro nobis*; de ordinatione vero Petri, hæc adnotat : *Petrus noctis filius exiſtens, & operarum Dei lucentium alienus apparens omnino, tenebras ad latrocinium peragendum congruas, earum cooperator inveniens, media nocte adhuc jacente cadavere illius, qui paternos canones ſubverterat, inſepulto, ſubrepſit in ſedem, ſicut ipſe arbitratus eſt uno & ſolo præſente, & eo qui conſors illius inſiſtebat inſaniæ*. Hæc de Mongi ordinatione in Alexandrinum Epiſcopum Acacius ad Simplicium Papam ; quod etiam in libro de geſtis, & nomine Acacii adnotatur : *Timotheo damnato morte prævento, Petrus conſors ipſius ab uno hæretico Alexandrinis Epiſcopus ordinatur*. A duobus tamen Epiſcopis Petrum Mongum ordinatum fuiſſe Ægyptii Epiſcopi apud Evagrium narrant. At ſive ab uno, aut a duobus Epiſcopis, id certum eſt hæreticum ab hæreticis, vivente Timotheo Soloſaſciolo Epiſcopo, Petrum Mongum ordinatum fuiſſe. Quare ut hæc ab Acacio didicit Simplicius Papa, ad eumdem reſcribens, de Timotheo catholico Epiſcopo in Alex. ſedem reſtituto exultans ajebat : *Siquidem Alexandrina eccleſia, divino tandem judicio liberata, in conſortium communium nos advocans gaudiorum, eum qui ab hæretico fugatus fuerat, ad ejus ſedem rediiſſe teſtaris*; conſtantiorem nihilominus eum impoſterum in catholica fide tuenda futurum ſe cupere, poſt plurima addit : *Sicut ergo in reditu fratris, & Coepiſcopi noſtri Timothei gratulamur, ita eum commonente dilectione tua cupimus irreprehenſibilem reperiri; quia meminiſti hoc, eum jamdudum fidelis Præſulis non habuiſſe conſtantiam, quando ei, ut damnati Dioſcori nomen inter altaria recitaretur, extortum eſt*. Data tertio Idus Martii Illo viro Clariſſ. Coſſ.

[margin: ...mothei & ordinatio Petri Mongi. Concil. tom. 4. pag. 1080. — Concil. tom. 4. pag. 1081. — Evagr. lib. 3. 20. — Pag. 1019.]

5. Timotheus interea Soloſaſciolus cum Alex. ſedem recuperaſſet, ut muneri ſuo ſatisfaceret, legationem ad Simplicium Papam miſit ; tres autem miſſi ſunt legati, nempe Eſaias Epiſcopus, Nilus Presbyter, & Martyrius Diaconus. Qua quidem legatione in primis veniam precatur pro admiſſo delicto, cum olim urgentibus Eutychianis, ac mortem minitan-

[margin: Timothei Soloſaſcioli legatio ad Simplicium Pap.]

riora transferri piiſſima perceptione jubeatis, ne aliquos modicæ fidei, quod facere perhibetur, inficiat, & ad perverſitatis ſuæ inſtrumenta traducat &c. In epiſtola paulo poſt decimo Kal. Novemb. hoc eodem anno Illo Coſſ. data iterum eadem poſtulat: *Exhibens debitæ venerationis officium precor, ut ſtudioſius circa univerſæ fidei ſacerdotes, & maxime circa Alexandrinum epiſcopum, cujus certaminis & teſtes fuiſtis & judices, protectionis impendatis auxilium, & decernatis piiſſimis conſtitutis Petrum ſedis ipſius pervaſorem (cui nec in diaconatu ſuus potuit ordo conſtare) longius a tam præclara civitate relegari, ne infirmiores fidei aliquos forte ſeducat, & in eadem eccleſia (quod abſit) quæ ſopiſtis ſcandala, rurſus exagitet &c.* Hæc & alia pro Alexandrinæ eccleſiæ tranquillitate ad Zenonem Simplicius Papa. Pag. 1031.

8. Eamdem de reliquis etiam Orientalis Imperii eccleſiis curam geſſit Simplicius; hinc in epiſtola ad Acacium, poſtquam Timotheum Alex. perpetuo exilio dignum dixit; de Paulo Epheſino, Petro Antiocheno, & Joanne CP. presbytero, qui poſt Petrum Antiochenum invaſerat ſedem, ſubdit: *Cum quo Paulus ab Epheſina eccleſia, & Petrus ab Antiochena civitate depulſus, atque omnes qui ab eo ſe, vel ab his, quos illicite fecerat, æſtimant epiſcopos ordinatos, eadem debent lege percelli. De Antonio autem, qui eorum, quos contra eccleſiam tyrannos miſerat, anteſignanus exiſtens, ſicut ſcriptum eſt, inimicus & defenſor apparuit. De Joanne quondam Conſtantinopolitano, qui ab hæreticis Apamenum ſacerdotium, quod ei, qui presbyter aliunde fuerat, vel a catholicis ſumere non licebat, ſe hæreticum publicavit; & quod in ſe perperam factum eſt improperium retorſit in auctorem; expellens ab Antiochia Petrum pervaſorem ipſius, eamdem eccleſiam ipſe pervaſit, ſub anathemate a Chriſtianorum conſortio, vel ipſa appellatione removemus: nec unquam his ſatisfactionis patefaciendus eſt locus.* Quare Acacium admonet, ut eos, ceteroſque Eutychiana labe pollutos Imperatoris auctoritate, ab eccleſiis expelli curet. Hic Joannes porro, qui, Petro ejecto, Antiochenam invaſerat eccleſiam, tribus tantum menſibus in ea infedit, ut in chronico Theophanes, aliique ſcribunt. Unde factum eſt, ut Evagrius, Joanne prætermiſſo, Petro Gnapheo Stephanum ſucceſſiſſe narret: *Ejecto autem Petro, Stephanus Antiochenſis eccleſiæ Epiſcopatum ſortitus eſt, quem An-*

Simplicii Papæ epiſt. ad Acacium contra Paulum Epheſinum, & Petrum Antioch. Epiſc. Tom. 4. pag. 1040.

Evagr. lib. 3. 10.

Digitized by Google

ſulem Acacium CPolitanum. Ex his autem magnum paulo poſt in eccleſia incendium excitatum eſt, ut ex dicendis infra conſtabit.

Jesu Chr. An. 478.

10. Nam ex Zacharia hæc etiam de Joanne Alexandrino presbytero narrat Evagrius. *Joannes vero Presbyter & Oeconomus eccleſiæ S. Joannis Præcurſoris & Baptiſtæ, conſilio quorumdam Alexandrinorum, legatus miſſus eſt Conſtantinopolim, petiturus a Principe, ut ſi forte Epiſcopus ipſorum e vivis abiiſſet, liceret civibus Alexandrinis, quemcumque vellent, Epiſcopum eligere. Hic tamen, ſicuti Zacharias ſcribit, Epiſcopatum ſibimet ipſi ambire ab Imperatore deprehenſus eſt. Cumque ſe jurejurando obſtrinxiſſet, nunquam ſe Alexandrinam Sedem affectaturum eſſe, in patriam reverſus eſt. Imperator vero lege lata ſanxit, ut poſt mortem Timothei, is eſſet Epiſcopus, quem Clerus & Populus ſuffragiis ſuis elegiſſent. Haud multo poſt, mortuo Timotheo, idem Joannes data pecunia, ut ab eodem Zacharia relatum eſt, & jurejurando, quo ſe apud Principem obſtrinxerat, contemto, Epiſcopus Alexandrinus conſtituitur; quod ubi comperit Imperator, illum quidem ejici præcepit*. At de his infra.

Joannes Alex. Epiſcopatum invadit. Evagr. lib. 3. 12.

11. Tandem ut hujus anni geſta paucis complectamur, adnotare juvabit, hoc anno in Romana ſynodo a Simplicio Papa, ac ab Acacio in ſynodo CP. Timotheum Ælurum, Petrum Fullonem, Joannem Apamienſem, & Paulum Epheſiorum Epiſcopos condemnatos fuiſſe. De ſynodo CP id conſtat ex epiſtola Felicis Papæ tertii, Simplicii ſucceſſoris, ad clericos, & monachos Orientales, in qua, Acacium ſententiam mutaſſe, conqueritur his verbis: *Quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab Apoſtolica ſede damnari, ut his etiam vocabulum chriſtianorum tolleretur, quod geſta apud eum habita manifeſtant*, ideſt ſynodalia geſta ad Simplicium Papam miſſa, & iterum in tractatu de geſtis Acacii Gelaſio Papæ inſcripto: *Quos iterum damnatos dicit Acacius, petens ab Apoſtolica ſede, ut ſi forte ad eam confugerent, nec viſu dignos haberet, etſi jam aliquam indulgentiam forte impetraſſent, irritam eſſe debere, nec eorum pœnitentiam recipiendam*. Simplicius autem Acacii exemplo excitatus, acceptiſque CP ſynodi geſtis, Romæ ſynodum congregavit, cujus mentio in epiſtola Felicis Papæ tertii occurrit, atque iidem hæretici in

De concilio Rom. & CPolitano adverſus hæreticos.

Tom. 4. concil. p. 1125.

Pag. 1181.

JESU CHR. AN. 478.

CP ſynodo damnati, iterato anathemate in Romana perculſi
ſunt. Utramque ſynodum CP. ſcilicet, & Romanam an-
Pag. 1125. no 483. commemorat Baronius, eaſque eo anno poſt Sim-
An. 483. n. 52. plicii obitum celebratas fuiſſe ſcribit. At eas ad hunc an-
uum revocandas eſſe, cum adhuc cum Acacio CP epiſcopo
Simplicius Papa communionis vinculo jungeretur, poſt Va-
Pag. not. 3. ad 11. leſium adnotat ad hunc annum Pagius, pluribuſque argumen-
tis confirmat: ac harum ſynodorum geſta a conciliorum etiam
editoribus perperam, nulloque ſervato ordine confuſa fuiſſe
adnotat, cum præcipue nonnullæ Simplicii epiſtolæ ſucceſ-
Pag. 1058. ſori ejus inſcriptæ fuerint, cujuſmodi eſt epiſtola adverſus
Fullonem ſcripta, cujus initium: *Quis dabit capiti meo aquam*
Pag. 1066. &c. & ſententia in eumdem lata his verbis: *Quoniam im-
portabilibus verbis impie garrulaſti &c.* ad hunc etiam an-
num, & ad CP ſynodum referenda eſt Acacii epiſtola ad Pe-
trum Fullonem his verbis: *Obſtupuit Cœlum, & tremuit ter-
Pag. 1107. ra &c.* Executionem vero ſententiæ in Petrum Fullonem a
Simplicio Pontifice latæ Acacio CP. Epiſcopo delegatam
fuiſſe, Gelaſius Papa non uno in loco teſtatur; in epiſtola
ſcilicet ad Dardaniæ Epiſcopos: *Hæc* (ſedes Apoſtolica)
*dum Acacium certis comperiiſſet indiciis a communione catholi-
ca deviaſſe, diutius iſta non credens, quippe quem noverat
executorem ſæpe neceſſariæ diſpoſitionis ſuæ contra hæreticos
extitiſſe, per triennium fere litteris deſtinatis eumdem monere
non deſtitit*; & iterum in commonitorio ad Fauſtum: *In hac
ipſa cauſa, Timotheus Alex., & Petrus Antiochenus, Petrus,
Paulus, Joannes, & ceteri, non ſolum unus, ſed plures uti-
que nomen Sacerdotis præferentes, ſola ſedis Apoſtolicæ au-
ctoritate dejecti, cujus rei teſtis etiam ipſe Acacius, qui per-
ceptionis hujus extitit executor*; & paulo poſt: *Hoc igitur
modo recidens in conſortium damnatorum, eſt damnatus Aca-
cius, qui eorum damnationem, antequam prævaricator exiſte-
ret, fuerat executus*. Cumque anno 482. Acacius Zenonis
Imp. Henotico ſubſcripſiſſet, ac turpi lapſu cum hæreticis com-
munionem iniiſſet, fieri non potuit, ut ſententia Rom. ſy-
nodi anno 484. latæ, qua ipſe Acacius plectebatur, eidem
prævaricatori pro executione committeretur. Quare cum eas
Pag. 1095. & 1123. epiſtolas Felix Papa ſcribere non potuerit, hinc Simplicio
reſtituendas eſſe patet; & geſta in Romanis ſynodis, hoc &
ſe-

ſequentibus annis, male diſpoſita, ac confuſa ab editoribus conciliorum fuiſſe demonſtratur. Sed de his hactenus.

Orientalis eccleſiæ ſtatus luctuoſus

12. Gaudium, quod ex tanta rerum mutatione conceperat Simplicius Papa, ut ejuſdem epiſtolæ ad Zenonem Imp. & ad Acacium CP. Epiſcopum datæ teſtantur, in luctum paulo poſt converſum eſt. Nam tum Acacius CP. Epiſcopus, cum Zeno Imperator, qui hactenus in catholica Fide tuenda aliqualem ſollicitudinem geſſerant, paulo poſt in deterius mutati, eadem, quæ deſtruxerant, tanquam prævaricatores ædificare conati ſunt, & eumdem ipſum Petrum Mogum, quem litteris ſuis Acacius adeo fuerat execratus, ut noctis filium, latronem irrumpentem, alienæque ſedis Invaſorem dixerat, non multo poſt, ut Alex. thronum reciperet, idem ipſe Acacius effecit; ac cum eo communione ſociatus, adverſus Rom. Pontificem rebellis factus, pugnare non deſtitit, ut ex dicendis infra conſtabit. Eademque perfidia Zeno Imperator, qui hactenus catholicam fidem Imperiali juſſione confirmaverat, repente mutatus, hæreticorum patrocinium ſuſcepit, ac Hennoticum auctoritate ſua, ſive Unionis decretum promulgans, lucem cum tenebris componere præſumpſit, ac ut eidem omnes ſubſcriberent, juſſit. At hæc obiter nunc dicta ſufficiant, cetera etenim ex ſequentium annorum hiſtoria patebunt.

Anaſtaſius Hieroſolym. Epiſc. obiit, cui Martyrius ſuccedit.

Euthymii vita apud Coteleriam. eccl. Græcæ tom. 4. pag. 86.

13. Hoc etiam anno, quinto poſt Euthymii mortem, cum Anaſtaſius Hieroſolymorum Epiſcopus ex hac vita migraſſet; Martyrius inter Palæſtinæ monachos celeberrimus, *cujus ſæpe mentionem feci*, ait auctor vitæ Euthymii, in ejus locum ordinatus eſt; quod eidem longe antea Euthymius prædixerat. Simul autem ac Hieroſolymitanæ eccleſiæ thronum conſcendit ſanctiſſimus vir, cum in clero, & monachis Eutychianæ hæreſis ſtudia foveri cerneret, ut ingruentibus ex hæreticorum fraude malis occurreret, *ad Zenonem Imp. & ad Acacium CPolitanum Epiſcopum de Apoſchiſtarum*, ideſt Euthychianorum, *negotio, blaſphemia, & fugienda hæreſi ſcripſit, ſuaſque litteras Fido Diacono tradidit, non pauca quoque ore dicenda mandans*. Cumque Fidus Joppem profectus, navem conſcendiſſet, ac in Parthenico mari naufragium feciſſet, Magni Euthymii ope implorata, mirabiliter e periculo ereptus eſt, ac in littore conſtitutus, ut pluribus in vita Euthymii narrat Cyrillus.

Jesu Chr. An. 487.

Ambroſius Britanniæ Regnum occupat.

Pag. 69.

Beda de ſex ætat. in Zenone, & Hiſt. Angl. lib. 1. 16.

14. Jam vero ad Occidentales res oratio tranſeat, quæ ſane, ob barbarorum incurſiones, offuſa caligine involutæ jacuerunt. Cum etenim Occidentale Imperium penitus defeciſſet, ac Romæ regnaret Odoacer, ac is Italico Regno contentus ſe ſe continuiſſet, ceteræ extra Italiam provinciæ Barbarorum poteſtati, aut direptionibus expoſitæ remanſerunt. Inter ceteros Ambroſius Aurelianus cum Britanniam ab Auglo Saxonum infeſtationibus liberaſſet, Britanniæ Regnum occupavit; quod ſub Zenone Imp. accidiſſe narrat Beda, quoto autem Zenonis anno non indicat. Quomodo autem hæc acciderint, ex Gilda audire præſtat, qui horrendis Britanniæ calamitatibus, ſtragibuſque ab Anglo Saxonis patratis adiuit, ubi iidem receſſere, Britannorum reliquiæ aſſumptis viribus: *Duce Ambroſio Aureliano viro modeſto, qui ſolus forte Romanæ gentis Saxonum cædi, occiſis in eadem parentibus, purpura nimirum indutus ſuperfuerat, cujus nunc temporibus noſtris ſoboles magnopere avita bonitate degeneravit*; eo itaque Duce Britanni, adverſus hoſtes pugnantes, *nunc cives, nunc hoſtes vincebant*, uſque dum Regnum ſibi Ambroſius firmavit. Beda vero de Anglis adnotat: *Utebantur eo tempore Duce Ambroſio Aureliano, viro modeſto, qui ſolus forte Romanæ gentis, præfatæ tempeſtati ſuperfuerat, occiſis in eadem parentibus, regium nomen & inſigne præferentibus*. Hæc de Ambroſii Regno in Britannia ad hæc tempora.

Gilda de excidio Britann. Beda hiſt. Angl. lib. 1. 16.

Evaricus in Galliis Regnum dilatat, Arverno potitur.

15. Reliquæ autem Occidentalis Imperii provinciæ vix meliorem fortunam, quam Britanniæ hoc tempore expertæ ſunt; in Arianorum quippe Regum poteſtatem redactæ, graviſſimo Barbarorum jugo premebantur. Africa quippe ſub Hunnerici Vandalorum Regis, Genſerici filii, tyrannide gemens, paulo poſt graviorem adhuc, quam ſub Genſerico perſecutionem ſuſtinuit. Hiſpaniæ & Luſitania inter Viſigotos & Svevos diviſæ, non ſolum Ariana perfidia undique premebantur, ſed mutuis continuiſque bellis attritæ proſtratæque jacebant. In Galliis vero Evaricus Rex, capta opportunitate, cum Odoacer Italiæ Regnum occupaſſet, ad Alpes uſque Regni ſui fines dilatavit, ut Procopius, aliique narrant: *Ubi illam*, ideſt Italiam, ait Procopius, *in tyrannidem mutavit; tunc tyranni conceſſu, Galliam omnem ad Alpes uſque, quibus Gallorum ac Ligurum fines terminantur, Viſigothi*

Procop. de Bello Goth. lib. 1. 12.

gotbi obtinuerunt. Jornandes etiam narrata Urbis invaſione ab Odoacre facta, de rebus in Gallia geſtis addit: *Euricus Rex Viſigothorum, Romani Regni vaſtationem cernens, Arelatum, & Maſſiliam propriæ ſubdidit ditioni. Giſericus etenim Vandalorum Rex ſuis cum muneribus ad iſta committenda illexit, quatenus ipſe Leonis, vel Zenonis inſidias, quas contra eum direxerant, præcaveret, egitque ut Orientale Imperium Oſtrogothæ, Heſperium Viſigothæ vaſtarent, ut in utraque Republica hoſtibus decernentibus, ipſe in Africa quietus regnaret. Quod Euricus grato ſuſcipiens animo, totas Hiſpanias, Galliaſque ſibi jam jure proprio tenens, ſimul quoque & Burgundiones ſubegit*, qui in Provincia Italiæ finitima habitabant. Hæc quidem hoc tempore contigiſſe ſcimus, etſi certum aſſignare annum difficile ſit, cum præcipue non omnia uno anno, unoque tempore acciderint. JESU CHR. AN. 478. *Pag. an. 477. n. 10.*

16. Non ſine maxima autem eccleſiarum perturbatione hæc facta fuiſſe, Epiſcoporum exilia teſtantur, ac Sidonius de Arvernenſi invaſione agens confirmat, nam cum imminentia ex deditione Arvernenſi mala præſentiret, eadem lugens, ad Græcum hæc ſcribebat: *Si medicari noſtris ultimis non valetis, ſaltem hoc efficite, prece ſedula, ut ſanguis vivat, quorum eſt moritura libertas. Parate exulibus terram, capiendis redemptionem, viaticum peregrinaturis*. Ad eamdem Galliarum vaſtationem pertinet Fauſti Rejenſis Epiſcopi exilium, quem Evaricus ſolum vertere coegerat, ut in epiſtola ad Ruricium Lemovicenſem Epiſcopum idem narrat. *Gratias*, inquit, *ad vos, dum vobis de patria ſcribimus, qui nobis patriam in peregrinatione feciſtis, qui indefeſſa liberalitate patriæ deſideria temperaſtis, vim quamdam divinæ juſtitiæ, ſuccedentibus ſibi beneficiis, inferentes, ut quod intulerat ad caſtigationem, converteret ad honorem, conferret ad conſolationem, mutaret ad requiem mentis, noſtra prætermitteret, ut veſtra cumularet, debita obliviſcens, & lucra veſtra multiplicans, apud utraſque partes magnitudinem ſuæ bonitatis exercens, nos veſtro locupletaret obſequio, vos noſtro ditaret exilio*. Hæc Fauſtus de exilio ſuo in Lemovicenſem provinciam, quo cum eſſet, in alia epiſtola ad eumdem Ruricium Lemovicenſem Epiſcopum de ſe ipſo hæc iterum adnotat: *Dum novos cives commercio charitatis acquirimus, dum de acquiſitorum ſalute gaudemus; inter hæc poſiti bona, præſenti inſul-*

Sidonius Arverni invaſionem luget. Fauſtus in exilium mittitur. *Sidon. epiſt. lib. 7. 7.* *Biblioth. PP. tom. 4.* *Lib. 7. epiſt. 6.*

JESU CHR. AN. 479. *ſultamus exilio &c.* Hæc, & alia in eamdem rem, quæ perſequi longum eſſet, parumque juvaret. Quare ad alterum tranſimus annum.

JESU CHRISTI AN. 479. SIMPLICII PAPÆ 12.
ZENONIS IMP. 6. ODOACRIS REGIS ITALIÆ 4.
COSS. ZENONE AUG. III. SINE COLLEGA.

Stephanus Antioch. Epiſc. martyr occubuit.

1. Poſt Zenonis in aulam reditum, cum vix ab hæreticorum tumultibus reſpiraſſent Orientales eccleſiæ, hoc anno iterum turbatæ ſunt, ac præcipue Antiochena eccleſia. Cum etenim Stephanus, qui anno proximo ordinatus fuerat, ſynaxim cum catholicis ageret, Eutychiani hæretici Petri Gnaphei ſoboles, & fautores, eccleſiam ingreſſi, ſanctiſſimum virum interfecerunt, ut paucis verbis rem ex Joanne Rhetore narrat Evagrius: *Ejecto Petro, Stephanus Antiochenſis eccleſiæ Epiſcopatum ſortitus eſt, quem Antiochenſium pueri calamis inſtar telorum præacutis interfecerunt. Poſt Stephanum vero ejuſdem adminiſtratio Calendioni commiſſa eſt.* Poſt triennium tamen id accidit, nam Stephano Martyri alter Stephanus ab Evagrio prætermiſſus ſucceſſit, eique anno 482. Calendio, ut ſuo loco dicturi ſumus. In ipſo ſacrario immane facinus patratum fuiſſe, indicat Simplicii Papæ epiſtola ad Zenonem: *Actum eſt*, inquit, *quemadmodum perhibetis, inter altaria, non tam plebs pervaſionibus eorum, ſed ipſi quoque Præſules & prædicatores fidei perirent functis gladiis Sacerdotes*; & ne quid furori deeſſet, Martyris corpus in Orontem fluvium, qui Antiochiam præterfluit, conjecerunt, cujus memoria die 25. Aprilis cum hoc elogio recolitur. *Antiochiæ S. Stephani Epiſcopi, & Martyris, qui ab hæreticis ſanctam ſynodum Chalcedonenſem impugnantibus, multa paſſus, in Orontem fluvium præcipitatus eſt tempore Zenonis Imp.*

Tom. 4. concil. pag. 1033.

Petrus Fullo Pityunta relegatur. *Concil. ut ſup.*

2. Zeno autem Imp. ne tantum facinus impunitum relinqueret, meritis pœnis reos affecit, ac Fullonem hæreticorum perditiſſimum Pityunta relegavit, ut ex Simplicii Papæ epiſtola ad eumdem Imp. data ſcimus; qua ob vindictam in ſacrilegos ſumptam hæc habet: *De eccleſia Antiochena venerandos mihi ſemper veſtræ Pietatis apices gaviſus accepi, quibus ingenito vobis ſtudio catholicæ Religionis, poſt defenſionem*

nem fidei, quæ vos ſervat ac cuſtodit, impietatis audaciam & facinora apud Antiochiam perpetrata coercita reperimus: exultantes, vobis ineſſe animum fideliſſimi Sacerdotis, & Principis, ut Imperialis auctoritas, & juncta chriſtianæ Religionis acceptabilior Deo fieret, & appareret integritas: cum hi, qui in Epiſcoporum neces ſacrilega cæde verſati ſunt, dignis jubentur perire ſuppliciis; in quo, & quieti Eccleſiæ, & veſtro conſuleretis Imperio: qua vindicata Dei contumelia, ulciſcentis eſt gratia, & conciliatur his divini favoris auxilium, quorum cura ſacrilegium non reliquerit impunitum; deinde ſe alias de hæreticis in ultimas terras relegandis ſcripſiſſe adnotat; ac ut tandem id omnino fiat, Imperatorem hortatur: *Unde ſi quæ aliæ reliquiæ ſub veſtro reperiuntur Imperio, eas vel nunc in exteriores terras jubete propelli, ne qua deinceps in eo ſit neceſſitas, & cauſa ſupplicii, quia melius eſt aditum obſtruxiſſe, quam poenam exegiſſe peccati*. Quare Simplicii conſiliis morem gerens Imperator, Pityunta, triſtem in Ponto locum, Petrum Fullonem relegavit.

JESU CHR. AN. 479.

3. In locum defuncti Stephani Martyris, alter ejuſdem nominis in Antiochena ſede Epiſcopus ordinatus eſt; cumque tumultibus adhuc fluctuaret eadem eccleſia, Stephani ſenioris ſanguine cruentata, ac periculum eſſet, ne hæretici aut ſuæ factionis virum in ea ſede locarent, aut ſeditiones excitarent, cædeſque iterum patrarentur; prudenti conſilio factum eſt, ut Antiochenſis Epiſcopus CPoli ab Acacio ordinaretur; cumque id eccleſiaſticis regulis, ac Nicæno concilio prohiberetur, ut extra provinciam ſcilicet Epiſcopus ordinaretur, ac præcipue Antiochenus, qui ab Orientali concilio ordinandus erat; hinc litteris ſuis apud Simplicium Papam excuſavit Acacius; Pontifex vero, re ſerius conſiderata, Acacii ordinationem probavit, ea tamen expreſſa conditione, ut id, quod neceſſitate urgente tunc factum fuerat, in exemplum non traheretur, nec CPolitanus Epiſcopus Antiocheni ordinationem ſibi vindicaret, ut in ſua ad Acacium epiſtola admonet; qua de geſtis Antiochiæ, & Stephani junioris ordinatione, hæc inter cetera habet: *Quamvis enim profecerit ad quietem, quod Chriſtianiſſimi Principis juſſione, vel ſine præjudicio canonum a tua charitate fuerit Antiochenus Epiſcopus ordinatus: tamen non eſt ſine invidia factum, cujus cavendum deinceps etiam ille teſtatur, qui præcepit*

Stephanus junior Antioch. Epiſc. ordinatur.

Pag. ad an. 482. n. 2. ad 12.

JESU CHR. AN. 479. *cepit exemplum. In quo pietati ejus gratias dignum eſt nos referre: quoniam ita gloriæ ſuæ moderatus eſt poteſtatem, ut fideliſſima devotione Patrum regulis ſubmitteret, quæ juberet, nec in auctoritatem recipi, quod ſequenti conſtituit ætate prohiberi; ut ſcilicet in hac tantummodo perſona, quam juſſu ejus & ſtudio quietis Antiochenſibus, non ita uſurpatione, Antiſtitem conſecraſti, quod factum eſt, neceſſitate ſufficeret &c.* Hæc & alia ad Acacium Simplicius de Stephani ordinatione per Acacium peracta; idemque argumentum in altera ad Zenonem Imperatorem epiſtola pluribus perſequitur: *Et quoniam ſeditiones Antiochenas religioſiſſimo propoſito ſedandas, non aliter exiſtimaſtis, niſi (præter præjudicium venerandi illius Concilii Nicæni) apud Conſtantinopolim, iiſdem petentibus, ordinaretur Antiſtes: quod in ejus tantummodo perſona ſic memoraſtis aſſumptum, ut deinceps ſecundum definitiones Patrum Orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis ſervaretur, nec haberi loco vultis injuriæ, quod diſſenſionis gratia factum eſt auferendæ. Tenet hanc pietatis veſtræ beatus Petrus Apoſtolus ſponſionem, & Chriſtianiſſimi Principis mentem in hæc verba juraſſe, quod poſthac in Antiochena Urbe, veteri more ſervato, a comprovincialibus ſuis Epiſcopus ordinetur: ne quod nunc frater & Coepiſcopus meus Acacius vobis eſt jubentibus executus, in uſum poſteritatis veniat, & ſtatuta Patrum, quæ præcipue præſtaſtis illæſa, confundat*; hæc aliaque in eamdem rem Simplicius, cujus epiſtolæ Decimo Kal. Julias, PoſtCC Illii inſcriptæ ſunt. Eas nihilominus nonniſi trieunio poſt, anno 482. cum Stephanus junior obiit, ac in ejus locum Calendio ordinatus eſt, datas fuiſſe Pagius ſcribit; ac loco PoſtCC Illii, legendum eſſe PoſtCC Placidi autumat: quod facile Pagio daremus, ſi Codicis alicujus auctoritate id confirmaſſet; at cum id tantum levioribus adſtruat conjecturis, a vulgata lectione nequaquam recedendum cenſemus.

Odoacri Regis præclara geſta.

4. Italicum Regnum ſumma æquitate, & clementia adminiſtrabat Odoacer, nam etſi Arianus eſſet, Catholicos nihilominus Epiſcopos, ac præcipue Epiphanium Ticinenſem tanti faciebat, ut ab eo rogatus per quinquennium Ticinenſibus tributa relaxaverit, cumque Liguriæ populi immodicis tributis vexarentur, eodem Epiphanio hortante, miſeros afflictoſque ſublevavit, ut narrat Ennodius in Epiphanii vita.

Ennod. Epiph. v. ta.

JE-

Digitized by Google

JESU CHRISTI an. 480. Simplicii Papæ 13.
Zenonis Imp. 7. Odoacris Regis 5.
Coss. Basilio Juniore.

Marciani rebellio adverſus Zenonem Imp.

1. Magni interea hoc anno tumultus in urbe Regia excitati ſunt; nam Marcianus, Anthemii Imperatoris filius, qui Leontiam Leonis Auguſti filiam duxerat, Zenonem Imperatorem Imperio iterum exturbare conatus eſt, ſibi magis, quam Zenoni jus ad Imperium eſſe prætexens, quod Leontiam, Leone Imperatore natam, duxiſſet; Adriadna vero Zenonis uxor nata eſſet, dum Leo privatus erat. Conjurationis participes Marciani fratres Romulus, & Procopius fuere, qui gravi commiſſa pugna, *& pluribus ex utraque parte cæſis, Marcianus adverſarios in fugam vertit. Eodemque impetu palatium occupaviſſet, niſi re in craſtinum dilata, opportunitatem e manibus elabi ſiniſſet*: Nam crapulæ & ſomno deditus victoria uti non potuit: *Poſtero etenim die a ſuis proditus*, confugit ad Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum; unde per vim extractus, Cæſaream Cappadociæ relegatus eſt, ubi monachis quibuſdam ſe aggregavit. At paulo poſt fugam meditari deprehenſus, Tarſum Ciliciæ deportatur, ac ut regnandi ſpe exciderat, *detonſa coma Presbyter eſt ordinatus*, ait Evagrius, cui Theodorus lector conſentit, ut ibidem videre eſt. Hilii opera rebellionem repreſſiſſe Zenonem adnotat Candidus apud Photium; ac Marcianum fuga elapſum, Galatiam turbaſſe ait, antequam in Iſauriam relegaretur; Procopium vero ejus fratrem in Thraciam ad Theodoricum Triarium confugiſſe addit; inde poſtea in Occidentem cum Romulo fratre tranſiit, ut Theodorus lector refert: ejuſdemque conjurationis Theodoricum Gothorum Ducem participem fuiſſe ait Evagrius, nam collectis ex Tracia copiis, cuncta, quæ obvia erant, uſque ad fauces Ponti vaſtavit, parumque abfuit, quin ipſam regiam urbem invaderet.

Evagr. lib. 3. 26.

Theodor. lect. lib. 1. 37. pag. 515. apud Phot. Cod. 79. pag. 68. Evagr. lib. 3. 25.

Nepos olim Imp. occiditur.

2. His Conſulibus, ut auctor eſt Marcellinus: *Nepos, quem dudum Oreſtes Imperio abdicaverat, Viatoris & Ovidæ Comitum ſuorum inſidiis, haud longe a Salona in villa ſua, occiſus eſt*: quinto anno, poſtquam Imperio dejectus fuerat, cujus etiam aliqualem majeſtatis umbram retinuerat,

JESU CHR. AN. 480.

non ſine melioris fortunæ, & Imperii recuperandi ſpe. Hinc ut ſupra ex Malcho Rhetore in excerptis de legationibus adnotavimus anno 476., cum Zeno Imperium recuperaſſet, legatione miſſa, de recuperato Imperio cum eo gratulatus, enixe rogavit, ut ſibi quoque ad recuperandum Occidentale Imperium opem ferret. At dum Zeno aliis diſtentus curis promiſſa differret, ſpem cum vita Nepos amiſit.

Africana eccleſia a Zenonis opera ſublevatur.

3. Poſt Genſerici obitum, ſub Hunnerico ejus filio, & Regni ſucceſſore, Africanam eccleſiam longa perſecutione vexatam, aliquantulum reſpiraſſe ſupra adnotavimus. Hoc anno Carthaginenſis Eccleſia, quæ longa annorum ſerie paſtore ſuo viduata in luctu perſeveraverat, ob Eugerii ordinationem nova luce illuſtrata eſt. *Dedit autem licentiam*, (Hunnericus) *Zenone Imperatore atque Placidia relicta Olybrii rogantibus, ut Carthaginenſis eccleſia ſibi quem vellet Epiſcopum ordinaret, quæ jam per vigintiquatuor annos tali ornamento fuerat deſtituta*. De Hunnerici legatione ad Zenonem Imp., ut integram cum eo pacem faceret, & Alexandri Zenonis legati ad Hunnericum, plura in excerptis de legationibus narrat Malchus. Inter cetera: *Eodem anno*, altero ſcilicet poſtquam Imperium Zeno recuperaverat, *Legati a Carthagine Bizantium venere, quos Alexander uxoris Alliari*, ſeu verius Olybrii, ut adnotat Valeſius, *procurator ducebat, qui jam olim a Zenone, Placidia conſentiente, eo miſſus fuerat. Dicebant vero Legati Hunnericum velle cum Imperatore ſine fraude amicitiam contrahere &c. Legatos Zeno liberaliter accepit, & honore debito eſt proſecutus, & muneribus pro merito ornatos dimiſit, & Alexandrum Comitem privatarum rerum fecit*. Alexander itaque, qui jam ab aliquot annis Carthaginem profectus fuerat, illuc anno 479. rediit, poſtulaturus ab Hunnerico, ut Orthodoxis liceret Epiſcopum eligere, quod & factum fuit, de quibus nunc agendum.

Hiſt. Bizant. pag. 95.

Hunnerici edicto Carthag. Epiſc. ordinatur

Victor Viten. de perſec. Vandali lib. 2. pag. 22.

4. Cum itaque ordinandi Epiſcopi poteſtatem feciſſet Hunnericus, Edictum quoque ad eccleſiam per Notarium ſuum nomine Vitared miſit, his verbis conceptum, ait Victor Vitenſis: *Juſſit vobis Dominus noſter dici, quia Imperator Zeno, & Placidia per Alexandrum virum illuſtrem ſcripſerunt, petentes ut Eccleſia Carthaginis religionis veſtræ proprium Epiſcopum habeat. Hoc fieri præcepit, atque eis reſcripſit, vel Legatis ab eis directis dici juſſit, ut ſicut petierun*

runt, vobis Epiſcopum quem volueritis ordinetis, eo ſub tenore ut noſtræ religionis Epiſcopi, qui apud Conſtantinopolim ſunt, & per alias Provincias Orientis, ex ejus præcepto liberum arbitrium habeant in Eccleſiis ſuis, quibus voluerint linguis populo tractare, & legem Chriſtianam colere, quemadmodum vos his, vel in aliis Eccleſiis, quæ in Provinciis Africanis conſtitutæ ſunt, liberum arbitrium habetis in Eccleſiis veſtris Miſſas agere, vel tractare, & quæ Legis ſunt, quemadmodum vultis facere. Nam ſi hoc circa eos non fuerit obſervatum, tam Epiſcopus, qui ordinatus fuerit, vel Clerici, ſed & alii Epiſcopi cum Clericis ſuis, qui in Africanis Provinciis ſunt, jubebuntur inter Mauros mitti. Lectum eſt edictum XIV. Kal. Julias feria IV. Quod Clericis dolorem movit, probe intelligentibus, ea ſibi conſtitutione dolos parari. Itaque Legato dixerunt: *Interpoſitis his conditionibus periculoſis, hæc Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere*. Vicit tamen populi deſiderium, Epiſcopum ſibi maxime cupientis, nec a clamoribus temperavit, donec poſtulatis ejus ſatisfactum eſt. JESU CHR. AN. 481.

5. Eugenius itaque electus & ordinatus eſt, cum maxima fidelium omnium lætitia, præcipue adoleſcentium, qui Epiſcopum in throno ſedentem nunquam viderant. Multis quidem laudibus Eugenium Victor exornat, cujus converſatio ac bona opera adeo illuſtria erant, ut non ſolum Catholici, ſed Ariani etiam diligerent; & ſane non ſolum ejus in pauperes eleemoſinas, ſed etiam humilitatem in illo, caritatem, & pietatem ſi quiſquam incipiat laudare, digno eloquio non poterit explicare, ait Victor Vitenſis. Hinc factum, ut cum fama ejus ubique celebris eſſet, *cœperunt exinde Arianorum Epiſcopi invidia gravi torqueri, quotidianis, & præcipue Cyrilla, eum calumniis inſectantes*. Sed de perſecutione, tum in Eugenium, cum in univerſam Africanam eccleſiam iterum excitata anno ſequenti, quo in Catholicos iterum Hunnericus ſœvire cœpit.

Eugenius Carthag. Epiſc. ordinatur, quis eſſet.

Victor Vit. pag. 23.

JESU CHRISTI AN. 481. SIMPLICII PAPÆ 14.
ZENONIS IMP. 8. ODOACRIS ITALIÆ REGIS 6.
COSS. PLACIDO SINE COLLEGA.

1. Frequentibus Gothorum irruptionibus vexabatur Orientale Imperium, ac anno elapſo uſque ad Regiæ urbis mœ-

Teodoricus Triarii filius obiit

JESU CHR. AN. 481. Evagr. lib. 3. 25.

mœnia Theodoricus Triarii filius infeſta arma intulerat, hoc tamen anno ob Theodorici obitum ingenti metu urbs Regia liberata eſt; cujus interitum Placido Coſſ. ideſt hoc anno narrat Marcellinus in chronico. Mortis genus his verbis deſcribit Evagrius: *Haſta amentata ante illius tabernaculum ſuſpenſa erat, more barbarico. Forte igitur cum corpus exercere vellet, equum ſibi adduci juſſit. Cumque ſtratoris auxilio haudquaquam uti ſoleret, ipſe in equum inſilit. Equus vero, utpote indomitus & ferox, cum Theodoricus ipſum ambabus tibiis nondum amplexus fuiſſet, anterioribus pedibus in ſublime elatis, poſterioribus dumtaxat inſiſtere atque ingredi cœpit. Adeo ut Theodoricus cum equo ſuo certans, ac neque illum freno retrahere auſus, ne retractus ſupra ipſum caderet, haſtæ cuſpidem impelleret, quæ in eum oblique impacta latus ejus vulneravit. Inde igitur in lectum delatus, cum paucos dies ſupervixiſſet, ex eo vulnere deceſſit*. Ob ejuſdem mortem Romanam Rempublicam periculo ereptam fuiſſe appoſite Jornandes adnotat; cujus geſta, bellicaſque expeditiones, pluribus perſequitur Malchus Rhetor in excerptis de legationibus; quem etiam ab altero Theodorico Amalo diſtinguendum eſſe ſcimus. Hic etenim paulo poſt Italiæ Regnum invaſit, ut infra dicturi ſumus.

Hiſt. Bizant. pag. 93. ad 97.

Hunnerici in ſuos crudelitas.

2. Hunnericus interea Vandalorum in Africa Rex, etſi mitius & moderatius agere cœpiſſet, non multo poſt efferatior adeo evaſit, ut Genſericum etiam crudelitate ſuperaverit; atque imprimis ut filiis ſuis Regnum relinqueret, in cognatos primum crudeliſſime ſœviit, ac præcipue in Theodoricum fratrem, filioſque ejus, Gentoniſque fratris filios: *Sciens uxorem Theodorici fratris aſtutam, credo ne forte maritum, aut majorem filium (quia prudens & ſapiens videbatur) conſiliis acrioribus adverſus tyrannum armaret, crimine appoſito eam interfici jubet. Poſt occiditur & ille filius magnis litteris inſtitutus, cui ſecundum Conſtitutionem Genſerici, eo quod major omnibus eſſet, regnum inter Nepotes potiſſimum debebatur*. Filio & matre interfectis, Theodoricum patrem, Gentonis filium cum uxore relegavit, ne conceſſo quidem auxilio ſervuli. Præpoſitum autem regni Heldicam capite plectit. Fratrem ejus Gamut, quem in Eccleſia aſylum quærentem occidere non potuerat, diu latrinis incluſit, multoque in obſcœno loco eum degere juſſit: deinde, cum

Victor Vit. hiſt. perſec. Vandal. lib. 2. pag. 25.

eum caprario quodam & ruſtico ad faciendas ſcrobes vineis profuturas condemnavit: quos etiam duodecies per annum, ideſt per ſingulos menſes flagellis crudelibus diſſipabat, vix modico aquæ cibariique panis conceſſo, idque quinquennio & ultra paſſi ſunt. Jocundum etiam ſuæ ſectæ Epiſcopum, quem etiam uti Patriarcham Ariani venerabantur, in media civitate in gradibus plateæ novæ concremari præcepit, ob hoc, quod in domo Theodorici fratris acceptiſſimus eſſet. Tot miſerorum ſtrage Hunnerici crudelitas excitabatur magis, quam extinguebatur. Hinc non immerito timebant Catholici, ne qui in ſuos adeo crudelis erat, in ipſos crudelius adhuc ſæviret; nec timendi deerat cauſa, quin in Catholicos perſecutionem inſtare non obſcura indicia præceſſerant.

Jesus Chr. an. 481.

Vandalicæ perſecutionis initia.

Victor ut ſup. pag. 27.

3. *Nam ferme ante biennium, quam fieret perſecutio*, ut ait Victor, multæ multis viſiones, apparitioneſque factæ ſunt, quas idem auctor perſequitur; his autem prætermiſſis, cum ob Eugenii ordinationem, ejuſque vitæ ſanctitatem, invidia flagrarent Ariani Epiſcopi, ſuggeſſerunt Regi, ut Catholicis, qui in Regis aula inſerviebant, Catholicorum conventus prohiberet. Ille vero ad eccleſiæ januas tortores collocavit, qui videntes fœminam vel maſculum in ſpecie ſuæ gentis ambulantes, illico palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibuſque in eiſdem colligatis, ac vehementius ſtringentes, ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. *Nonnulli dum hoc fieret, ſtatim oculos amiſerunt: alii ipſo dolore defuncti ſunt; mulieres vero poſt hanc pœnam capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per plateas ad oſtenſionem totius civitatis ducebantur: quod ſibi magis, quæ patiebantur, lucrum maximum computabant, quorum nos plurimos novimus, nec ſcimus eorum aliquem tunc etiam pœnis urgentibus a recto itinere deſtitiſſe*. At ubi his parum proficere animadvertit, quotquot in aula erant catholicæ fidei ſectatores, non ſolum annona & ſtipendiis privavit, ſed ruſticana etiam opera in Uticenſi agro exercere coegit, cumque quidam aridam manum habens, ſe operari non poſſe diceret, magis violenter juſſus eſt pergere. *Sed ubi ad locum ventum eſt, & præſertim pro eo orando ingemuerunt omnes, pietate divina illa arida incolumis Confeſſoris reſtituta eſt manus*. Hæc, aliaque Victor Vitenſis de initio perſecutionis ab Huunerico excitatæ, quæ nihilominus velitationes, leviores que pugnæ fuere gravio-

JESU CHR. AN. 481. viroris belli, quod poſtea adverſus catholicos geſſit, de quibus anno 484. dicturi ſumus.

De Francorum origine & moribus

4. Hic annus inde illuſtris fuit, quod primus fuit Chlodovæi Francorum Regis, qui cum primus ſuſcepto baptiſmate, ut ſuo loco dicturi ſumus, chriſtianam fidem cum gente ſua ſuſceperit, ſupra ceteros ejuſdem nationis Reges nomen ſuum poſteritati commendavit. Is vero Childerico patri ſucceſſit, qui Tornaci hoc anno obiit, ſepultuſque etnicorum more cum gladio regali, & annulo, quæ anno 1653 inventa & effoſſa, Pariſiis translata fuere, ut ſcribit Chisletius in libro de Chilperici gaza ſeu ſepulcro, cui hunc præfixit titulum: *Anaſtaſil Childericii Regis*. Annis autem triginta filius ejus Clodovæus regnavit, ad annum uſque 511. ut tradit Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 43. in hiſtoria Francorum. Antequam vero de Clodovæi geſtis ſermo fiat, de præclaræ gentis, eiuſque ducibus ad Clodovæum uſque, nonnulla ſummatim ſunt denotanda, ac primo illorum opinioni ceteris præferenda videtur, qui Francorum nomen, non unius gentis, ſed populorum complurium eſſe volunt, qui communi conſenſu ad libertatem aſpirantes Romanorum jugum exuerant. Qua de cauſa Francorum ſibi nomen peperere. Hos eſſe putant Bructeros, Chamavos, Chattos, Uſipios, & Teucteros, illos denique populos, qui regiones illas incolebant, ubi nunc Weſſfalia, Friſia, Saxonia, Turingia, Haſſia, Miſnia, & Franconia, quæ a Francis nomen habuit. Ac recte quidem ad mentem Hieronymi, qui de Conſtantii Imperatoris familiari agens, quem a dœmone liberavit Hilarion, ea ſcripto prodit: *Inter Saxones & Alamanos gens ejus non tam lata, quam valida apud hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur*. Cladibus ſuis ante imperium Aureliani Franci Hiſtoricis innotuere. Nondnm enim is purpuram ſumpſerat, cum in ipſius laudem eam milites cantilenam condidere: *Mille Francos, mille Sarmatas ſemel occidimus*. Egregium Aureliani facinus narrat Vopiſcus: *Aurelianus apud Moguntiacum Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis ſub corona vendiderit*. Inter gentes, quas in triumpho ſuo duxit Aurelianus, numerantur & Franci. Excurſibus ſuis circa Rhenum habitantibus ſæpenumero fuere moleſti, teſte Eumenii Panegyrico

Petavius Ration. Temp. part. 1. lib. 6. cap. 13.

rico. Fortitudine ſua, quam fide clariores evaſere; quod vitium ipſis Vopiſcus exprobrat, eo quod Proclum hoſtibus prodiderunt: *Probus Proculum cupientem in Francorum auxilium venire, a quibus originem ſe trahere ipſe dicebat, ipſis prodentibus Francis, quibus familiare eſt, ridendo fidem frangere, vicit & interemit*. Perfidiam tamen hanc ſuam virtutibus nonnullis redimebant, teſte Salviano: *Franci mendaces, ſed hoſpitales* lapſu temporis ad meliora ſe converterunt, itaut inter barbaras gentes meliores evaderent; unde Agathias: *Et ſane hi mihi etſi ceteris barbari, moribus tamen videntur quam optimis præditi, & maximum in modum civiles, nec quidquam habere, quod a nobis faciat alienos, præter veſtitus barbariem, & vocis innatæ ſonum linguæque. Quos equidem cum ob eorum virtutes, tum ob in ceteros æquitatem, inter ſeque concordiam mirum in modum admiratione, ratione, ac laudibus proſequor & magni facio*. Sed de Francorum moribus, virtutibus, aut vitiis hactenus, ne plura addendo in adulationis aut detractionis crimen labi videamur.

Agath. lib. 1. 4.

5. Quo tempore Francorum gens Reges habere cœperit, in obſcuro eſt. Cum Maximus anno 388. in Aquileenſi urbe obſideretur, Duces non Reges eidem genti præerant, ut auctor eſt Gregorius Turonenſis. *Eo tempore*, ait, *Genobaldo, Marcomero, & Sunnone ducibus, Franci in Germaniam prorupere*, Francorum hiſce ducibus nomen ſubregulorum a Sulpitio imponitur. Fama tenet, in Thuringia Francos *juxta pagos, vel civitates duos Reges crinitos ſuper ſe creaviſſe, de prima nobiliori ſuorum familia*. Primus in Regum ſerie & appellatione Pharamondus Francorum Annalibus collocatur, cujus Proſper in Pitheana editione Imperium cum Honorii anno 26. copulat, Æræ Dionyſianæ 420. *Feramundus regnat in Francia*. Aliis triennio ante Pharamondi initia cœpiſſe putant, qui occupata Treveri poſteris nomen commendavit ſuum. Anno circiter 428. ſucceſſorem ſuæ poteſtatis Clodionem reliquit, de quo hæc paucis Gregorius: *Ferunt etiam tunc Chlodionem utilem ac nobiliſſimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitabat*. Qui dilatandi Regni cupidus Gallias ingreſſus, earum partem ſibi aliquam occupavit; virtute tamen Ætii repreſſus, quod uſurparat, amiſit. Ad Felicis & Tauri Conſulatum hæc Proſper habet: *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Fran-*

De primis Francorum Regibus.
Gregr. Turon. Hiſt. Franc. lib. 2. 9. Petav. ut ſup.

Jesu Chr. An. 481. *ci poſſidendam occupaverunt*, *Ætii Comitis armis recepta*. Poſt annos circiter 18. ad Atrebatum regiones uſque regnum propagavit. Quo tempore a Majorano quoque non minimum cladis accepit, quam in Panegyrico Sidonius memorat:

> *Poſt tempore parvo*
> *Pugnaſtis pariter*, *Francus qua Clojo patentes*
> *Atrebatum terras pervaſerat*;

ac addit Francos cœſos fuiſſe, cum nuptiarum occaſione convivium ſolemne agerent; unde ſubdit:

> *Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito*,
> *Hos ergo*, *ut perhibent*, *ſtravit*.

Nihilominus, ſi Gregorio fides, *Chlogio miſſis exploratoribus ad urbem Cameracum perluſtrat omnia*. *Ipſe ſecutus Romanos proterit*, *civitatem apprehendit*, *in qua paucum tempus reſidens uſque Suminam fluvium occupavit*. Cumque Francis annos 20. imperaſſet, Meroveo Regnum reliquit affini ſuo. Merovei initia cum Theodoſii anno 25. ab Honorii morte ducto, a Proſpero copulantur: *Meroveus in Francia*. Annus Dionyſianus 448. Qui exiguis regni ſui limitibus haud contentus, avulſa Galliarum parte, illud amplificavit, quo ſpectare videntur Sidonii carmina in Panegyrico, quem Avito nuncupavit:

> *Francus Germanum primum Belgamque ſecundum*
> *Sternebat*.

Ad annum uſque decimum Meroveus Imperium tenuit, quo labente fato functus anno 458. Childericum Regni hæredem reliquit; qui regia poteſtate abutens, ſubditorum odia ſibi conciliavit, ac Regno ejectus, aliquanto tempore apud Turingios vixit. At Vinomadi opera cum ſibi Procerum animos reconciliaſſet, ab exilio revocatus, Regnum recuperavit, quod uſque ad labentem annum, non ſolum tenuit, ſed multum etiam dilatavit, quo defuncto, Clodovæus Francorum Regno hoc eodem anno potitus eſt. Atque hæc altius repetenda, diligentiuſque adnotanda erant, cum impoſterum frequens Fran-

Francorum Regum in eccleſiaſtica hiſtoria mentio facienda eſt.

6. Clodovæus interea annum agens decimumquintum, paternum adeptus Regnum, paternæ quoque ſuperſtitionis particeps erat. At initis cum Chlotilde Chilperici Burgundionum Regis filia nuptiis, quæ Chriſtianam religionem toto corde ſectabatur, per fidelem mulierem ſanctificatus eſt vir infidelis; nullam quippe occaſionem ſanctiſſima femina prætermittebat, quin & verbo & exemplo Clodovæum excitaret, ut ſuperſtitione ejurata, Chriſti fidem ſuſciperet. Cumque filium ex eo ſuſcepiſſet, cui Ingomeri nomen impoſitum fuerat, maxima cum pompa, ut chriſtianorum ritu baptizaretur a marito obtinuit. At *in ipſis ſicut regeneratus fuerat albis* puerulus *obiit*, ut narrat Turonenſis. Alterum poſtea ex Chlotilde filium ſuſcepit Clodovæus, quem etiam baptiſmate ablutum Chlodomerem vocavit; at cum is quoque paulo poſt ægrotare coepiſſet, nimio dolore correptus Clodovæus: Neceſſe eſt, inquit, *ut is quoque baptizatus in nomine Chriſti veſtri, protinus moriatur*; quem incolumem ſicuti & fratrem ejus futurum ſperabat, ſi ſuis Numinibus dicatus fuiſſet. At ne in patris ſcandalum filii mors eſſet, orante Clotilde Chlodomeres convaluit, atque ita meliorem de chriſtiana Religione opinionem Clodovæus habere cœpit, ac tractu temporis de ejuſdem præſtantia edoctus, tandem & ipſe Chriſto nomen dedit, ut ſuo loco anno 496. dicturi ſumus.

Clodovæi Regis Franc. geſta uſque ad baptiſmum.

Greg. Turon. de 6. cap. 29.

7. Sic igitur cum Romanum in Occidente Imperium rueret, deſperatis pene rebus, divina Providentia factum eſt, ut ejus tantummodo gentis, ideſt Francorum Regnum apud poſteros feliciter propagaretur, penes quam cultus pietatis foret excellentius irradiaturus, cujus ut dictum eſt flores in Clodovæo primum hoc tempore apparuerunt, paulo poſt vero fructus etiam collecti ſunt, cum baptiſmum ſuſcepit, ac ſolus inter ejus ætatis Principes chriſtianæ & catholicæ Religionis ſectator, & patronus exiſtens, ſibi ſuiſque ſucceſſoribus glorioſiſſimum Chriſtianiſſimi nomen promeruit.

Mira Dei in eccleſiam catholicam providentia.

8. Orientalium autem res turbulentiores in dies evaſiſſe, quæ in Alexandrina eccleſia hoc anno contigerunt, ſatis indicant. Nam cum Timotheus Solofaſciolus catholicus Epiſcopus obiiſſet, cum eam ſedem per annos 23. tenuiſſet, ut ait Liberatus, interruptis licet vicibus, cum inde ſæpe expulſus fuerit, quadriennio autem ex quo Zenonis auctori-

Mors Timothei Solofaſcioli Alex. Epiſc. cui Joannes ſuccedit.

Liber. brev. cap. 16.

 tate

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 481.

tate Alex. thronum recuperaverat, cum itaque, ut habet Victor Turonenſis in chronico ad annum proximum his verbis, *PoſtCoſſ. Zenonis III. Timotheus cognomento Solafaſciolus ſynodi Chalcedonenſis defenſor moritur; pro eo Alex. eccleſiæ Joannes Tabenneſiota Presbyter, & Oeconomus ſynodi Chalcedonenſis defenſor Epiſcopus ordinatur*, quæ nihilominus ad

Pag. not. 19. ad an. 482. Baſnag. n. 7. hoc an.

labentem annum pertinere Pagius, & Baſnagius probant. Hic porro Joannes Tabennenſis dictus, & alio nomine Talaja in Timothei locum ordinatus, non ſolum catholicæ fidei obſervantiſſimus erat, ſed etiam mitiſſimi ingenii: *Quoniam idem Timotheus ſic mitiſſimus erat in Epiſcopatu, ut etiam a ſuis communicatoribus accuſaretur Imperatori tanquam nimis remiſſus, & circa hæreticos placidus; itaut ei ſcriberet Imperator, ut neque collectas neque baptiſmata ſineret hæreticos celebrare &c.* Hic autem Alex: Epiſcopus ordinatus, epiſtolas quidem pro more ad Simplicium Papam, & ad Epiſcopum Antiochenum miſit, ad Acacium vero CP. Epiſcopum nullas miſit, eo quod infenſus cum eo eſſet; tum ob ejus ſuperbiam, qua Alexandrinis Antiocheniſque Epiſcopis præſtare, ſupereminereque præſumebat, tum etiam, ut auctor eſt Liberatus, qui dum adhuc presbyter eſſet, Elli Magiſtri Officiorum, & Exconſulis, cui *multa & pretioſa xenia direxit*, protectione munitus, *Gennadium parentem Archiepiſcopi*, ideſt Soloſaſcioli deceſſoris ſui,

Liber. brev. cap. 16.

& Præſulem Acacium CP. Epiſcopum *deſpexerat*. Miro autem Epiſcoporum Ægypti, & Alex. cleri & populi conſenſu ordinatum fuiſſe Joannem Thalajam, teſtis eſt Simplicii Papæ epiſtola ad Acacium CP. qua ait: *Nuper ab*

tom. 4. concil. pag. 1035.

Ægyptia ſynodo, quæ & numero plurima, & fidei Catholicæ eſſet communione ſuffulta, atque ab ipſo omni propemodum clero Alexandrinæ Sedis, ad nos ex more relatio miſſa patefecit, ſanctæ memoriæ fratrem quondam, & Coepiſcopum noſtrum obiiſſe Timotheum; inque ejus vicem conſona Fidelium voluntate Joannem, cui ad Sacerdotium conſtare crederentur omnia, ſubrogatum: & nihil omnino reſtare videbatur, niſi ut Deo noſtro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, ut ſine ſtrepitu, quod Catholicus in defuncti miniſterium ſucceſſiſſet Antiſtes, Apoſtolicæ quoque moderationis aſſenſu votivam ſumeret firmitatem. Hæc Severino Coſſ. ideſt anno ſequenti Simplicius. Nec Ægyptiacam tantum ſynodum de Joannis ordinatione certiorem reddidiſſe Simplicium, ut ex ſupracitata Sim-

Simplicii epiſtola ſcimus, ſed ipſum Joannem officio ſuo non defuiſſe, ac perhonorifica legatione ordinationis ſuæ confirmationem poſtulaſſe, narrat breviculum hiſtoriæ Eutychianiſtarum his verbis: *Defuncto iſto Timotheo Epiſcopo, Joannes Oeconomus catholicus a catholicis ordinatur Epiſcopus, qui cum de conſuetudine majorum ad Apoſtolicam ſedem, ſynodica per Iſidorum presbyterum, & Petrum Diaconum ſcripta miſiſſet, ſuperveniente Uranio Subdiacono, & contra Joannem jam Epiſcopum ſacra Principis deferente, ab Epiſcopatus iſtius confirmatione Papa ſuſpenſus eſt*, quod etiam in ſupracitata ad Acacium epiſtola his verbis confirmat Simplicius; *Cum ecce ſecundum conſuetudinem, mihi talia diſponenti*, (ut ſcilicet Joannis Thalajæ ordinationem confirmaret) *tranquilliſſimi Principis ſcripta ſunt reddita, quibus memoratum tamquam perjurii reum (quod fraternitati quoque tuæ non eſſe diceretur incognitum) Sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, & meam revocavi ſuper ejus confirmatione ſententiam, ne quid contra tantum ac tale teſtimonium præponere feciſſe judicaret*. Sicque unius Acacii vindicta factum eſt, ut Zenonis Imp. auctoritate, Joannes catholicus Alex. throno excluderetur, & Petrus Mongus ob Eutychianam hæreſim depoſitus, & exilio deſtinatus, in eam ſedem reſtitueretur.

JESU CHR. AN. 481.

Tom. 4. concil. pag. 108.

9. Duo quippe Joanni Thalajæ præcipue objiciebantur, ne Alexandrinam ſedem retineret, primum quod juramento alias promiſerat, ſe nunquam Alex. ſedem occupaturum; alterum quod eo auctore, Dioſcori nomen aliquando in dypticis Alex. retentum & recitatum fuerat, de quibus hæc Liberatus: *Verum Joannes Thalaja de ordinatione ſua neglexit ſuas ſynodicas litteras Acacio Epiſcopo CP. deſtinare, habens enim amicum Ellum ſupradictum Magiſtrum, ei de ſua quidem ordinatione ſcripſit: ſcribens etiam Principi, quatenus per Ellum Magiſtrum omnis ejus cauſa diſponeretur, putans eum Conſtantinopoli permanere: mandavit ergo Magiſtriano litteras ſynodicas, delegans ei omnia cum illius facere voluntate*. Accidit autem ut tunc temporis CPoli Ellus abeſſet, Antiochiam ab Imperatore miſſus; quare Joannis legatus Antiochiam perrexit. Quam ob cauſam, *Acacius de ordinatione Joannis contriſtatus, quod ſynodicas ei epiſtolas non direxiſſet*, cum Gennadio Epiſcopo conjunctus, *apud Zenonem accuſabant eum, habentes adjutores patronos Petri Moggi, quaſi*

Joannes Thalaja Alex. throno excluſus qua de cauſa.

Liber. brev. capi 17. pag. 110.

Jesu Chr. an. 481. *quaſi opportunus Epiſcopatui non eſſet Joannes, eo quod, vivente Timotheo catholico, tractaverit exire de eccleſia, & ab ipſo ſuaderetur idem Timotheus ſuſcipere Dioſcorum in diptychis poſt mortem, Petrum autem amabilem eſſe populo, & poſſe eum in communionem populum congregare*. Acacio autem adjuncti ſunt ii, qui Petro Moggo favebant, unitatem quoque iidem fieri poſſe, ſi Petrus in Alex. ſedem reſtitueretur, ſimulantes, quos, cum jucundiſſime ſuſcepiſſet Acacius, *Imperatori præſentavit, & perſuaſit ei, ut ſcriberet Appollonio Auguſtali, & Duci Pergamio, ut Joannem ab Alex. ſede expelleret, quaſi eum contra ſuum jusjurandum, quod in regia civitate dedit, arripuiſſet, & cooperarentur Petro Moggo, ut remaneret ad ſedem, nec tamen prius hoc faceret, niſi ſuſciperet Hennoticum Principis, & ſynodicas deſtinaret epiſtolas CP. Acacio, & Simplicio Romano, & ceteris Archiepiſcopis*; quod cum factum fuiſſet, graviſſimæ turbæ in eccleſia iterum excitatæ ſunt, & longo tempore Orientalium eccleſiarum pars maxima diro ſchiſmate a Romana, & Occidentalibus divulſa eſt, ut annorum ſequentium hiſtoria demonſtrabit.

Liberat. ut ſup.

JESU CHRISTI Annus 482. Simplicii Papae 15.
Zenonis Imp. 9. Odoacris Italiæ Regis 7.
Coss. Tracondo, et Severino.

Stephani junioris Antioch. Epiſc. obitus, cui Calendion ſuccedit.

1. Orientalem tantum Conſulem ſexennio proximo Faſti retinuerant, cum nullum hactenus Odoacer elegiſſet. At Italiæ rebus compoſitis, firmatoque ſibi Regno, cum Tracondo Severinum conſulem hoc anno Odoacer elegit; Tracondus vero illi conſulis frater erat. Interea cum hoc anno Stephanus junior Antiochenus Epiſcopus, tertio ſuæ ſedis anno ex hac vita migraſſet, Calendion in ejus locum Epiſcopus eſt ordinatus. Hunc quidem ab Orientali ſynodo juxta veterem morem electum & ordinatum fuiſſe Baronius ſcribit; ac ea de cauſa, quod eum Acacius CP. Epiſcopus non ordinaverit, ſicuti in præceſſore acciderat, infenſo in ipſum animo fuiſſe, ac curaſſe, ut in exilium ejiceretur, & Petrus in Antiochena ſede reſtitueretur, addit. Calendionem nihilominus in Regia urbe ordinatum fuiſſe, ex eaque Antiochiam miſſum tradit Candidus apud Photium: *Cum Petrus ille*

Bar. 482. 2. & 3.

ille impius Orientis turbaret eccleſias, *miſit Zeno Imp. Calendionem*, *ut Antiochenæ ſedis Epiſcopus ſacraretur*. Idem confirmat Gelaſius Papa, ſive alius auctor de geſtis Acacii, dum inter Acacii facinora narrat, *quod Petrum Antiochenum*, *ejecto catholico Calendione*, *quem ipſe ordinaverat*, *ad Antiochenam miſit eccleſiam*. Id vero neceſſitate ſuadente, cum Petrus Gnapheus Antiochenam turbaret eccleſiam, ut in prædeceſſore Stephano acciderat, factum fuiſſe, Simplicius Papa teſtatur; ac neceſſitati cedens Calendionis ordinationem ab Acacio factam confirmavit, ut in epiſtola idibus Julii data hoc anno, Severino Coſſ. his verbis teſtatur. *Antiocheni exordium Sacerdotis*, *qua ratione fuerit ſerius indicatum*, *quamvis minime nos latere potuerit*, *tamen & ipſe*, *vel ſynodus ipſius indicavit*: *Quod ſicut non optavimus fieri*, *ita faciles excuſationi*, *quam neceſſitas fecit extitimus*: *quia quod voluntarium non eſt*, *vocari non poteſt in reatum*.

Jesu Chr. an. 482.

Phot C. d. 79. pag. 66.

Concil. tom. 4. pag. 1082.

Simplicii epiſt. 16. tom. 4. pag. 1035.

2. Calendionem porro non ſolum catholicum fuiſſe adnotat Evagrius, ſed hæreticorum infenſiſſimum adverſarium, *Poſt Stephanum ejuſdem ſedis adminiſtratio Calendioni commiſſa eſt*. *Hic omnibus*, *qui ipſum adibant*, *perſuaſit*, *ut Timotheum una cum Encyclicis Baſiliſci litteris ſub anathemate damnarent*. Poſtquam vero Antiochenam ſedem adeptus eſt, coacto Orientali concilio, de ordinatione ſua Anaſtaſium Epiſcopum cum litteris ad Simplicium Papam miſit; hinc factum ut cum Acacio Pontifex conquereretur, quod de Calendionis ordinatione nullas antea ſibi litteras dediſſet: *Et ideo*, inquit, *per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Anaſtaſium*, *qui ex prædicta regione*, Antiochia ſcilicet, *directus eſt*, *litteris quoque tuæ dilectionis acceptis*, *alterni viciſſitudinem ſermonis tuæ reddimus caritati*. *Neceſſario fratris & Coepiſcopi noſtri Calendionis ſacerdotium gremio apoſtolicæ ſedis amplexi*, *in conſortium noſtrum per gratiam Chriſti Dei noſtri tantæ Urbis Antiſtitem collegii unione numeramus*, ac quod de turbis in Alex. eccleſia ob Timothei obitum, & Joannis Thalajæ ordinationem, nihil ad ſe ſcripſiſſet, cum Acacio Simplicius conqueritur: *Unde agendum eſt*, inquit, *dilectioni tuæ cum clementiſſimo Principe*, *ne convellatur ſub ejus Imperio*, *quod tyranni temporibus*, id eſt Baſiliſci, *potuit obtineri*. Caledion autem *ſuſcepit ſynodicam Joannis Thalajæ*, *quam per Magiſtrianos miſerat Illo Magiſtro*, ait liberatus. Erat

Calendion litteras mittit ad Simplicium.

Evagr. lib. 3. 10.

Tom. 4. ut ſup.

Liber. cap. 18. pag. 119.

JESU CHR. AN. 482.

Erat autem Talaja, ut diximus, Alex. catholicus Epiſcopus, atque cum catholicis communione ſociatus, Eutychianiſtarum conſortia ita refugiebat; *Ut ſcribens ad Imp. Zenonem, & Acacium*, inquit Evagrius, *Petrum* (Moggum, qui Alex. eccleſiam invaſerat) *non ſolum adulterum vocat, verum etiam eum, cum eſſet Alexandriæ, Chalcedonenſi concilio anathema dixiſſe aſſerit*. Eaque de Cauſa cum catholicam fidem acerrime Calendi n tueretur, *in Oaſim deterrimum omnium exilium condemnatus eſt*. Sed de Calendionis exilio infra anno 484.

Evagr. lib. 3. 16.

Translatio reliquiarum S. Euſthaſii.

3. Calendion interea, cum Antiochenam eccleſiam gubernaret, Sancti Euſthaſii Antiocheni olim Epiſcopi, qui pro fide catholica exul occubuerat, Reliquias Antiochiam tranſferendas curavit, ut his verbis narrat Theodorus lector. *Calendion, cum a Zenone Euſthaſii reliquias poſtulaſſet, a Philippis urbe Macedoniæ, in quam olim relegatus, & in qua mortuus erat Euſtaſius, Antiochiam deportavit. Eas Antiochenſes maximo cum honore exceperunt, omniſque propemodum ætas extra urbem effuſa, ad octavumdecimum milliarium obviam eis proceſſit &c.* Calendion vero ob honorem reliquiis Euſthaſii delatum, ſicut is qui Prophetam in nomine Prophetæ recipit, Prophetæ mercedem recipit, ita Confeſſor Chriſti factus, eamdem mercedem recepit, dum catholicæ fidei tuendæ cauſa exilii pœnam ſuſtinuit, & confeſſoris titulum promeruit. Ceterum ad hunc annum adnotat Pagius nota 14., Euſthaſium non in Macedonia, ut ait Theodorus lector, ſed in Thraciam relegatum fuiſſe, ut in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis narrat Hieronymus; inde vero Philippis Macedoniæ ejuſdem Reliquiæ translatæ fuerunt, ac tandem a Calendione Antiochiam.

Theod. lector. lib. 2. p. 519.

Matt. 10.

Zeno Imp. Joannem Thalajam, Alex. ſede dejicit, ac Petrum Moggum in ea reſtituit.

4. Adverſus Joannem Thalajam in locum Timothei Alexandrini Epiſcopi anno proximo ordinati Fautores Petri Moggi cum Acacio CP. Epiſcopo ad eum ea ſede exturbandum conſpiraſſe, anno proximo diximus, ac Simplicium Papam, acceptis ab Zenone Imp. litteris, nullum de ejuſdem ordinatione judicium tuliſſe adnotavimus, qua ratione meditata perfecerint, ac Joanne ejecto, Petrum Moggum in Alex. ſedem reſtituerint. Quare cum Imperatori perſuaſiſſet Acacius, *Petrum amabilem in populo, & poſſe eum in communionem populum congregare*, ut ait Liberatus, Joanni

Liber. cap. 17. & 18.

ni vero detrahebant plurima objicientes, una cum Petri Moggi fautoribus, quaſi *Epiſcopatui opportunus non eſſet Joannes*. Quibus cum annuiſſet Zeno Imperator, Apollonio Auguſtali, & Duci Pergamio ſcripſit, ut Joannem Alexandrina ſede expellerent, ac Petrum Moggum revocarent, ut narrat Liberatus. Jesu Chr. an. 482.

5. Joannes autem his cognitis, Alexandria aufugit, ac Antiochiam profectus eſt, ut videret Ellum Magiſtrum, cui cum narraſſet ea, quæ ſibi evenerant, *Ejus conſilio ingreſſus eſt ad Calendionem Antiochenum Patriarcham. Et ſumptis ab eo interceſſionis ſynodicis litteris, Romanum Pontificem Simplicium appellavit, ſicut beatus fecit Athanaſius. Et ſuaſit, ſcribere pro ſe Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo: & quidem ad hoc Simplicius præparati animi, & voluntatis fuit. Acacius vero, ſuſceptis epiſtolis Simplicii, reſcripſit ei, quia Joannem quidem Alexandriæ ignoraret Epiſcopum, Petrum vero Moggum ſuſcepiſſet in communionem, in Zenonis principis unitivo, & quod hoc contra ejus geſſiſſet ſententiam, propter unitatem eccleſiarum, Principis juſſione*. Hactenus Liberatus de Joannis geſtis, quem Athanaſii exemplo ab injuſta Zenonis ſententia, qua ſede ſua dejectus fuerat, ad Simplicium Papam appellaſſe commemorat, quod & Gelaſius in ſuo de geſtis Acacii libello confirmat his verbis: *Supervenit Sanctus Joannes Epiſcopus, qui ſicut decebat ab Apoſtolica ſede ſuſceptus eſt, nam & priores ejus ſimiliter Romanæ eccleſiæ tempore perſecutionis ſuffugium popoſcerunt*. Hactenus de appellatione Joannis Thalajæ ad Apoſtolicam ſedem, quam Acacii pervicacia irritam reddidit.

Joannes Thalaja ejectus ad Simplicium Papam appellat. Liber. cap. 18. p. 120. Concil. tom. 4. pag. 1082.

6. Pulſo Joanne Thalaja, Petrus Moggus hæreticus, hæreticorumque fautor, contra Eccleſiæ canones, ac invito Simplicio Rom. Pontifice, Zenonis Imp. auctoritate, Alexandrinam invaſit eccleſiam. Pro ejuſdem reſtitutione, litteris ſuis Simplicii Papæ conſenſum ac ſuffragium Imperator exquiſierat. At etſi Simplicius nullum de Joannis ordinatione judicium tuliſſet, animo nihilominus exhorruit, dum accepit Petrum hæreticum Alex. ſedem iterum invaſiſſe, ac ad Acacium ſcribens, quam longe ab Imperatoris votis implendis eſſet, his verbis teſtatus eſt: *Sed illud non mediocriter facit attonitum, quod iiſdem litteris ſuis* (Zeno Imperator) *Petrum, qui hæreticorum ſocius dudum extitiſſe probatur*

Petrus Moggus Alex. ſedem occupat. Simplicii Papæ epiſt. ad Acacium. Tom. 4. concil. pag. 1037.

Jesu Chr. an. 482.

tur & princeps, quod conſcientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, inſtructioneſque ipſas, quibus fuerat confutatus, noſſe confidimus: quemque etiam dubium non ſit adhuc extra communionem durare Catholicam; ſæpeque nos de eodem ex illa urbe pellendo ſcripſiſſe ſit certum, ad præfatæ Eccleſiæ regimen exiſtimet provehendum: eumque promittat rectæ fidei definitionibus convenire, a cujus utique (ſicut ſuperius dixi) conſortio, tam degit extraneus, quam ab ejus communione diſcretus eſt, quem proinde vix ad agendam pœnitentiam recipiendum eſſe, longa oratione demonſtrat. Quare Acacium excitat Simplicius Papa, ut his opportune, & importune reſiſteret. *Data Idibus Julii, Severino V. C. Conſule*. Junxit his ejuſdem argumenti litteras ad Zenonem Imperatorem Simplicius Papa, ut ipſe teſtatur in aliis ad eumdem poſtea datis litteris, quæ non extant. Acacius vero, his acceptis, monita ejus ſprevit, nec quidquam eidem reſcripſit.

Simplicii epiſt altera ad Acacium, & Acacii reſponſio.

7. Simplicius vero anxius, ne Alexandrinus grex lupo traderetur, temperare ſe non potuit, quin poſt quatuor menſes, dormientem Acacium, quin ad malum vigilantem, his alteris litteris excitaret: *Cogitationum ferias non habemus, nec enim quieſcere nos cauſa permittit, quam ſi relinquamus, apud Chriſtum Dominum noſtrum, cujus intereſt, inexcuſabiles ſumus. Et mirum eſt, dilectionem tuam, tot emenſis temporibus, & tot opportunitatibus inde venientibus, nihil ad nos de Alexandrina Eccleſia, quæ tam graviter quatitur, inſtruere voluiſſe: cum monere te nec increpatio noſtra deſtiterit, ut participata ſollicitudine litteras meas apud Chriſtianiſſimum & clementiſſimum Principem præſentibus tuæ dilectionis proſequereris alloquiis; & inſtituti veteris memor, in Orthodoxorum defenſionem nobiſcum ſic ſemper incumberes, ne quiſquam noſtrum, Chriſtiana plebe pereunte, reatum deditionis incurrat, & mercenarius potius videatur eſſe, quam paſtor. Unde hortamur dilectionem tuam, ut opportune & importune piis auribus inſinuare non deſinas, quatenus remotis ſcandalis, quæ in Alexandrinam Eccleſiam recidivis auſibus irruerunt, pax optata reddatur; & celeriter vigilantiæ tuæ profectus, poſthabitis difficultatibus, inducatur. Data VIII. Idus Novemb. Severino Coſſ.* Fruſtra tamen Acacium ad prælium in hæreticos ineundum Simplicius excitavit. Hinc Simplicio reſcribens, aperte ſe hæretico patrocinari teſtatus eſt, ejus quidem

Tom. 4. pag. 1038.

Digitized by Google

dem litteræ perierunt; ſummam tamen earum hanc fuiſſe Liberatus prodit. *Reſcripſit*, inquit, *quia Joannem quidem Alexandriæ ignoraret Epiſcopum, Petrum vero Mongum ſuſcepiſſet in communionem, in Zenonis Principis unitivo, & quod hoc citra ejus ſententiam geſſiſſet, propter unitatem eccleſiarum Principis juſſione*. Ex his quippe Epiſcopis erat Acacius, qui fidem ſuam tempori, ac Principum voluntati accomodant. Ob Acacii lapſum, tantumque facinus, doluit ſanctiſſimus Pontifex, ac ad Acacium ſcribens, ſuam illi prævaricationem exprobravit. De iis epiſtolis, quæ non extant, hæc narrat Liberatus: *Simplicius ſuſcipiens hujuſmodi litteras, contriſtatur adverſus Acacium, eique reſcribit, quod non bene fecerit, contra ſententiam Apoſtolicæ Sedis ad communionem hæreticum hominem ſuſcipiens &c.*

Jesu Chr. An. 482. *Liberatus cap. 18. pag. 120.*

Liber. ut ſup.

8. Cum votis ſuis, de Petri in Alexandrinam ſedem reſtitutione, ſibi adverſari Simplicium Papam cognovit Zeno Imperator, ab Acacio ad vindictam excitatus, facinus intentatum hactenus, ac omni execratione dignum aggreſſus eſt, ac: *Primus Imperatorum*, ut ait Boſſuetius, *fidei controverſiis dirimendis ſe immiſcuit*; & Saulis exemplo moræ impatiens, ſacerdotale officium uſurpavit, ac Oziæ Regis temeritatem æmulatus, incenſum offerre præſumpſit, ſic ipſe auctoritate ſua catholicum Epiſcopum, ideſt Joannem, depoſuit, & Petrum hæreticum inſcio, & invito Rom. Pontifice, ſuæ ſedi, ideſt Alexandrinæ reſtituit. Neque his contentus, cum ſemel Sacerdotale officium exercere præſumpſiſſet, Fidei quoque decretum edidit, cui Epiſcopos ſub anathematis, & exilii pœna ſubſcribere juſſit. Infauſtum ſeu inſanum decretum ab oblivione Evagrius, & Liberatus vindicarunt, cujus hæc ſunt verba. *Zeno Imp, &c. Reverendiſſimis Alexandriæ, Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, Epiſcopis, Clericis, monachis, & laicis*. Ac primo Imperii firmitatem ex catholica Fide pendere ait, quam Nicæni & CPolitani Patres declaraverunt, cui ſe firmiter inhærere teſtatur. Deinde preces ſibi a religioſiſſimis Archimandritis, & Eremitis, aliiſque reverendis hominibus oblatas fuiſſe narrat, ut eccleſiis unitatem & concordiam, quæ hactenus turbata fuerat, reſtitueret. Quare ſe Nicænum & CPolitanum ſymbolum, & fidem in eo contentam recipere, ac venerari fatetur; eamdemque venerationem ſe Epheſinis Patribus, qui Neſtorium damnaverant,

Zenonis Imp. Henoticum, ſive decretum fidei.

Boſſuet hiſt. univerſ. pag. 153. edit. Latinæ.

Paralip. 2. 26.

Evagr. lib. 3. 14.

Evagr. lib. 3. 14. Liber. brev. cap. 18.

Jesu Chr. An. 482. profiteri addit, ac Eutychetem quoque, qui iis contraria docuerat, ſe damnare, ac Cyrilli capitula recipere profitetur, atque iterum fidei confeſſionem inſerit; qua & veram Trinitatem, & perfectam Filii Dei incarnationem exponit, ac ut eccleſiis uno omnes animo ſocientur, nulla ad Chalcedonenſem ſynodum habita ratione his verbis hortatur: *Hæc autem ſcripſimus vobis, non innovantes fidem, ſed ut vobis ſatisfaceremus. Quicumque vero aliter ſentit aut ſenſit, vel nunc, vel quandocumque alias, ſive Chalcedone, ſive in alia qualibet Synodo, eum anathematizamus: præcipue tamen Neſtorium, & Eutychen, & eos, qui idem cum illis ſentiunt &c.* Hactenus Zenonis decretum, quod etſi unionis inſcriptum fuerit, diſcordiæ tamen ſeminarium, & diſſenſionum cauſa fuit.

Quot abſurda Zenonis decretum contineret. Bar. n. 32.

9. Hac occaſione exclamat merito Baronius: Vidiſti fidei naufragium, eccleſiarum ruinam, cladem infelicem orthodoxorum, ſacrorum canonum abrogationem, ſancitam tacitam abdicationem Synodi Chalcedonenſis, inverſa jura, everſa catholica dogmata, affectos ignominia Patres, irriſas traditiones Eccleſiæ, Apoſtolicam læſam auctoritatem, ſpretam ſedis Pontificiæ majeſtatem, peſſumdatam funditus Chriſtianam religionem, exturbatamque penitus Eccleſiaſticam diſciplinam, dum laicus homo fidei decreta ſancit Epiſcopis, & claves poteſtatis ſuffurans latro, in non obtemperantes anathema violentus intorquet? Sed conſidera velatam fraudem. Simulat ſe Imperator cum Neſtorio damnare etiam Eutychetem, quo doceret ſe non eſſe hæreticum, qui auctorem hæreſis Eutychetem condemnabat. At numquid ſatis ad hæreſis proſcriptionem unius potuit eſſe damnatio, quæ quamplurimos habebat acerrimos defenſores? Cur non cum Eutychete hæreſim quoque ipſius, & omnes qui eam ſecuti eſſent, vel ſequerentur, pariter condemnavit: & cum ſcribat Enoticon illud ad Alexandrinos, cur ne verbum quidem habuit de damnatione Dioſcori Eutychiani erroris anteſignani? Satis igitur, puto, intelligis ſanctionem pacis & reconciliationis edictum intra ſe gladios peracutos occuluiſſe ad necem Orthodoxorum, & propinatum aureum calicem Babylonis intus continuiſſe blaſphemias.

Qua ratione Zenonis decretum reprobatum fuerit.

10. Quanta in execratione Zenonis decretum fuerit, tum Simplicio, cum Felici ejus ſucceſſori, ceteriſque orthodoxis

Digitized by Google

doxis Epiſcopis, inde facile patet, quod omnes, qui eidem ſubſcripſerunt, damnati ſunt, Petrus Mongus, Petrus Fullo, Acacius, aliique; de Felice autem Simplicii ſucceſſore, hæc adnotat Theodorus lector. *Cum omnes alii Patriarchæ Zenonis Henotico conſenſiſſent, ſolus Rom. urbis Epiſcopus Felix communicare ei noluit*. In illud vero præcipue Facundus ſtylum acuit, cujus hæc ſunt verba: *Ea vero, quæ poſtea Zeno Imp. calcata reverentia ordinis Dei, pro ſuo arbitrio ac poteſtate decrevit, quis accipiat, quis attendat? In quibus poteſtas inconſiderata, non quod expediret, ſed ſibi liceret, attendit. Nec intellexit, quod non confuſio faciat unitatem. Nam ſi unitas non hæreticorum converſione, ſed contagio & commixtione facienda eſt, cur Acephali tantum, & non omnes Hæretici admitterentur in Eccleſiam, ſuis erroribus non ante damnavit, neque receptis definitionibus, quæ adverſus errores eorum conſtituta ſunt*. Quare etſi Natali Alex., aliiſque concedatur Zenonis Henoticum hæreſim nullam continuiſſe, multa tamen continebat, quibus factum eſt, ut a piis ſanctiſque viris rejiceretur. Atque inprimis, quod ab homine laico editum eſſet, quod ne Principi cuiquam licet. Nam ut ad Conſtantium ajebat magnus Oſius: *Tibi Deus Imperium commiſit, nobis ea quæ ſunt Eccleſiæ concredidit; ſicut ergo qui Imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, divinam indignationem incurras. Neque igitur nobis fas eſt Imperium in terris tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes &c.* Hoc ipſum pii Imperatores teſtati ſunt, illicitum ſcilicet ſibi eſſe in fidei quæſtionibus, rebuſque eccleſiaſticis ſe immiſcere. Ita Valentinianus Imp. rogatus ab Orientis Epiſcopis, ut Nicænam fidem ab Arianis violatam lege ſua firmaret; ſibi id tanquam laico non licere reſpondit: *Et ideo*, inquit, *Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ſeorſim per ſe ubicumque ipſis libitum fuerit, in unum conveniant*. Nam ut in eamdem rem ajebat Ambroſius ad Valentinianum juniorem: *In cauſa fidei, vel eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere ſit impar, nec jure diſſimilis &c.* Id etiam in Zenonis Henotico reprehenſione dignum erat, quod Chalcedonenſis ſynodi auctoritatem minuebat, audacioreſque obtrectatores ejus reddebat, ac quaſi ea in fidei definitione aliquid

Theodor. lector. pag. 526. tom. 3. hiſt. eccleſ. Euſebii.

Facund. lib. 12. cap. 4.

Nat. Alex. tom. 5. pag. 106. & 327.

Sozom. lib. 6. cap. 7.

Ambr. lib. 5. epiſt. 35.

R 2 novaſ-

JESU CHR. AN. 482. novaſſet, ſpernendam eſſe his verbis docebat: *Quicumque aliter ſentit, vel nunc vel quandocumque alia, ſive Chalcedone, ſive in alia qualibet ſynodo, eum anathematizamus*. Demum in ſuo decreto Imperator definitionem Chalcedonenſis ſynodi contra Eutychem, & S. Leonis epiſtolam ad Flavianum, ſummo totius concilii conſenſu receptam & approbatam, ſilentio premit, quod ſane idem erat, ac fidei cauſam prodere, ac hæreticis ad fidem catholicam avertendam arma ſubminiſtrare. Quare ſicuti Heraclii Imp. Ecteſim, & Conſtantii Typum rejecit eccleſia, ob ſuppreſſas duarum operationum voces, quibus Monothelitarum hæreſis confutabatur, ita merito Zenonis Henoticum averſata eſt, ob prætteritam Chalcedonenſis ſynodi definitionem, & S. Leonis epiſtolam, obrutaſque ſilentio voces, quibus Eutychianam hæreſim jugulaverant: *Ex duabus, & in duabus naturis* Chriſtum ſubſiſtere. Tandem eo edicto hæreticos cum catholicis, abſque ulla retractatione, aut pœnitentia ſociabat Imperator, ac lucem cum tenebris, Chriſtum & Belial conjungere ſatagebat, quo ſolo titulo execratione dignum fuit, ut pluribus perſequitur Facundus Hermianenſis lib. 12. cap. 4.

Simplicius Papa Joannem Ravenn. Epiſc. arguit.

11. Rebus Orientis copioſe narratis, de Occidentalibus pauca ſubdimus; atque inprimis Simplicii Papæ epiſtola ſe offert ad Joannem Ravennatem Epiſcopum data, Severino Coſſ., qua gravi eum reprehenſione perſtringit, eo quod adhibita vi Gregorium quemdam ordinaverat, non ut eum honore afficeret, ſed ut eum loco ſuo moveret. Quare ob injuriam illatam, canoneſque ſpretos, his eum compellat verbis: *Ubi iſta didiciſti, quæ in fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Gregorium non electione ſed invidia perpetraſti, quam inexcuſabili violentia pertrahi ad te paſſus es atque vexari, ut ei honorem tantum non per animi tranquillitatem, ſed per amentiam, ſicut dicendum eſt, irrogares?* Ad Mutinenſem Gregorius Epiſcopatum provectus fuerat; injuriæ vero ob eam promotionem ſibi illatæ memor, a Pontifice Romano hæc impetravit, ut nullam cum Joanne cauſam habiturus, Mutinenſem gubernaret Eccleſiam: *Cui ſi quid negotii forſitan emerſerit, noſtrum ab eo, vel contra eum petatur examen*. Ob neceſſitates etiam, quas vi Joannis ſuſtinere compulſus eſt, poſſeſſio in Bononienſi agro triginta ſolidorum Gregorio conceditur, quæ poſt ipſius obitum ad Raven.

Concil. tom. 4. pag. 1068.

Digitized by Google

vennenſem Eccleſiam redibit. Quod ſi poſtmodum Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum Joannes invitum creaverit, ordinationes Ravennatenſis Eccleſiæ, vel Æmilienſis ſibi noverit auferendas; Data tertio Kal. Junii Severino Coſſ. Hactenus ad Joaonem Ravennatem Epiſcopum Simplicius, quibus ſummam eccleſiaſticæ diſciplinæ ſollicitudinem eum geſſiſſe, ac in Orientalis æque ac Occidentalis Eccleſiæ neceſſitatibus ſublevandis promptum fuiſſe patet.

Simplicii epiſtol. ad Zenonem Hiſpalenſem Epiſc. *Tom. 4. pag. 1068.*

12. Ejuſdem ſollicitudinis teſtis eſt altera ejuſdem Simplicii Papæ epiſtola ad Zenonem Hiſpalenſem Epiſcopum, quæ cum conſulum nota careat, nec quo anno ſcripta fuerit conſtet, hoc loco eam referre juvabit. Eaque vices ſuas eidem per totam Hiſpaniam delegat his verbis: *Plurimorum relatu comperimus dilectionem tuam fervore Spiritus Sancti ita ſe Eccleſiæ gubernatorem exiſtere, ut naufragii detrimenta, Deo auctore, non ſentiat. Talibus idcirco gloriantes indiciis, congruum duximus vicaria ſedis noſtræ te auctorite fulciri; cujus vigore munitus, Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, vel ſanctorum terminos Patrum nullo modo tranſcendi permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus eſt, per quem in his regionibus divinus creſcere innotuit cultus. Deus te incolumem cuſtodiat frater cariſſime.* Hæc Simplicius, ubique more majorum per vicarios Eccleſiæ catholicæ præſideus.

S. Severini Abbatis obitus.

13. Labente anno ex hac vita migravit S. Severinus Abbas, ob res præclare geſtas celeberrimus, ac Noricorum Apoſtolus dictus, de quo nonnulla ſupra diximus. Cum itaque Severiuus in oppido Batavis inter Rheuum, atque Danubium monaſterium, ſeu parvas cellulas ædificaſſet, ubi cum monachis ſuis hactenus vixerat; inſtante die ultimo, Rugorum Regem *Tebam* cum uxore ipſius *Giſa* crudeliſſima femina, ad ſe vocavit, ut in ejus vita narrat Eugipius ejus diſcipulus, ac Tebam quidem admonuit, ut ita cum ſubditis ageret, pro ſtatu Regni ſui rationem Deo redditurus. Ad Giſam vero converſus, ab ea quæſivit, pluriſne maritum, an aurum æſtimaret? Reſpondenti Giſæ ſe maritum cunctis opibus anteponere: *Ergo*, inquit, *deſine innocentes opprimere, ne illorum afflictio veſtram magis diſſipet poteſtatem.* Morti proximus fratres adeſſe præcepit, eoſque, ut ſuſceptam regularem diſciplinam retinerent, longa oratione admonuit, ac tandem: *Cunctos per ordinem ad oſculum ſuum juſſit accedere, & Sacramento*

Apud Bolland. die 8. Januarii.

com-

JESU CHR. AN. 482. *communionis percepto, fieri ſe penitus prohibet, totumque corpus ſigno crucis tenta manu conſignans, ut pſallerent imperavit. Quibus mœroris ſuffuſione cunctantibus, ipſe Pſalmum protulit ad canendum, Laudate Dominum in ſanctis ejus: & dicto, omnis Spiritus laudet Dominum, ſexto Iduum Januarii die., in hoc verſiculo, noſtris vix reſpondentibus, quievit in Domino.* Cujus Reliquiæ ſexennio poſt in Italiam, ac Neapolim translatæ, in Monaſterio S. Severini ordinis S. Benedicti reconditæ fuerunt, ejuſdemque memoria die octava Januarii in Martyrologio Rom. recolitur his verbis. *Apud Noricos ſancti Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium prædicavit, & Noricorum dictus eſt Apoſtolus.*

Odoacris lex de bonis eccleſiæ non alienandis.

14. Ad hunc ultimum Simplicii Papæ annum, Odoacris lex de bonis Eccleſiæ non alienandis, & de electi Pontificis confirmatione ab Italiæ Rege, ejuſque adminiſtris petenda & obtinenda alligari commode poteſt, cujus hæc ſunt verba: *Cum in unum apud Beatum Petrum Apoſtolum reſediſſent, ſublimis & eminentiſſimus vir Præfectus Prætorio atque Patricius, agens etiam vices Præcellentiſſimi Regis Odoacris, Baſilius dixit: Quamquam ſtudii noſtri, & religionis interſit, ut in Epiſcopatus electione concordia principaliter ſervetur Eccleſiæ, ne per occaſionem ſeditionis ſtatus civitatis vocetur in dubium, tamen admonitione beatiſſimi viri Papæ noſtri Simplicii, quam ante oculos ſemper habere debemus, hoc nobis meminiſtis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut propter illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce tranſire contigerit, non ſine noſtra conſultatione cujuslibet celebretur electio . . . . Quare ſi amplitudini veſtræ, vel Sanctitati placet, incolumia omnia, quæ ad futuri Antiſtitis electionem reſpiciunt, religioſa veneratione ſervemus, hanc Legem ſpecialiter præferentes, quam nobis, hæredibuſque noſtris chriſtiana mentis devotione ſancimus.* Sequuntur alia Conſtitutionis capita 1. *Ne umquam prædium, ſeu ruſticum, ſeu urbanum, vel ornamenta, aut miniſteria Eccleſiarum, quæ nunc ſunt . . . . ab eo, qui nunc Antiſtes ſub electione communi fuerat ordinandus, & illis, qui futuris ſeculi ſequentur, quocumque titulo atque commento alienentur. Si quis vero aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atque irritum judicetur, ſitque facienti, vel conſentienti, vel accipienti anathema.* 2. *Et is, qui prædium ruſticum, vel urbanum, juris*

Concil. tom. 4. pag. 1334.

Ec-

Eccleſiaſtici fuerit conſecutus, noverit, ſe nulla Legis præſcriptione munitum. Sed ſive is, qui alienaverit, ſive is, qui conſequenter voluntate contraria prædium hujuſmodi alienatum revocare tentaverit, id cum fructibus reſtituat, qui illud fuerit conſecutus. 3. Plane quæcumque in gemmis, vel auro atque argento, nec non & veſtibus, minus apta uſibus, vel ornatui videbuntur Eccleſiæ, quæ ſervari ac diu manere non poſſunt, ſub juſta æſtimatione vendantur, & erogatum religioſe proficiant. Hanc quidem conſtitutionem poſt Simplicii obitum, & vacante ſede ante Felicis ordinationem, anno proximo editam fuiſſe ſcribit Baronius. Vivente tamen adhuc Simplicio vulgatam fuiſſe, legis ipſius verba demonſtrant: *Si eum de hac luce tranſire contigerit*, ideſt Simplicium; clarius adhuc ex ſequentibus verbis id patet: *Admonitione Beatiſſimi Papæ noſtri Simplicii*. Si jam obiiſſet, Beatæ memoriæ dixiſſet Baſilius, neque etiam prænomen noſtri ad mortuum referri poteſt. Ea tamen lex, utpote eccleſiæ juribus, & libertati in Romani Pontificis electione contraria, in ſynodo Romana ſub Symmacho Papa anno 502. abrogata fuit, de quibus ſuo loco dicturi ſumus.

Bar. an. 483 num. 10.

JESU CHRISTI An. 483. Felicis Papæ 1.
Zenonis Imp. 10. Odoacris Italiæ Regis 8.
Coss. Fausto sine collega.

Simplicii Papæ obitus.

1. Fauſtum Aginatium ſolum Conſulem, & quidem in Occidente creatum, Faſti conſulares hoc anno exhibent, quo Simplicius Papa die prima vel ſecunda Martii vivere deſiit; ſepultuſque *in Baſilica S. Petri Apoſtoli ſexto nonas Martii*, ait Anaſtaſius, cum Romanam Eccleſiam gubernaſſet per annos quindecim, dies quinque aut ſex. De cujus geſtis ſuis annis plura diximus, hæc nihilominus ex Anaſtaſio adnotare juvabit: *Hic dedicavit baſilicam S. Stephani in Cœlio monte in urbe Roma, & baſilicam B. Apoſtoli Andreæ juxta baſilicam Sanctæ Mariæ, & aliam baſilicam S. Stephani juxta baſilicam S. Laurentii, & aliam baſilicam intra urbem Romam juxta Palatium Licinianum beatæ martyri Bibianæ, ubi corpus ejus requieſcit.* Quod vero ad baſilicam S. Andreæ in Eſquilino monte erectam pertinet, cum illa penitus diruta perierit, unicum extat de ea monumentum a Platina his verſibus a ſe lectis expreſſum: *Hæc*

Platina vitæ Rom. Pontif. pag. 67.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 483.

Hæc tibi mens valide decrevit prædia, Chriſte,
Cui teſtator opes detulit ille ſuas:
Simpliciuſque Papa ſacris cæleſtibus aptans
Effecit veri muneris eſſe tui.
Ne quod Apoſtolici deeſſent limina nobis
Martyris Andreæ nomine compoſuit.

Simplicium etiam porticibus exornaſſe baſilicam S. Petri, iiſque cum Pontificis domo eam conjunxiſſe, ita ut facilis aditus & receſſus eſſet, ac a pluvia tutus, hæc altera inſcriptio docet:

Cum ſubitis peragi fallax clementia veris
Et ſacer addendo feſta vetaret aquis
Simplicius Præſul ſacraria celſa petentem
Porticibus junctis texit ab imbre diem

His addit Anaſtaſius: *Hic conſtituit ad Sanctum Petrum Apoſtolum, & ad S. Paulum Apoſt. & ad S. Laurentium martyres hebdomadas, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes & baptiſmum.* Regionarii porro presbyteri pœnitentiarii, & hebdomadarii ii erant, qui in ſuo titulo per hebdomadas eccleſiis inſerviebant, miſſas celebrando, pœnitentiam lapſis, & baptiſmum petentibus cathecumenis miniſtrando, quorum locum Parochi nunc tenent. De Simplicio Papa in commentario prævio ad ordinem Romanum, ex Amalario adnotat Mabillonius paragrapho decimo ſexto, eum præter majorum ſuorum morem, qui menſe tantum Decembri ordinationes Sacerdotum, aliorumque eccleſiæ miniſtrorum peregerant; menſe Februario celebraſſe, quod etiam de eodem Simplicio adnotat Micrologus; Succeſſores vero Simplicii, uſque ad finem ſeculi nonniſi, Leonem ſecundum excipias, qui menſe Majo ordinationem fecit, S. Gregorium Magnum, qui unam menſe Septembri celebrarunt, ceteri vel menſe Decembri, vel in prima, aut in mediana hebdomada quadrageſimæ, ideſt, in quarta hebdomada, nunquam vero in Sabbato Sancto, & vigilia Paſchæ, ordinationes fecerunt, ut poſt Mabillonium loco ſupracitato adnotat Pagius nota 2. ad hunc annum.

Felix tertius Simplicio ſuccedit.

2. Poſt Simplicii obitum Felix Rom. Pontifex, die 6. Mar-

Martii, quæ in dominicam incidebat, ordinatus eſt, qui *natione Romanus, patre Felice Preſbytero, de titulo Faſciolæ* ab Anaſtaſio dicitur. Tertius autem hujus nominis communiter dictus, etſi ſecundus dici poſſet, cum Felix in Liberii Pontificis locum ordinatus, inter Rom. Pontifices retineri, aut recenſeri vix poſſit; Pontificatum vero adeptus, majorum ſuorum, ac præcipue Simplicii deceſſoris veſtigiis inhærens, Zenonis edictum ſive Henoticon abrogavit; nam ut ſupra ex Theodoro lectore adnotavimus, cum ceteri Patriarchæ decreto Zenonis ſubſcripſiſſent, *Solus Felix Romanus non communicavit*. Quanta autem pro reſtituenda in Orientalibus eccleſiis catholica fide, extinguendoque ſchiſmate egerit, aut ſcripſerit Felix Papa, ejuſdem epiſtolæ teſtantur, ac hujus, & ſequentium annorum hiſtoria monſtrabit. Hoc loco adnotandum eſt, inter plurimas Felicis epiſtolas, tres latine, & græce ſcriptas extare, quæ etſi Binnio, Labbeo, & Baronio genuinæ viſæ ſint; inter dubias nihilominus, & ſuppoſititias recenſendas eſſe, vel ipſe Græcus textus, & locutionis barbaries ſuadent. Harum duæ primæ ad Petrum Fullonem Antiochenum Epiſcopum datæ ſunt, tertia ad Zenonem Imp. ac inter Felicis epiſtolas locum tertiæ, quartæ, & quintæ tenent. Prima, quæ tertia numeratur, ex ſynodo Romana ad Petrum Fullonem hoc titulo inſcribitur: *Felix Epiſcopus, Petro Epiſcopo Antiochiæ*; eaque Petrum Fullonem non ſolum in Valentiniani, Manichæi, Arii, Sabelli, Appollinaris, & Eutychetis hæreſes, verum etiam in errores Ethnicorum, utpote plures Deos aſſerentem incidiſſe adnotat, atque, ut reſipiſcat, admonet. Secunda Epiſcopatum abdicat Petro: *Quoniam importabilibus verbis impie garrulaſti, & non judicaſti cedere prædictis ſanctis Patribus, qui ornarunt Sedem beatæ memoriæ multum triumphantis Ignatii martyris .... propter hoc Deus deſtruet te in finem .... & firma ſit hæc tua depoſitio, a me .... & ab Acacio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Paſtore*. Tertia, quæ quinta numero eſt ad Imp. Zenonem ſcripta, eumdem monet de Synodica Petri Fullonis damnatione, ac ut ab ipſius communione ſe abſtineat, & depoſitum Antiochena expellat Eccleſia, hortatur. Quarum ſane Epiſtolarum falſitas multis argumentis deprehenditur. Mittamus ſtyli barbariem a Felice prorſus alienam; quia id fortaſſe ex græca in latinum verſione transfuſum eſt. Id etiam a

Dupin. ſecul. 5. tom. 3. pag. 625. tom. 4. concil. pag. 1058. & ſeq.

Jesu Chr. an. 483. Rom. Pontificum conſuetudine alienum videtur, ut Felix Epiſcoporum, qui una ſecum in concilio Rom. Petrum depoſuerant, mentionem faceret his verbis. *Sit in te hæc fixa damnatio a me, & ab his, qui ſub me conſtituti, Epiſcopales ſedes gubernare noſcuntur*; cum econtra idem Felix Papa in epiſtola ad clericos, & monachos Orientales teſtetur: *Quoties intra Italiam propter eccleſiaſticas cauſas, præcipue fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ, ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta ſollicitudinem ſibi eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat*. His adde nullam in his tribus epiſtolis annorum, aut conſulis notam legi, quæ ſane in aliis ejuſdem Epiſtolis legitur. Falſum quoque eſt, hoc eodem tempore, quo Felix Petrum Fullonem ſive Gnapheum anathemate percuſſit, in eamdem quoque ſententiam Acacium CP. Epiſcopum conſpiraſſe; ut Felix diceret: *Firma ſit hæc tua depoſitio a me, & ab his qui una mecum Apoſtolicum thronum regunt; & ab Acacio CP. eccleſiæ paſtore, & a venerabilibus Epiſcopis ſibi ſubjectis*; nam ſcimus Acacium hoc tempore eo temeritatis deveniſſe, ut cum Petro Moggo Alex. Epiſcopo, & Petro Fullone Antiocheno ſocietatem inierit; communionemque ſociaverit. Hinc libello de geſtis Acacii: *Acacii audacia deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, ejecto catholico Calendione, quem ipſe ordinaverat, ad Antiochenam miſit eccleſiam*. Demum incertum eſt Felicem Papam in Petrum Fullonem anathema dixiſſe, eo quod in triſagio addiderit: *Qui Crucifixus eſt pro nobis*, de qua loquendi formula nulla adhuc quæſtio agitabatur. Ceterum etſi hæ epiſtolæ ſuſpectæ fidei ſint; antiquas tamen eſſe diſſimulari non poteſt; quarum in ſynodo quinta ſub Juſtiniano Imp. celebrata mentio occurrit; ac in vetuſtiſſimis, & bonæ notæ Codicibus, inter Rom. Pontificum epiſtolas recenſentur, quas ex Vallicellano Codice primum Baronius edidit, ſuiſque Annalibus inſeruit.

[Margin: pag. 1067. — pag. 1126. — pag. 1067. — pag. 1082.]

[Margin: Felix Papa legationem CPolim mittit. Tom. 4. pag. 1096.]

3. His prænotatis, quid Pontificatus ſui initio Felix geſſerit, nunc videamus. Cumque vivente adhuc Simplicio Joannes Thalaja, Alexandria profugus, Romam tamquam ad ſalutis portum perveniſſet, libellum Simplicio offerendum paraverat; at Pontificis morte, ne id exequeretur, prohibitus, Felici ſucceſſori obtulit. Unde in Acacii citatione idem Felix.

lix: *Superveniens Frater & Coepiſcopus noſter Joannes fugatus ab Hæreticis pervaſoribus ſedis Alexandrinæ, Libellum nobis, quem ſanctæ memoriæ deceſſori paraverat, porrigendum, quantum ex ſubjectis agnoſces, ingeſſit. Quem morem majoris ſui beatæ memoriæ exemplo, & priorum noſtrorum non potuimus refutare*. Quid Joannis Thalajæ libello contineretur, etſi perierit, judicatu facillimum eſt. Nempe ſe innocentem, rectæque fidei tenacem pulſum fuiſſe; ut ſibi impius, legumque everſor, & Chalcedonenſis ſynodi contemptor ſubſtitueretur. Id etiam moleſte ferebat, quod Joannes Antiochenæ invaſor Eccleſiæ, ab Acacio Tyrienſibus ſacris fuiſſet impoſitus, uti in Geſtis de nomine Acacii legitur. *Joannes Alexandrinus tacere non potuit, quod illum Joannem, quem damnaverat cum Petro, & ſine remedio pœnitentiæ fecit ab Apoſtolica Sede damnari, poſt tot damnationes Tyrionum miſerit eccleſiæ præſidere*. Lecto Thalajæ libello, reique gravitate penſata, litteras ſuas, tum ad Imperatorem, cum ad Acacium per legatos ſuos mittendas eſſe Felix cenſuit. Itaque Vitalis Tuentinus, & Miſenus Cumanus Epiſcopi ad eumdam legationem electi ſunt, quibus Felix Rom. eccleſiæ defenſor additus eſt, ut in epiſtola ad Acacium Felix Pontifex narrat his verbis: *De collegio noſtro, fratres & Coepiſcopos noſtros, Vitalem & Miſenum, cum quibus illum a latere noſtro fideliſſimum, noſtrum Felicem defenſorem, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ ordinatione direximus*. Acacio vero exprobat, quod diu non ſcripſerit & ejuſdem tacitam cum hæreticis conſpirationem. *Atque Ideo*, inquit, *cum ita ſit, moneo, hortor, & ſuadeo, ut quæ commiſſa ſunt, corrigas, & ſequentibus ſtudiis de te facias meliora ſentire*. Graviſſimis quoque verbis Zenonem rogat Auguſtum, ut Eccleſiæ Alexandrinæ miſereatur; *ne Sedes B. Evangeliſtæ Marci a doctrina magiſtri ſui, vel communione ſeparetur*. Ut vero ad Mongum dejiciendum impelleret, ſubjicit. *An non ipſe eſt, per triginta annos Catholicæ deſertor Eccleſiæ, inimicorumque ejus ſectator, & Doctor, & ad fundendum ſanguinem ſemper velox fuit, & promptus*.

Tom. 4. pag. 1091.

Citationis libelli a Felice ad Acacium CP miſſi.

4. Neque hic Felicis Papæ pro catholica fide zelus ſe continuit; ſed conſiderans Acacium præcipuum auctorem fuiſſe, ut ſurſdeque omnia in Orientalibus eccleſiis confunderentur, dum ipſe apud Imperatorem, non ſolum Henotici vulgandi auctor

JESU CHR. AN. 483.

fuerat; ſed etiam ut Joannes Thalaja catholicus Alex. epiſcopus ejiceretur, ac in eam ſedem Petrus Moggus hæreticus collocaretur; quare Romam, ad dicendam cauſam Acacium Felix Papa vocavit. Quod etiam Evagrius his verbis confirmat: *Cum Libelli*, inquit, *a Joanne Felici porrecti eſſent adverſus Acacium, ut qui illicite Petro communicaret, & alia quædam gereret contra ſacrorum canonum præſcriptum. Felix Vitalem, ac Miſenum Epiſcopos ad Zenonem miſit, poſcens ut Chalcedonenſis ſynodus firmaretur & Petrus tanquam hæreticus expelleretur: atque Acacius Romam mitteretur, rationem redditurus eorum, quæ Joannes ei objiciebat.* His fidem adſtruit libellus de geſtis Acacii, Gelaſio inſcriptus: Felix *electis Vitale Epiſcopo Troentinate ex Picena regione, & Miſeno Cumanæ Eccleſiæ Epiſcopo ex regione Campaniæ, ſub hac inſtructione direxit, ut Petrus de Alexandrina pelleretur Eccleſia, & ut libello Sancti Joannis Epiſcopi Alexandrini reſponderet Acacius, atque ipſi denuntiaretur Acacio, ut anathema diceret Petro.* Neque mirum, quod in epiſtola de citando Acacio Felix mentionis nil inſeruerit, cum ad eam rem Libellus evocationis ſufficeret. Teſtatur hæc quidem ipſe Felix in ſua ad Acacium epiſtola: *Quia non opus fuit litteris univerſa congerere*, Citationis verba inſeruere: *In Conventu fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum reſpondere feſtina, ut in alterutram partem, quod juſtitia paraverit, ordinantes, amotis ſcandalis Eccleſiarum, quas ſcindi videmus, reparata concordia, & ſervata integritate fidei, puris mentibus acceptiſſimas faciamus placationis hoſtias, quas pro omni populo Chriſtiano, & ſalute glorioſiſſimi Imperatoris offerimus.* In altero vero ad Zenonem libello narrat, conceptam de obruto tyranno lætitiam, qui litteris ſuis Chalcedonenſis Concilii auctoritatem everterat, in mœrorem mutatam eſſe eo quod Petrum Alexandrinæ eccleſiæ præfici juſſiſſet, aut permiſiſſet. Eodemque loco Zenonem admonet, ut auctoritate ſua curaret, ut Acacius quantocius Romam mitteretur, ut geſtorum ſuorum coram Romano Pontifice rationem redderet. Quos ſane citationis libellos, tum ad Acacium, cum ad Imperatorem immerito Dupinius in dubium revocat; cum iis non ſolum Evagrius fidem adſtruat, ſed Felicis etiam epiſtolæ, & tota geſtorum ſeries comprobent. Quis legationis exitus fuerit, anno ſequenti videbimus.

5. Nunc

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 483.

Petri Moggi acta, Chalcedonenſem ſynodum damnat.

5. Nunc Petri Moggi in Alexandrinam ſedem reverſi geſta proſequimur, qui cum mira ſimulandi arte polleret, ut Alexandrinum thronum invaderet, tempori & fortunæ inſerviens, aliqualem Chalcedonenſi ſynodo ſe obedientiam profiteri fingens, Zenonis Henotico ſubſcripſit, ac Chalcedonenſem ſynodum ſe ſuſcepturum pollicitus eſt. *Nec multo poſt*, ait Evagrius, *cum publica feſtivitas ageretur Alexandriæ, & Zenonis Henoticum omnes communi conſenſu amplecterentur, Petrus Proterianos quoque* (tenaciſſimos Chalcedoneſis ſynodi defenſores) *in communionem recepit*. At cum in ſcena hæc perfidus homo luſiſſet; paulo poſt, cum Eutychianos hanc ejus ſimulationem ægre ferre vidiſſet, qui etiam a ſua communione recedere minitabantur; ut hæreticos placaret, hæreticum quoque ſe ſe eſſe aperte prodidit. Rem paucis narrat Victor Tunonenſis, etſi loco non ſuo, ideſt anno ſuperiore: *Petrus confeſtim favore Principis ſynodum Chalcedonenſem de pulpito coram populo damnat: nomina Proterii, & Solafaſcioli de Eccleſiaſticis dypticis tollit, & Dioſcori, & Æluri, qui Proterium interfecit, ſcribit, corpuſque præfati Thimothei Solofaſcioli de Eccleſia ejiciens, in loco deſerto foris civitatem projecit*. Horrendum ſane dictu, quod Epiſcopus, qui Chalcedonenſem ſinodum amplexus fuerat, eo crudelitatis proceſſerit, ut deceſſoris ſui corpus Timothei Solofaſcioli tam impie tractaret. Id quidem a Thimotheo perpetratum fuiſſe narrat Liberatus: *Thimothei Catholici corpus de terra levavit, & foras projecit, qui inter Epiſcopos catholicos ſepultus fuerat*. Quæ ex Felicis ad Acacium Epiſtola deſumpta videntur. Ea quippe Felix objicit Petro: *Petrum violantem ſanctæ memoriæ Timothei ſepulturam, ſicut ad nos certiores nunc quoque nuncii detulerunt per Miſenum, & Vitalem, credideris excuſandum*. Facinus tamen tam impium inficiatur Mongus, ac conviciis, calumniiſque apponit: Ajunt, *quod ſancti Patris noſtri Archiepiſcopi B. Timothei reliquias alium in locum tranſtulerimus. Quod quidem facinus, nec Deo acceptum, nec Legibus conſentaneum*. Qui vero Chalcedonenſem Synodum impudenter negavit a ſe damnatam, potuit etiam eadem audacia impium ſcelus a ſe perpetratum inficiari. Quibus vero de cauſis, ad damnandam Synodum Chalcedonenſem Mongus fuerit impulſus, ex fama narrat Liberatus: *Petrus Mongus ab Abbate Ammone, & Joanne Epiſcopo Magileos & Abbati-*

Jesu Chr. an. 483. *batibus Monachorum inferioris Ægypti bella paſſus, & ſeditione in Cæſaræa Baſilica, ut dicitur facta, anathematizavit Synodum Chalcedonenſem, & tomum Leonis*. Id ubi Acacio nunciatum eſt, Petrum ſcilicet eo inſolentiæ progreſſum, ut publice Synodum Chalcedonenſem rejiceret, quoſdam Alexandriam miſit, qui rei veritatem inquirerent: *Quibus cum Petrus perſuadere vellet, nihil hujuſmodi a ſe factum, acta confici curavit, in quibus quidam teſtati ſunt, nihil ejuſmodi, quod quidem ſcirent, a Petro factum fuiſſe*. Ex partibus Timothei teſtes illi fuere, quos vel corruptos neceſſe eſt, vel ignoraſſe, quod ſancti corpus Præſulis effoſſum eſſet, & Concilium Chalcedonenſe damnatum. Epiſtola quoque ſua Petrus apud Acacium ſe purgatum voluit, quam refert Evagrius: *Deus Altiſſimus Sanctitati tuæ mercedem rependet pro tantis laboribus ac moleſtiis, quas per tot annorum curricula ſuſtinuiſti, Sanctorum Patrum fidem conſervans, quam quidem aſſidue prædicans confirmaſti*. Synodum Chalcedonenſem venerationi ſibi eſſe teſtatus, ſubjungit: Certiſſimis argumentis nobis perſuaſiſti, *nihil contra hæc actum eſſe in ſanctiſſima, & univerſali Synodo, quæ Chalcedone congregata eſt, utpote quæ cum Sanctis Patribus olim Nicææ collectis conſentiat*. Crimina, quorum poſtulabatur, quod & Timothei reliquias alio tranſtulerit, & Synodum Chalcedonenſem damnarit, ea ratione diluit, quod prius Legibus pugnet, poſterius vero, quod Synodum veneretur: *Quo enim modo Sanctam Chalcedonenſem Synodum anathematizare potuimus, cui credimus, & quam confirmavimus*. Denique convicia hæc levitati populorum, & Monachorum, novis rebus ſtudentium adſcribit. Innocentiæ vero ſuæ teſtes adhibet illos, qui ſecum Conventus celebrabant; *ut perſuaderemus, & ſatisfaceremus ſimplicioribus, curavimus, ut idem diceretur ab iis, qui una conventus agunt*. Legatorum ſuorum relatione, & Petri litteris de ejuſdem innocentia perſuaſum fuiſſe Acacium non miramur; a nobis tamen, aut Acacii diſſimulatio, vel impoſtoris epiſtolæ id obtinere non poſſunt; ut tot hiſtoricis, Petri Moggi perfidiam teſtantibus, fidem abnegemus.

Evagr. lib. 3. 17.

Acephalorum origo qui eſſent.

6. Cum Petrus Moggus Alex. ſedis invaſor Zenonis Henotico ſubſcripſiſſet, ut ea ratione de Chalcedonenſis ſynodi auctoritate diffidentes inter ſe conciliaret; accidit, ut ſyno-

ſynodi defenſores, æque ac impugnatores exaſperarentur. Nam qui Chalcedonenſibus ſtatutis infenſiores erant, ab ejuſdem communione divulſi, in novam coaluerunt ſectam, quæ Acephalorum dicta eſt; de quibus hæc ſcribit Leontius: *Conjunctione per Henoticum facta, Petrus apud Alexandrinos in honore præcipuo erat, probatoque Henotici ſcripto, ſolio potitur Alex. nec jam amplius occulte, ſed palam erat Epiſcopus. Quidam tamen nimio contra Synodum Chalcedonenſem odio impulſi, ſeceſſionem a Petro faciunt, nec cum illo communicabant, ob eam cauſam, quod Henotico probato, Synodum anathemate manifeſto non fuiſſet execratus. Atque hi vocantur Acephali, ideſt, capite carentes, quod Patriarcham ſuum minime ſecuti ſeorſum communicarent. Hinc Petrus, qui populum multipliciter ſcindi videret, tandem palam Synodum anathematizare cogitur, quo fiebat, ut pariter, & Henoticum ſuſciperet, & palam anathemati Synodum ſubjiceret. Verum ne ſic quidem Acephali cum eo communicabant, quia ab initio Henoticum approbaſſet, non anathematizata Synodo.* Quibus liquido conſtat, Facundum in errore eſſe, qui Acephalos ante Henoticum exortos fuiſſe tradit, qui ſane, poſtquam a Petro probatum eſt, lucem aſpexere; poſtmodum vero, in varias diviſi ſectas, varia etiam ſortiti ſunt nomina, Tritheitarum, Agnoetarum, Theopaſchitarum, Jacobitarum, Armeniorum, Severianorum, Aphthartodocitarum. Sed de his infra, in quam rem apposite adnotat Baronius, Chriſtianæ religioni peſſime conſultum iri, cum de ea cum hæreticis, non penitus abdicata hæreſi, tranſigitur; nam catholica fides velamentis ſe obtegi, ac mendaciis involvi non patitur, quæ lucis candore gaudet; hæreſes vero Veſpertilionum more latibula quærunt, ac lucem fugiunt.

Leont. de ſectis act. 5.

Bar. 482. 43

7. Quas in Orientalibus eccleſiis turbas Henotico ſuo excitaverat Zeno, eaſdem fere, imprudentia ſua, in Imperio expertus eſt, continuis fere rebellionibus, & ſeditionibus vexatus. De Baſiliſci, & Marciani rebellione ſupra egimus; ab his vero vix ereptus, domeſticis iterum inſidiis involvitur; ac primum cum Verina olim Auguſta Illum, quem Zeno militum præfectura, & conſulatu exornaverat, magno proſequeretur odio, miſſo ſicario interimere tentavit. At ille leviori vulnere percuſſus evaſit; Imperator vero, ut eum placaret, Verinam ei tradidit, ut de ea, quam vellet poenam ſumeret, ut apud Photium narrat Candidus, his verbis: *Alanus*

Verinæ & Zenonis conſpiratio adverſus Illum.

Jesu Chr. an. 483.

Phot. Cod. 79. pag. 68.

nus quidam occidere Illum conatus, cum eum percuſſiſſet, ab Epinicio, qui erat Verinæ domeſticus, ſubornatum ſe ad cædem ait. Itaque traditus Illo Epinicius eſt, qui data fide & oblivionis & præmiorum, ordine cuncta enarravit, quæ in Illum Verina moliretur. Quare Zeno Verinam Illo tradidit, qui eam in Ciliciæ Caſtellum ablegavit, atque ita tutum ſe reddidit. In Illi perniciem, cujus faſtus & potentia eo creverat, ut terrori quoque Imperatori eſſet, Zenonem quoque conſpiraſſe narrat Evagrius, ac Illi hoc eodem tempore adverſus Zenonem geſta confirmant; nam idem, adſcito ſibi in ſocietatem Leontio, & Marſo viro egregio, ac Pamprepio, Leontium Imperatorem dicere conatus eſt. *Res præterea Illi ab eodem ſcriptore,* (ideſt Euſtathio) *elegantiſſime exponuntur*, ait Evagrius,

Evagr. lib. 3. 27

quemadmodum cum a Zenone inſidiis appetitus fuerit, effugerit: atque Zeno eum, quem ad interficiendum Illum ſubmiſerat, Illo necandum tradiderit; capitis amputationem mercedis loco ei rependens, eo quod conatu excidiſſet. Illum quoque magiſtrum Orientalis militiæ renuntiavit, ſtudens ut occultæ eſſent inſidiæ, quas ei comparaverat. Illus vero, adſcito in ſocietatem Leontio, & Marſo viro egregio, ac Pamprepio, ad Orientis partes perrexit. Refert deinde idem Euſtathius, quomodo Leontius apud Tarſum Ciliciæ Imperator nuncupatus ſit; & quem iſti tyrannidis ſuæ fructum perceperint, cum Theodoricus vir natione Gothus, & qui apud Romanos erat illuſtris, adverſus eos miſſus eſſet cum exercitu Romanorum ſimul ac Barborum. Idem Euſtathius eleganti admodum ſtylo cædem eorum deſcribit, quos Zeno crudeliter necari juſſit, hanc eis mercedem rependens benevolentiæ, qua ipſum complexi fuerant. De Illi, & Leontii exitu,

Lib. 2. pag. 516

hæc addit Theodorus lector: *Poſt multa prælia Hillus, ac Leontius per quatuor continuos annos intra caſtellum Papyrii clauſi, tandem proditione fratris uxoris Tracondi, quem Zeno ex urbe Regia ad id ſubmiſerat, capti ſunt, & capite truncati.* Theodoricus vero ob operam in eo bello egregie navatam conſulatus dignitatem anno ſequenti promeruit. De Leontii, & Illi ſupplicio, hæc quoque ad annum 488 Dinamio, & Sifidio Coſſ. adnotat Marcellinus: *Leontius interea Rex* (Imperator ſcilicet renunciatus) *& Illus tyrannus in Papyrio Iſauriæ caſtello capti, decollati ſunt. Capita eorum CPolim allata, præfixa haſtilibus tabuere.*

JE-

d by Google

JESU CHRISTI AN. 484. FELICIS PAPÆ 2.
ZENONIS IMP. II. ODOACRIS ITALIÆ REGIS 9.
COSS. THEODORICO ET VENANTIO

De Theodosico Gothorum Rege & conſule.
Jornand de rebus Geth. cap. 57.

1. Ob repreſſum Illum cum Leontio, Conſulatus inſignia Theodoricus in Oriente promeruit, ut narrat Marcellinus in chronico. Anonymus etiam Valeſii: *Zeno recompenſans beneficiis Theodoricum, quem fecit Patricium & Conſulem, donans ei multum*; quem etiam *Sibi uti filium adoptavit, de ſuiſque ſtipendiis triumphum in urbe donavit, factuſque eſt conſul ordinarius*, ait Jornandes; nec multo poſt Italiæ Regem ipſum videbimus. Is Valamiro Gothorum Rege ſive duce genitus, ut Gothis præeſſe cœpit, in utramque Macedoniam, ac Theſſaliam infeſta intulit arma, *Zariſſum quoque Metropolim deprædatus*, ut ad annum 482. narrat Marcellinus. At a Zenone magnis muneribus ac promiſſis CPolim vocatus, multoque ſuſceptus honore; inter proceres ſui Palatii adſcriptus eſt, cui non ſolum conſularem dignitatem tribuit Zeno, *Sed etiam equeſtrem ſtatuam ad famam tanti Viri ante Regiam Palatii collocavit*, ait Jornandes loco ſupracitato.

Epiſtolæ Felicis Papæ ad Zenonem, & Zenonis ad Felicem.
Tom. 4. concil. pag. 1054. Evag. libi 3. pag. 20.

2. Compoſitis pacatiſque Imperii rebus, graviori impetu ad res eccleſiæ turbandas iterum rediit Imp. Zeno, ac acceptis Felicis Papæ litteris, quibus a ſe ipſo, aut a prædeceſſore ſuo, pro Alexandrinæ Eccleſiæ tranquilitate geſta exponebantur, & ut ea, quæ in Joannis Thalajæ ejectione, ac Petri Moggi intruſione nuper acciderant, retractare vellet, enixe rogabatur. His inquam epiſtolis acceptis, Zeno Imperator in ſua ſententia perſtitit, ac Felici reſcribens, fruſtra eum pro Joanne ſollicitum fuiſſe ajebat, cum nullum non admiſiſſet ſacrilegium, ut Alexandrinam eccleſiam obtineret; Petrum vero Moggum, non ſine diligenti examine in eam ſedem locatum fuiſſe addebat. *Pro certo habere debes, & pietatem noſtram, & ſupramemoratum Sanctiſſimum Petrum, & univerſas ſacroſanctas eccleſias, Sanctiſſimum Chalcedenenſe concilium amplecti atque venerari, quod cum fide concilii Nicæni prorſus convenit*,

Legati Felicis Papæ in carcerem conjiciuntur.

3. Dum Felicis legati ad Regiam urbem iter agerent, Cyrillus Acœmitenſium monacorum præpoſitus, *quoſdam cum litteris ad Felicem miſit, de ejus cunctatione conquerens*,

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 484.

rens, cum tam gravia adverſus rectam fidem committerentur; *Felix itaque ad Miſenum, & collegas ejus ſcripſit, ne quidquam agerent, prius quam cum Cyrillo eſſent collocuti, & ab eo quid eſſet agendum didiciſſent.* Has Cyrilli, & Accœmetenſium monachorum, tum Epiſcoporum, & clericorum Ægiptiacæ Diœceſis litteras, præ manibus ſe habuiſſe adnotat Evagrius, nunc vero deperditæ ſunt. Infauſtum nihilominus legationis exitum fuiſſe ſcimus, nam Imperator in ſua perfidia, & ſuſcepta hæreticorum protectione perſeverans, non ſolum Felicis Papæ monita, exhortationeſque ſprevit; ſed etiam reverentiam Romanæ ſedi, Romanoque Pontifici debitam, in legatis ſuis violavit; nam cum Vitalis, Miſenus, & Felix Heracleam perveniſſent; ne ultra tranſirent prohibiti, in carcerem etiam miſſi ſunt. *Itum eſt CPolim*, ait Liberatus, *& ſupradicti Epiſcopi in cuſtodiam ſunt redacti, chartis ſublatis, ne catholicis quibus ſcriptum fuerant redderentur. Quos iterum Acacius poſt hæc de cuſtodia ejiciens, ſecum fecit procedere, ut quaſi confirmato Petri Sacerdotio dimitterentur.* Felix vero Rom. eccleſiæ defenſor, *impediente infirmitate, cum ipſis pergere non potuit; ſed poſtquam Vitalis, & Miſenus e cuſtodia CPoli ſunt egreſſi, perrexit cum chartis eccleſiaſticis CPolim, paſſuſque eſt & ipſe, ſublatis chartis, graviſſimam cuſtodiam.* Hoc tamen diſcriminis inter Felicem defenſorem, & Vitalem, & Miſenum Epiſcopos interceſſit, quod ii carceribus, terroribuſque conſternati, & dejecti, aut promiſſis, & pecunia illecti, cum Acacio communicarunt, ac Petri ordinationem probaverunt; Felix autem defenſor, pro munere ſuo fortiter certans, ludibria & carceres fortiter ſuſtinuit, ac minas adverſariorum, æque ac blandientium promiſſa ſprevit; quem ea de cauſa, ne in conſpectum quidem ſuum admiſit Acacius, ut eidem merito exprobrat Felix Papa his verbis: *Felicem defenſorem nobis fideliſſimum, neceſſitate faciente tardius ſubſecutum, indignum tuis cenſuiſti oculis.*

Evagr. lib. 3. 19.

Lib. 3. 20.

Liberat. cap. 18. p. 124.

Tom. 4. pag. 1074.

Legatorum prævaricatio, cum Acacio & Petro communicant.

4. Jure itaque gentium, quod barbaris quoque gentibus inviolabile in legatis ſervari ſolet, violato, Zeno Imperator tanquam Leo furens, & Acacius, uti Draco inſidians effecit, ut Vitalis & Miſenus Felicis Papæ legati, ad id miſſi, ut Imperatorem, & Acacium a Petri Moggi communione, & defenſione revocarent; ſin minus ab eorum communione abſtinerent; ipſi econtra

cum

cum Acacio communicantes, Petri nomen in Dypticis publice legi permitterent; ſicque, ut ait Baronius, eos a vinculis liberari fecit Acacius, ut graviori catena prævaricationis adſtringeret, ſic exemit e carcere, ut in profundum impietatis barathrum conjiceret; & dum ſibi ſubdole reddit eos obſequentes & Principi, apoſtatare fecit a Deo, & a quo miſſi fuerant, Romano Pontifice. Quid demum? O indignum facinus, o portentum? ignominioſe admodum ceſſit legatorum Apoſtolicus vigor, emarcuitque penitus inconcuſſum hactenus robur Antiſtitum: cum contra mandata Felicis Papæ, ut Acacio communicarent, inducti ſunt, ac ut permitterent iis audientibus recitari in Eccleſiæ ſacris Dypticis nomen nefandi hominis Petri heretici Alexandrinæ Eccleſiæ invaſoris. Tanta hæc torpeſcentes admiſere legati Apoſtolicæ ſedis, nobile ſuſceptum munus turpi prævaricatione fædantes; quos variis Acacii artibus illuſos fuiſſe narrat Gelaſius in Epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos: *Legationem ſedis Apoſtolicæ blandimentis, præmiis, perjuriiſque deceptam, quibus ei cum Imperatore promiſit integram præſulis Apoſtolici cauſam de omnibus eſſe ſervandam, Petri communione pollutam, redire perfecit*. Inexcuſabiles nihilominus fuiſſe, res ipſa clamat, ut idem Gelaſius in libro de geſtis Acacii probat his verbis: *Qui quamvis hoſtili more detruſi in cuſtodiam chartas amiſerint, tamen perfidis hæreticis, & damnatis accommodare non debuerant, quæ ſola negari potuit, voluntatem. Non ſolum ergo hæreticis communicaverunt, confirmationem Petri Epiſcopatus, ad quem pellendum miſſi fuerant, deferentes, atque contumelias in Epiſcopum Joannem, Acacio dirigente portantes*. Hæc de legatorum Rom. ſedis culpa & prævaricatione Gelaſius.

Bar. an. 484. n. 3.

Tom. 4. pag. 1021.

Pag. 1082.

5. Ob tam turpem prævaricationem, infamia onuſti Romam legati redierunt; *ſed præceſſerant monachi, qui eos graviter de proditione arguebant; auditi cominus & convicti ex ipſis litteris, quas detulerunt, a locis propriis ſunt remoti*, ait Liberatus, paucis complectens, quæ adverſus Vitalem, & Miſenum in Romana ſynodo hoc anno ſunt geſta, quæ non ita leviter tractanda ſunt; ac primo narrat Evagrius, quod cum Acœmetenſes monachi a Cyrillo præfecto Romam miſſi, Vitalem, ac Miſenum apud Felicem accuſaſſent, quod ante adventum illorum in urbem re-

Rom. ſynodus Vitalem & Miſenum damnat.

Cap. 18. pag. 124.

Evagr. lib. 3. 20.

Jesu Chr. an. 484.

giam Petri nomen in ſacris diptycis occulte recitaretur, exinde vero publice recitatum eſt, atque ita Miſenus, ac Vitalis cum eo communicarunt; Ægyptii vero in ſuis litteris addebant, quod Joannes quidem, qui erat Orthodoxus, legitime ordinatus fuerat, Petrus autem a duobus ſolum Epiſcopis, eamdem cum illo hæreſim profitentibus, creatus eſſet; & quod poſt Joannis fugam, omni ſuppliciorum genenere vexati fuiſſent Orthodoxi. Ut urbem vero ingreſſi ſunt legati, Synodum in baſilica S. Petri Felix Papa congregavit, cui ex tota Italia Epiſcopi 67. adfuerunt; ut ex epiſtola de damnatione Acacii, eadem in ſynodo facta ſcimus. Data quippe eſt ſynodalis epiſtola: *Quinto Kal. Aug. Venantio Coſſ. Simul 67. Epiſcopi abſque Papa ſubſcripſerunt*. Intromiſſi ergo Vitalis, & Miſenus, ut legationis ſuæ rationem redderent; ignaviæ ſuæ excuſationes parant. *Iſti coram vobis inter Altaria veneranda non ſolum Acacio, quod vetitum fuit, contraria perpetranti, ſed iiſdem ipſis ad quos directi fuerant evitandos, ſe neſcientes communicaſſe dixerunt, nec Catholicis Epiſcopis, & Clericis, quos perſequebatur Acacius, callida ſeductione tranſlatis, ſubvenire voluerunt. Et cum ſe univerſa, ſicut illis mandata ſunt, mentirentur egiſſe, lectis Acacii litteris, quas ipſi detulerunt, manifeſtum eſt, eos ſine excuſatione vidiſſe unum atque idem Petrum, Acaciumque ſentire*. Coarguendis legatis Simeon monachus Acœmetenſis Romam a Cyrillo miſſus in ſynodum vocatus, Vitalem, & Miſenum cum hæreticis communicaſſe probavit; cum Petri Moggi nomen in dypticis recitari permiſiſſent, ait Evagrius. Quibus Simeon adjecit eoſdem legatos, cum variæ agitarentur quæſtiones, cum Orthodoxis nullum colloquium habuiſſe, aut Pontificis litteras eis tradidiſſe: in ſynodum deinde Silvanus Presbyter vocatus, qui una cum Miſeno, & Vitale CPoli fuerat, eadem de legatorum prævaricatione teſtimonio ſuo confirmavit. Lecta eſt quoque in ſynodo Acacii ad Simplicium Papam epiſtola, qua narrabat, Petrum jampridem depoſitum fuiſſe. Ob quam cauſam Miſenus, & Vitalis Sacerdotio dejecti, eccleſiæ communione privati ſunt. In Petrum vero Moggum hanc ſynodus ſententiam tulit, *Petrum hæreticum, qui olim Sacræ Sedis decreto damnatus, excommunicatus, & anathematizatus eſt, Eccleſia Romana non recipit. Cui etiam ſi nihil aliud objiceretur, vel hoc unum ſufficeret, quod ab hære-*

Tom. 4. pag. 1074. Epiſt. ſynod. ad Clericos Orientis pagina 1125.

Evagr. lib. 3. 21.

hæreticis ordinatus, Orthodoxis præeſſe non potuit.

6. Eadem Romana ſynodus, quæ Petrum Moggum anathemate percuſſit; ac Miſenum, & Vitalem Epiſcopatu, & communione dejecit; Acacii quoque cauſam egit, cujus condemnationem utpote CPnæ eccleſiæ ignominoſam ſilentio obvolvit Evagrius, hæc tantum de eo ibidem addens: *Acacium vero CP. Epiſcopum graviſſima reprehenſione dignum res ipſa indicavit*; deinde poſt aliqua: *Verum ille, ut apparet, Zenonem magis amat, quam fidem*; dum aſſentatorum more, Petri reſtitutionem auctoritate ſua confirmavit. Cum autem luce meridiana clarius eſſet, eum non ſolum hæreticorum communicatione pollutum fuiſſe, ſed hæreticorum etiam patronum, Petri ſcilicet Moggi Alex., & Petri Gnaphei ſive Fullonis Antiocheni Epiſcopi, eadem depoſitionis, & excommunicationis ſententia dignum Romana ſynodus cenſuit; quem ideo ſynodalis epiſtola ad clericos, & monachos Orientales, eamdem cum Vitale & Miſeno ſententiam ſubiiſſe narrat, his verbis: *Vitalem, atque Miſenum a Sacerdotali collegio, & ſacroſancta communione ſuſpendimus, Acacium quoque membra Chriſti pernicioſius inhiantem, & per civitates, & provincias, unam de fide catholica eccleſiam diſſipantem, inter Epiſcopos ſanctos, atque inter chriſtianos judicavimus non haberi.* Quia tamen periculoſum erat, Regiæ urbis Epiſcopum Imperatoris protectione munitum anathemate ferire; excommunicationis ſententia in Acacium aliquandiu ſuſpenſa fuit, ſperante fortaſſe Felice Papa, ut excommunicationis metu, a Petri communione recederet. Quam ob cauſam, datis litteris, ut reſipiſceret admonuit, alias ſciret ſe excommunicationis ſententia feriendum, ut narrat Liberatus: *Ubi ergo ad plenum detectus eſt Acacius hæreticus, Papa Felix in litteris ſuis ſynodicis ad Acacium ſic poſuit. Peccaſti, ne adjicias, & de prioribus ſupplica*, ac nihil præpropere in ea cauſa a Felice Papa geſtum fuiſſe, teſtatur Gelaſius in epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos.

7. Acacius tamen, nil melior factus ex Felicis Papæ exhortationibus, *Suſceptis his litteris perſeverans, neque recedens a communione Petri, neque ſuadens ei palam ſuſcipere Chalcedonenſe concilium, & tomum Leonis Papæ, ait Liberatus; quare hæc cognoſcens Felix Papa, damnationis ſcripturam miſit Acacio per Tutum defenſorem &c.* Prioribus quippe ſceleribus, ut menſuram im-

Jesu Chr. An. 484.
Rom. ſynodi geſta adverſus Acacium.
Evagr. 3. 21.

Concil. tom. 4. pag. 1125.

Liberat. brev. cap. 18. pag. 124.

Calendion Antioch. epiſcopatu pulſus in exilium ejicitur.
Liber. ut ſup. 125.

JESU CHR. AN. 484. impleret, nova addidit; dum in Calendionis Antiocheni Epiſcopi dejectionem conſenſum non ſolum dedit, ſed etiam ut eum ſua ſede ejiceretur, Zenoni Imperatori perſuaſit, ac Petrum Fullonem in ſuam quoque communionem recepit. Calendionem vero Antiochena ſede dejectum in teterrimam Oaſis ſolitudinem relegatum fuiſſe narrat Liberatus; prætextum inde Imperatore ſumente, quod cum Illio amicitiam coluiſſet. *Interea Calendio Archiepiſcopus Antiochenus deponitur, accuſatus in aperto tanquam indevotus Principi, mittens populum in rebellionem cum Illo, latenter autem, quia ſe non ſuſpenderet & a Felicis Papæ, & a Joannis communione.* An Calendio Illio faverit, nec ne, in dubio relinquit Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ. *Sed eſto Calendion Imperatoris nomen abſtulerit* &c. ſine ſynodo tamen, & cognita cauſa, expelli non potuiſſe addit; quod Acacius non ſolum, ut fieret, non ſuggeſſit, ſed ut per vim ejiceretur, peregit. Hinc eodem loco Gelaſius: *Hic autem vir bonus Acacius, & Sacerdos eximius, in tantum ſe, & ſuggerere potuiſſe monſtravit, & noluiſſe deprompſit, immo faviſſe patefecit, ut & Imperator cuncta ex ejus geſſiſſe conſilio non taceret, & Imperatorem magnis præconiis elevaret iſta facientem; ſeſeque prodidit his agendis rebus fuiſſe participem.* Et ſane Calendionis ejectionem Acacio præcipue tribuendam eſſe, breviculus hiſtoriæ Eutychianiſtarum, ſeu liber de geſtis Acacii narrat his verbis: Habita ſynodo, Felix Vitalem, & Miſenum, *ab officio & communione ſuſpendit, Acaciumque damnavit. Cujus audacia, deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, ejecto catholico Calendione, quem ipſe ordinaverat, ad Antiochenam miſit eccleſiam*; quam triennio fere integro Calendion adminiſtraverat ab initio anni 482. ad labentis finem.

Liberat. pag. 125.

Tom. 4. concil pag. 1209.

Petrus Gnaphæus Antiochiam redit, quid egerit. Tom. 4. pag. 1210.

8. Petrus vero Gnaphæus ſive Fullo, quem ea ſede pulſum ſupra vidimus, ac in Oaſim relegatum, cum Antiochenam ſedem, Zenonis auctoritate, & Acacii ſuffragio recuperaſſet; ſine mora Henotico Zenonis ſubſcripſit, & ſynodicas epiſtolas Petro Moggo Alex Epiſcopo dedit; cum quo etiam, etſi non palam, occulte tamen communionem foviſſe Acacium, narrat Gelaſius in ſupracitata ad Dardaniæ Epiſcopos epiſtola; *Cur ipſe Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter hoc fuerit, communicare videretur, non com-*

Digitized by Google

commodavit aſſenſum . Sic quippe aulicus homo, Zenonem Imp. magis quam fidem, aut eccleſiam amabat, ut de eodem adnotavit Evagrius. *Evag. lib. 3. 21.*

9. Quare Felix Papa tandem Acacii ſceleribus commotus, in eum excommunicationis ſententiam tulit, quam per Tutum defenſorem CPolim miſit. Felicis autem epiſtola hanc præfert inſcriptionem: *Felix Epiſcopus Sanctæ eccleſiæ catholicæ Urbis Romæ Acacio*. Deinde *multarum tranſgreſſionum reperiris obnoxius, & in venerabilis concilii Nicæni contumelia ſæpe verſatus, alienarum tibi Provinciarum jura temere vindicaſti, Hæreticos pervaſores, atque ab hæreticis ordinatos, & quos ipſe damnaveras, atque ab Apoſtolica petiſti Sede damnari, non modo communioni tuæ recipiendos putaſti, verum etiam aliis Eccleſiis, quod nec de Catholicis fieri poterat, præſidere feciſti*. Quæ exemplis confirmat, dum Ioannem a Catholicis Apameæ non receptum, pulſumque Antiochia, Tiriis præfecerat; Humerium vero Diaconi officio, & Chriſtiani nominis appellatione privatum, ad Presbyterii munus promovit; Mongum etiam Chalcedonenſia Decreta damnantem, & Timothei ſepulcrum violantem, in ſuam receperat communionem. Quibus recenſitis, ſubdit: *Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex ſententia præſenti, quam per tuæ tibi direximus Eccleſiæ defenſorem Sacerdotali honore, & communione Catholica, nec non etiam a fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen, & munus Miniſterii Sacerdotalis agnoſce, Sancti ſpiritus judicio, & Apſtolica auctoritate damnatus, numquamque anathematis vinculis exuendus. Cælius Felix Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ urbis Romæ ſubſcripſi: data quinto Kal. Auguſti, Venantio VC. Coſſ. Simul ſubſcripſerunt ſexaginta ſeptem Epiſcopi*. Ni conjectura fallimur, in iis verbis, *Quam per tuæ tibi direximus eccleſiæ defenſorem*, mendum irrepſit, ac legendum: *Quam per Tutum tibi direximus eccleſiæ defenſorem*; nam per Tutum defenſorem excommunicationis ſententiam cum Felicis litteris miſſam fuiſſe, Liberatus narrat.

Felix Papa Acacium aperte damnat. *Liber. pag. 125. Tom. 4. pag. 1071.*

10. Eodem fere tempore, quo excommunicationis ſententiam ad Acacium Felix miſit, alias ad Zenonem Imp. litteras dedit quinque poſt dies, ideſt Kal. Auguſti. Quibus de vi Apoſtolicæ ſedis legatis illata conqueritur; quorum dignitatem apud barbaras etiam gentes in honore habitam, multo magis

Felicis Papæ epiſt. ad Zenonem Imp. & ad clerum populumque CP.

JESU CHR. AN. 484. Concil. tom. 4. pag. 1083. gis a Chriſtiano Imperatore in rebus præſertim divinis ſervandam fuiſſe adnotat; deinde Romanam eccleſiam Petrum Moggum in ſua nunquam communione recepiſſe, aut recepturam fore teſtatur. Eademque de cauſa Acacium, *Qui exceſſus ſuos ſub veſtro potius nomine celare voluit, quam vobis profutura ſuggerere, per Tutum Rom. eccleſiæ defenſorem, a communione Apoſtolica, legitima ſeveritate ſeparaſſe*, narrat. Quare Imperatorem hortatur, ut eccleſiis favere vellit, ac legibus ſuis uti permitteret; quod eidem quoque profuturum eſſe promittit. His alteras litteras addidit ad Clerum, & populum CP., quibus eos admonet, ne Vitalis, & Miſeni prævaricatione turbentur, qui *nulla conteſtatione præmiſſa*, Petro hæretico, & Parricidarum ſocio communicarunt; quos ab Apoſtolica ſede damnatos fuiſſe ait, ac ut Acacium vitarent, hortatur. Cunctos denique admonet, ut ab Acacii communione recedant, *ne quod abſit, ſimili ultioni ſubjaceant*. Ad Epiſcopos etiam Orientales litteras dediſſe Felicem, ut Petri Alexandrini, & Antiocheni, atque Acacii CP. communionem vitarent, probabiliſſimum eſt. Hæc epiſtola etſi non extet, ejuſdem tamen his verbis meminit Victor Tunonenſis in Chronico: *Felix Rom. eccleſiæ Præſul monachis & clericis per Orientem, Ægyptum, & Bithyniam commorantibus ſcribit, ut Petrum Alex: Epiſcopum, Calcedonenſis ſynodi obtrectatorem, & ejus communicatores tanquam hæreticos vitent*.

Pag. 1084.

Joannes Thalaja Nolæ Epiſcopus a Felice creatur.

11. Antequam legationis a Tuto defenſore ſuſceptæ exitum exponamus, adnotare juvabit, Felicem Papam Joanni Thalajæ Alexandria expulſo Nolanam eccleſiam gubernandam tradidiſſe, ut ea ratione ſua ſede ejectus, Epiſcopalem dignitatem retineret, ac Epiſcopi officia impleret: *Joannes vero Thalaja*, ait Liberatus, *habens Epiſcopi dignitatem, remanſit Romæ, cui Papa Nolanam dedit Eccleſiam, quæ eſt in Campaniæ regione, in qua plurimos reſidens annos, in pace defunctus eſt*. Alexandrinæ tamen Cathedræ ſemper inhians, poſt obitum Zenonis, Anaſtaſium Imperatorem, quocum olim amicitia conjunctus fuerat, anno 494. convenit, ut Alexandrino Epiſcopatui redderetur: *Aſterio & Praſidio Coſſ. Joannes Epiſcopus Alexandrinus a Romana Eccleſia veniens, Anaſtaſio Imperatori ſupplicat, ut eum throno ſuo pro antiqua amicitia reddat. Sed hoc pro defenſione Chalcedonenſis Synodi, dum non impetrat, Romam furtim, unde venerat, remeavit*. Sed de his hactenus.

12. Tu-

Digitized by Google

12. Tuti nunc veſtigia ſequimur, qui cum in Orientem profectus eſſet, ut Felicis Papæ ſententiam adverſus Acacium latam vulgaret, rem quidem bene cœperat; ſed in veritate non ſtetit; nam paulopoſt Vitalis, & Miſeni exempla ſecutus, Acacii artibus deceptus, auroque corruptus, officio ſibi delegato defuit, eamdemque cum ceteris ſententiam ſubiit. Periculis quidem plena erat Tuti legatio, cum in urbe Regia Felicis edictum palam, & publice proponendum ſuſcepiſſet, cujus hæc erant verba: *Acacius, qui ſecundo a nobis admonitus, ſtatutorum ſalubrium non deſtitit eſſe contemptor, meque in meis credidit carcerizandum, hunc Deus, cælitus prolata ſententia, de Sacerdotio fecit extorrem. Ergo ſi quis Epiſcopus, clericus, monachus, laicus poſt hunc denunciationem eidem communicaverit, Anathema ſit, Sancto Spiritu exequente*. Qua arte munus ſuum Tutus expleverit, & Acacio ſententiam intimaverit, narrat Liberatus. *Datis Acacio Felicis litteris, eas non ſuſcepit, patrocinio fultus Imperatoris, ita ut cogerentur, qui eas detulerunt, per quemdam ignotum monachum Acœmentenſem ipſam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda ſacra, ſuſpendere in ejus pallio, & diſcedere*. Complures monachos ad id operam collocaſſe ſuam, Victor narrat Tunuuenſis: atque ex Baſilio Cilice ſcimus, non ſine ſanguinis effuſione, ab Acæmetenſis monaſterii monachis abdicationis ſententiam Acacio ſignificatam fuiſſe, quorum plurimos Acacii fautores occiderunt, alios vulneribus affectos carceribus incluſerunt. Acacius vero adverſus Felicem, a quo damnatus fuerat, exaſperatus, ejus nomen e ſacris dypticis expungi juſſit, ſicque lamentabili ſchiſmate ab Occidentali eccleſia Orientalis divulſa eſt, quod per plurimos annos prorogatum eſt. Interea Tutus Romanæ eccleſiæ defenſor, CPolim a Felice Papa miſſus ut ſententiam adverſus Acacium latam exequeretur, promiſſis Acacii expugnatus, ut Romam rediit, eamdem cum ceteris prævaricatoribus ſententiam ſubiit, ut in epiſtola ad Ruffinum, & Thalaſium Archimandritas narrat Felix Papa: *Tutus ſe quadam dementia, imo ardore pecuniæ, poſtquam noſtris ſatisfactum eſt Conſtitutis, inimicis fidei vendidiſſe, convictus eſt atque confeſſus. Lectæ ſunt enim litteræ ipſius in conventu fratrum, qualiter pacto interpoſito per ſenem Maronam condemnato ei, cui ſententiam portarat, inhæſiſſe creditur, quas proprias eſſe cognoſcens, non potuit diffiteri. Unde*

JESU CHR. AN. 484. Quid Tutus CPoli. egerit, cum Acacio communicat, pag. 1083.

Liber. cap. 18

Digitized by Google

eum fidei, & Sedis Apoſtolicæ proditorem officio defenſoris, quod ei ad tempus dederamus, exuimus, eumque ſacroſancti myſterii communione privatum præcipimus. Hæc Felix in epiſtola anno ſequenti data.

Africana eccleſ. dira perſecutione vaſtatur,

13. Digna quidem hæc lacrymis, & mœrore erant; at luctuoſiora adhuc patiebatur Africana eccleſia, longa diriſſimaque Hunnerici Regis perſecutione vaſtata, quæ anno proximo exorta, gravior hoc, & ſequentibus annis evaſit. Cum itaque Hunnericus in ſuos crudeliſſime ſœviiſſet, ut triennio ante diximus, ac Regnum, quod breve & caducum erat, ſibi ſolidaſſe videretur; *Omni ex parte otioſus atque ſecurus, univerſa tela furoris in perſecutiones eccleſiæ catholicæ rugiens ſicut Leo convertit*, ait Victor Vitenſis luctuoſæ tragœdiæ ocularis teſtis; ac primo præcepit, *ut nemo ejus Palatio militaret, neque publicas ageret actiones, niſi ſe ſe Arianum feciſſet. Quorum ingens numerus vigore invicto, ne fidem perderet, militiam temporalem abjecit, quos poſtea domibus projectos, omnique ſubſtantia expoliatos, in Inſulas Siciliam, & Sardiniam relegavit*. Leviora hæc fuerunt, & præludia acerbioris perſecutionis: defunctorum deinde Epiſcoporum bona fiſco addici juſſit; qui vero in defuncti locum eligebantur, ut quingentos ſolidos ante ordinationem ſolverent, præcepit. His fœdiora ſequuntur, nam catholicæ eccleſiæ virgines in unum congregatas per Vandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus inſpici ac contrectari præter pudorem fecit; eaſque ſuſpendio, ignitiſque admotis laminis ſollicitavit, ut dicerent: *Quoniam Epiſcopi vobiſcum concumbunt, & clerici veſtri*; nil tamen tanta crudelitate profecit, nec invenire potuit, *quomodo Chriſti eccleſiam macularet*.

Victor Vit. de perſecut. Vandal. lib. 2. pag. 27. 29. & ſeq.

Quatuor millia nongenti ſeptuaginta ſex ordinis eccleſiaſtici in exilium miſſi.

14. *Quibus autem*, ſubdit Victor, *proſequar fluminibus lacrymarum, quomodo Epiſcopos, Presbiteros, Diaconos, & alia Eccleſiæ membra, ideſt quatuor millia quingentos ſeptuagintaſex, ad exilium eremi deſtinavit? in quibus erant podagrici quamplurimi, alii propter ætatem annoſam lumine temporali privati. In quorum erat numero beatus Felix Abbiritanus Epiſcopus, habens jam in epiſcopatu quadraginta quatuor annos, qui paralyſis morbo percuſſus, nec ſentiebat quidquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non poſſet jumento portari, ſuggeſſimus, ut a ſuis Rex peteretur, ut ſaltem eum propere moriturum Carthagine eſſe jube-*

beret, quia ad exilium nulla poſſet ratione perduci. Quibus ita fertur Tyrannum cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, jungantur boves indomiti, qui eum colligatum funibus trahendo perducant, quo ego præcepi. Quem ex tranſverſo ſuper burdonem vinctum, quaſi quemdam ligni truncum, toto itinere portabamus. Cuncti autem in Siccenſem, & Zarenzem civitatem congregati, Mauris traditi ſunt, ut ad eremum perducerent; quos etiam ut fidem defererent, variis modis tentatos fuiſſe refert Victor. Sed fruſtra, quin addit mulierem quamdam manu infantulum tenentem, quem nepotem ſuum fuiſſe dicebat, ſponte confeſſorum numero addidiſſe, cui cum confeſſores, ut rediret, dixiſſent, nec perſuadere potuiſſent; *Repleti Lacrymis nil dicere potuimus, niſi fiat voluntas Dei*. Cumque Vandalorum duces neminem a veritatis via deflectere potuiſſent, ſed omnes una voce catholicam fidem profiterentur, in arctiſſimos, teterrimoſque carceres conjecerunt; ac omnis viſitationis humanæ conſolationem negarunt. *Jactantur*, itaque, *confeſſores Chriſti ſuper invicem anguſtia coarctante, unus ſuper alium, ut agmina locuſtarum, &, ut proprie dicatur, ut grana pretioſiſſima frumentorum. In qua conſtipatione, ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat, ſed locum ſtercoris & urinæ, urgente neceſſitate, ibidem faciebant, ut ille tunc fœtor, & horror univerſa pœnarum genera ſuperaret: ad quos aliquando dato ingenti munere Mauris, dormientibus Vandalis, vix clam admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes, veluti in gurgite luti, uſque ad genua cœpimus mergi; illud tunc Hieremiæ videntes fuiſſe completum: Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua. Quid multa? præcepti ſunt undique perſtrepentibus Mauris, ad iter ubi deſtinati fuerant præparari*.

Maurorum crudelitas adverſus Confeſſores.

15. Confeſſorum veſtigia ſequimur, *Exeuntes itaque die Dominica, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul*, ait Victor Vitenſis, *& capita; a Mauris tamen crudeliter minabantur*; quos tamen Cyprianus Unizibitanus Epiſcopus verbis & exemplo conſolabatur; qui poſtea per multos agones, & ſqualloris carceris, ad exilium, quod deſiderabat, cum exultatione perrexit. Chriſtiani etiam vicis, & urbibus egreſſi, Maurorum crudelitatem deteſtantes, multis laudibus confeſſorum conſtantiam admirabantur, dolentes, quod tot ſanctiſſimis miniſtris catholica eccleſia vi-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 484.

duaretur, eo quod impoſterum vix inveniſſent, qui baptiſmum, & pœnitentiam ſibi filiiſque ſuis adminiſtrarent; at hæc Maurorum animos ad crudelitatem magis accendebant. Unde *Arctabatur multitudo* ad currendum, ut ubi canava erat præparata, laborioſam caperent manſionem. Canava porro, ut in hunc locum adnotat Ruinartius, caveam indigitat, ſive locus ſubterraneus, ubi ut plurimum in ſtationibus confeſſores fidei retinebantur; *cumque ſenes in itinere viribus deficerent, & alii forte etſi juvenes delicati corpore, cœperunt haſtilium cuſpidibus ad currendum, & lapidibus tundi: unde magis deficientes, amplius laſſabantur. Poſt vero imperatum eſt Mauris, ut eos, qui ambulare non poterant, ligatis pedibus, velut cadavera animalium mortuorum, traherent per dura & aſpera lapidum loca; ubi primo veſtimenta, poſtea membra ſingula carpebantur. Quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alii latera findebantur, & ita inter trahentium manus ſpiritum exhalabant. Quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coercente, exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis ſepultura Sanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad ſolitudinis loca perveniunt, in quibus collocati, hordeum ad veſcendum ut jumenta accipiunt. Ubi etiam venenatorum animalium atque ſcorpionum tanta eſſe dicitur multitudo, ut ignorantibus incredibilis videatur, quæ ſolo flatu etiam procul poſitis veneni virus infundit, ab ſcorpione enim percuſſum, nullum dicunt aliquando evaſiſſe. Quorum feritas virulenta uſque ad præſens tempus, Chriſto defendente, nullum ſervorum ejus nocuiſſe docetur. Sed cum illic aluntur hordeaceis granis, poſtea & hoc ablatum eſt, quaſi non poſſet Deus, qui pluerat patribus manna, paſcere & nunc tali exilio mancipatos.*

Ruinart. not. in Vict. Viten. pag. 170.

Hunnerici Regis edictum, ut catholici cum Arianis de fide diſputarent.

16. Hactenus expoſita ad annum proximum pertinent; quo etiam barbarus Rex edictum per totam Africam propoſuit, quo Epiſcopos jubebat, ut ad diem Kalendarum Februariarum proxime futurum, omiſſa omni excuſatione formidinis, Carthaginem adeſſent, ut fidei ſuæ rationem redderent, & cum Arianis diſputarent, *Et fidem Omouſianorum quam defenditis, de divinis ſripturis proprie probetis, quo poſſit agnoſci, ſi integram fidem teneatis*. Hoc edictum die Aſcenſionis Domini, præſente legato Zenonis Imp. Reginone, *legen-*

Digitized by Google

gendum in media eccleſia Epiſcopo Eugenio directum fuiſſe, ait Victor, *Quod etiam univerſæ Africæ veredariis currentibus deſtinavit*. Datum autem erat *ſub die decimo tertio Kal. Junias, anno ſeptimo regni Hunnerici*, ideſt anno elapſo. JESU CHR. AN. 484.

17. His ab Hunnerico acceptis, *Contritum eſt extemplo cor noſtrum*, adnotat Victor, *& conturbati ſunt in luctum dies noſtri, & cantica in lamentationem, dum edicti tenor indicaret futuræ perſecutionis furorem, & præſertim, ubi dixit in provinciis a Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus, quaſi diceret in provinciis noſtris catholicos eſſe nolumus*. Conſternati itaque animo catholici Epiſcopi, quid conſilii caperent, ignorabant. Id unum tentandum fore arbitrati, ut libellum Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus omnium nomine offerret, quo petebant, ut ad collationem de communi fidei cauſa habendam, tranſmarini quoque epiſcopi vocarentur: non deerant quidem in Africa, qui eruditione ſua Religionem defendere potuiſſent; at majorem animis fiduciam dediſſent Epiſcopi ex aliorum Principum ditione vocati, ut teſtes eſſent calamitatum atque calumniarum, quibus Eccleſiæ Africanæ opprimebantur. At petitionem eorum reſpuit Hunnericus, atque per Obadum Regni ſui præpoſitum Eugenio hæc reſpondit: *Subde mihi univerſum orbem terrarum, & facio, Eugenii, quod dicis*. Quare Eugenius iis in anguſtiis poſitus, ad Regem iterum: *Scribam & ego fratribus meis, ut veniant Coepiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valeant demonſtrare, & præcipue eccleſia Romana, quæ caput eſt omnium eccleſiarum*, inquit. *Ille autem qui nectebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, ut quoſcumque Epiſcoporum audierat eruditos, variis inſectationibus agitaret. Jam ad exilium Vibianenſem ſecundo Donatianum, impoſitis centum quinquaginta fuſtibus, miſerat Epiſcopum, nec non & Seſutulenſem Præſidium, virum ſatis acutum, & eruditum, tunc & venerabiles Manſuetum, Germanum, Fuſculum, & multos alios fuſtigavit*. Suiſque Arianis juſſit, ne cum catholicis communem menſam haberent, quod *Non ipſis aliquod attulit beneficium, ſed nobis maximum contulit lucrum*, ait Victor, cum Apoſtolus dicat, *cum nefariis nec cibum habere communem*.

Eugenius Carth. Epiſc. libellum Hunnerico offert:

18. Inſtante autem collationis die, catholici omni huma-

Eugenius Carth. Epiſc. cæcum illuminat.

JESU CHR. AN. 484. mano præſidio deſtitui, incerti mœrenteſque hærebant; cum urgente Regis juſſione, nec collationem declinare, nec perfidia Regis felicem ex ea exitum ſperare poterant. At catholicis adfuit Deus, eorumque animos aliquantulum ſublevavit; dum miraculo catholicam fidem confirmavit. Nocte etenim ter Felicem quemdam cœcum, tota Carthagine notum, per ſomnum admonuit, ut Eugenium Epiſcopum adiret, cujus precibus oculorum lumen recepturus erat. Illuceſcente itaque Epiphaniorum die, ad Fauſti baſilicam pergit; atque Peregrino ſubdiacono nunciat ſe habere aliquid, quod Epiſcopo nunciaret: ab Eugenio admiſſus, viſionis ſeriem per ordinem cœcus eidem nunciavit, obteſtaturque: *Non te dimittam, niſi mihi, ſicuti a domino juſſus es, reddideris oculos.* Cui Sanctus Eugenius: *Recede a me, frater; peccator cum & indignus, & ſuper omnes homines delinquens, utpote & qui in hæc tempora ſervatus ſum. Ille autem tenens genua ejus, aliud non dicebat, niſi illud, quod jam dixerat: Sicut juſſum eſt, redde mihi oculos meos. Attendens quoque Eugenius inverecundam credulitatem, & quia jam tempus urgebat, pergit cum eo, comitante officio clericorum ad fontem. Ubi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulſans ſingultibus cœlum, criſpantem benedixit alveum fontis, & cum completa ſurrexiſſet oratione, ita cœco reſpondit. Jam tibi dixi frater felix, peccator homo ego ſum; ſed qui te viſitare dignatus eſt, præſtet tibi Dominus ſecundum fidem tuam, & operiat oculos tuos. Simulque vexillo Crucis conſignat oculos ejus. Statim cœcus viſum, Domino reddente, recepit. Quem ſecum, quouſque univerſi baptizarentur, ibi detinuit ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret, qui receperat lumen. Fit poſtea manifeſtum Eccleſiæ univerſæ, procedit ad altare cum Eugenio, ſicut moris eſt, qui fuerat cœcus, ſuæ ſalutis oblationem Domino redditurus. Quam Epiſcopus accipiens, altari impoſuit. Fit ſtrepitus, gaudio provocante inrevocabili populorum. Statim nuncius pergit ad tyrannum. Rapitur Felix, inquiritur ab eo quid factum ſit, qualiterque receperit lumen. Dicit ille ex ordine totum, dicuntque Arianorum Epiſcopi: Hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppreſſi confuſione lumen non poterant nubilare, eo quod Felix univerſæ civitati manifeſtus & notus; tamen volebant eum, ſi fas eſſet, necare, quomodo Judæi ſuſcitatum Lazarum occidere cupiebant.*

Vict. Vit. pag. 39.

19. Quis

19. Quis non ſentiat, ait Baronius, divino conſilio, ante quam de fide iniretur cum adverſariis indictus conflictus, id factum eſſe ad veritatem Fidei Catholicæ confirmandam; ut ſciretur a piorum parte ſtare Deum, qui per fidelem Antiſtitem talia inconceſſa naturæ ſigna ederet; ſicque absque alia diſceptatione, ſatis ſuperque exploratum redderetur, quantum Deo probata eſſet Catholica fides, illudque initum tyranni conſilium caſſum penitus, & irritum redderetur, quo (ut vidimus) anno ſuperiori in exilium duci juſſerat, qui in Africa erant doctiores Epiſcopi; ut qui relicti eſſent, ad conventum hujuſmodi celebrandum, ut minus periti, dantes manus victas, cauſa caderent; & ſic de fide catholica impietas Ariana trophæa victoriæ exaltaret. Sed (quod ſcriptum eſt): *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos*: jam ante certamen Dei potentia victi ſunt adverſarii, & vera religio, tanto totius populi plauſu, de proſtrata perfidia triumphavit, atque cum illa univerſa ſimul Eccleſia, quæ eidem ut Catholico communicabat, atque communicatura eſt in æternum, cum eadem ſit unius corporis omnium membrorum conditio, dum capiti inhærere noſcuntur; unde vel hoc uno potiſſimum ſigno Orthodoxi ab hæreticis diſtinguantur. Verum quod diaboli moris eſt non cedere ſuperatum, ſed majori audacia poſt caſum redintegrare certamen; inſtant una cum barbaro tyranno Epiſcopi Ariani, ut jam propinquante indicta ad diſputandum die, conſererent cum Catholicis Epiſcopis manus. Non refugiunt noſtri, ſed expectant parati. Quæ autem inter eos tranſacta fuerint, idem Victor pluribus deſcribit, quod ſcilicet adveniente die ſtatuta Kalendarum Febr. conveniunt non ſolum univerſæ Africæ, verum etiam inſularum multarum catholici Epiſcopi afflictione & mœrore confecti. Interea Ariani ex eis peritos quoſque, & doctiſſimos, calumniis appoſitis, enecandos curarent; atque in primis Epiſcopum quemdam, nomine Lætum, ſtrenuum ſimulac doctiſſimum virum, poſt diuturnos carceris ſqualores, incendio concremari juſſit Hunnericus, ut ceteris eo exemplo timorem incuteret. Tandem cum ad diſputationis conflictum, & ad locum, quo Ariani convenerant, catholici acceſſiſſent, ſubdit Victor Vitenſis: *Evitantes igitur noſtri vociferationis tumultus, ne forte poſtmodum Ariani dicerent, quod eos noſtrorum oppreſſit multitudo: eligunt de ſe noſtri, qui pro omnibus*

Jesu Chr. an. 484.

Catholica fides miraculis comprobata.

Jesu Chr. an. 484.

bus reſpondeant decem. Interea dum catholici ſtarent, Cyrilla Arianorum Antiſtitum facile Princeps ſupra excelſum thronum ſedere cœpit, cui catholici dixerunt: *Illa eſt ſemper grata collatio, ubi ſuperba non dominatur elatio, ſed ex conſenſu communi venitur, ut Cognitoribus decernentibus, partibus agentibus, quod verum eſt, agnoſcatur. Nunc qui erit Cognitor? qui examinator? vel libra juſtitiæ, ut bene prolata confirmet, & prave aſſumpta reſſellat? & cum talia & alia dicerentur, Notarius Regis reſpondit, & dixit: Patriarcha Cyrilla.* Tunc Catholici dixerunt: *legatur nobis, quo concedente iſtud ſibi nomen Cyrilla aſſumpſit*, ut ſcilicet Patriarca diceretur; Ariani vero ſtrepitum concitantes, calumniari cœperunt. Et quia hoc noſtri petierant, ut ſaltem, ſi examinare non licebat, prudenti multitudini vel ſpectare liceret; tunc vero *Jubentur univerſi catholicæ eccleſiæ filii, qui aderant, centenis fuſtibus tundi*. Quare Eugenius clamavit vim ſuis injuſte fieri.

Catholici Epiſc. libellum catholicæ fidei offerunt.

20. At ſurdis hæc canebat; quare catholici Epiſcopi ad Cyrillam: *propone quod diſponis*. At ille latinam ſe ignorare linguam dixit, etſi latine locutum hactenus fuiſſe compertum eſſet; ſicque cum catholicos ad collationem habendam paratos vidiſſet, cauſæ ſuæ diffidens, cavillis, tergiverſationibuſque utens, eam declinare volebat. Quo viſo libellum, quem ante paraverant, catholici obtulerunt; eoque fidei ſuæ rationem reddentes, Trinitatis conſubſtantialitatem in tribus perſonis ſubſiſtentem, ex quamplurimis tum veteris, cum novi teſtamenti teſtimoniis comprobarunt; quem libellum toto libro tertio exibet Victor Vitenſis; atque his verbis concluditur: *Explicit libellus directus ſub die 12. Kal. Majarum per Januarium Zattarenſem, Villaticum a caſis medianis Epiſcopos Numidiæ, & Bonifacium Foratianenſem, & Bonifacium Gratianenſem Epiſcopos provinciæ Bizacenæ*. Quem hæc exitum habuerint, paulo poſt videbimus. Interea adnotare juvabit, ad hanc collationem adfuiſſe epiſcopos catholicos tercentos quadragintaocto ex tota Africa, & inſulis, quæ Hunnerici Regno parebant, quorum tercenti duo, per Africæ provincias diſperſi, terram colebant; ceteri quadraginta ſex in Corſica inſula ligna cœdebant, quorum nomina exibet notitia provinciarum, & civitatum Africæ a Sirmondo primum edita, deinde cum Victore Vitenſi in hiſtoria perſecutionis Vandalicæ iterum a Ruinartio vulgata. Quorum numerus hic erat. Ex Pro-

Vict. Vit lib. 3. pag. 42. ad 63.

Vict. Vit. hiſt. perſec. Vanda. p. 123. & 140

Digitized by Google

provincia Proconſulari 52. ex Numidia 123. ex Bizacena 107. omiſſis ſex ſedibus, quæ Epiſcopos non habebant; ex Mauritania Cæſarienſi 120. ſex vero ejuſdem provinciæ ſedes paſtore viduatæ erant; ex Siſtifenſi 44. ex Tripolitana quinque, ex Sardinia octo. Et ſic inquit, *ſunt omnes Epiſcopi diverſarum provinciarum numero 466. ex quibus perierunt numero 88.*, ex proconſulari tres, ex Numidia 23., ex Bizacena 10., ex Mauritania Cæſarienſi 31., ex Mauritania Siſtifenſi 8.; deinde *Permanſerunt numero 378. Corſica relegati 46. Hic relegati* (in Africa ſcilicet) 302., *fugerunt 28. Paſſus numero 1., confeſſor numero 1.* Hactenus notitia Epiſcoporum Africæ, unde patet annorum ſpatio 55. defeciſſe Epiſcopales ſedes centum & quatuor, nam anno 41. cum Carthagine habita eſt collatio cum Donatiſtis 570. circiter cathedræ Epiſcopales in Africa numerabantur; at irruentibus in Africam Vandalis, tanquam vinea electa data eſt in direptionem, quam ſingularis aper depaſtus eſt.

Hunnerici edictum, quo eccleſias catholicorum claudi juſſit. Vict. Vit. hiſt. perſecu. Vandal. pag. 63.

21. Ut vero Catholicorum libellus ab Eugenio oblatus ad Hunnericum delatus eſt, cum Ariani Epiſcopi eidem dixiſſent, Catholicorum ſtrepitu turbatam fuiſſe collationem, mendacio credens, iraque ſuccenſus, abſque mora, quod jam animo conceperat, executus eſt, & occultis per diverſas provincias hominibus miſſis, decreto ſuo: *Una die univerſæ Africæ eccleſias clauſit, univerſamque ſubſtantiam Epiſcoporum, & Eccleſiarum ſuis Epiſcopis munere condonavit.* Datum Edictum ſub die VI. Kal. Martias, quo exponebatur, Orthodoxis propoſitum, ut *Homouſion* ex divinis Scripturis probarent aut Epiſcoporum Ariminenſium exemplo damnarent; neutrum vero ab ipſis factum, quin ſuis potius clamoribus populos ad ſeditionem inflammaſſe; ideoque Imperatoris reſcriptis contra hæreticos latis ſubjiciendos eſſe, ſcilicet ne ullas ſive in urbibus, ſive in vicis eccleſias haberent, facultates vero eccleſiis Arianorum tribuendas, nulla babtiſmi miniſtrandi, ordinandive auctoritate catholicis Epiſcopis conceſſa, niſi intra diem Kal. Januarii Vandalicam religionem, ideſt Arianam, amplexi fuiſſent. Ubi promulgatum eſt edictum, congregatos Carthagine Epiſcopos ſpoliari, ſpoliatoſque ejici extra muros juſſit: *Non animal, non ſervus, non mutanda quæ ferebant veſtimenta, penitus dimittuntur.* Exutis miſerationis aliquid

JESUS CHR. AN. 484.

Catholici Epiſcopi variis modis vexati.

exhiberi prohibebat, hoſpitium, alimenta negata ſunt, incendii pœna iis indicta, qui aliter feciſſent.

22. Cum itaque catholici Epiſcopi turmatim extra Carthaginis muros ſub diu eſſent, omni ad ſuſtentandam vitam præſidio deſtituti, accidit, ut Rex extra urbem progreſſus, in piſcinas pergeret, cui obviam facti: *Quid taliter affligimur*, inquiunt, *pro quibus malis forte commiſſis iſta perpetimur? Si ad diſputationem congregati ſumus, quare expoliati, quare traducimur? quare diferimur, & ſine eccleſiis & domibus noſtris foras civitatem fame, & nuditate laborantes mediis ſtercoribus volutamur*. At Rex barbarus torvis eos oculis aſpiciens, ne ſuggeſtione quidem finita, juſſit ſuper eos *cum ſeſſoribus equos dimitti*, ut pedibus equorum conculcarentur, quo impetu *multi contriti ſunt, & præcipuo ſenes & infirmi*. Poſt hæc *ad ædes memoriæ* eos congregari juſſit Hunnericus, iiſque eccleſiarum domorumque ſuarum reſtitutionem promiſit, ea lege, ut jurarent, ſe quod chartula continebatur, fideliter obſervaturos. Omnium nomine reſpondentibus *Hortulano & Florentiniano* Epiſcopis, chartulam ſe neſcire, temerarium juramentum imperari. Regis adminiſtri: *Jurate*, addiderunt, *ſi poſt obitum Domini noſtri Regis ejus filium Hildericum deſideratis eſſe Regem: vel ſi nullus veſtrum ad regiones tranſmarinas Epiſtolas diriget, quia ſi ſacramentum hujus rei dederitis, reſtituet vos Eccleſiis veſtris*. An jurarent nec ne hærebant animo Epiſcopi, pars jurandum cenſebat, ne populi quererentur, vitio Sacerdotum Eccleſias non fuiſſe reſtitutas. Prudentiores, fraude intellecta, juramentum abnuunt, dicentes ſibi prohibitum Evangelica auctoritate *jurare omnino*. Quare qui jurare parati fuerunt, a ceteris ſejuncti ſunt, omnes tamen paulo poſt carceribus incluſi fuerunt. Ac jurantibus dictum eſt: *Quare contra præceptum Evangelii jurare voluiſtis?* Iubet Rex, *ut relegati colonatus jure ad excolendum agros accipiatis*, ea lege, ne pſallatis, oretis, ſacramenta miniſtretis. Non jurantibus vero dictum: *Quia regnum filii Domini noſtri non optatis, idcirco jurare noluiſtis. Ob quam cauſam juſſi eſtis in Corſicam Inſulam relegari, ut ligna profutura navibus dominicis incidatis*. Hæc Victor de Epiſcopis Carthagine ad collationem congregatis hiſtoriam proſequutus, quæ in compendium brevitatis cauſa retulimus. Marcellinus vero in chronico paucis his ver-

bis

bis totam tragœdiam complectitur : *Exulatis diffugatiſque plus quam tercentum triginta quatuor Orthodoxorum Epiſcopis, eccleſiiſque eorum clauſis, plebs fidelium variis ſubacta ſuppliciis, beatum conſummavit agonem.* JESU CHR. AN. 484.

23. Neque hic barbaricus Hunnerici furor ſtetit, quin pulſis paſtoribus, tanquam lupus gregem diſpergere conatus eſt, ac ut proſequitur Victor : *Sanguinem ſitiens innocentum, Epiſcopis necdum adhuc in exilium directis, per univerſas Africanæ terræ Provincias uno tempore tortores crudeliſſimos deſtinavit, ut nulla remanſiſſet domus & locus, ubi non fuiſſet ejulatus & luctus, ut nulli ætati, nulli parceretur ſexui, niſi illis, qui eorum ſuccumberent voluntati. Hos fuſtibus, illos ſuſpendio, alios ignibus concremabant. Mulieres vero, & præcipue nobiles, contra jura naturæ, nudas omnino in facie publica cruciabant, ex quibus unam noſtram Dionyſiam curſim ac breviter nominabo. Cum viderent eam non ſolum audacem eſſe, ſed etiam matronis ceteris pulchriorem, ipſam primo niſi ſunt fuſtibus expoliatam appetere. Quæ cum pateretur, diceretque de Domino ſuo ſecura, qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare. Amplius illi magis furentes, celſiori loco veſtimentis exutam conſtituunt, ſpectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum, dum rivuli ſanguinis toto jam corpore fluitarent, libera voce dicebat: Miniſtri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipſa laus mea eſt; & quia erat Scripturarum divinarum ſcientia plena, aptatis arctata pœnis, & ipſa jam martyr alios ad martyrium confortabat. Quæ ſuo ſancto exemplo pene univerſam ſuam patriam liberavit, & cum ſuum unicum filium, admodum adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnarum formidoloſum conſpiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans auctoritate materna, ita confortavit, ut matre multo fortior redderetur; cui inter crudelia verbera conſtituto ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Eccleſia catholica baptizati ſumus. Non perdamus indumentum noſtræ ſalutis, ne veniens invitator veſtem non inveniat nuptialem, & dicat miniſtris: Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium. Illa, fili, pœna timenda eſt, quæ numquam finitur: illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filium ſolidans verbis, velociter Martyrem fecit. Ve-*

Hunnerici perſecutio in catholicos

pag. 71.

Digitized by Google

nerabilis vero adoleſcens, Majoricus nomine, in certamine confeſſionis ſpiritum reddens curſum pſalmiferum conſummavit: amplexanſque illa hoſtiam ſuam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium ſpei futuræ, in ſua domo maluit ſepelire, ut quoties ſuper ſepulchrum ejus Trinitati preces effundit, alienam ſe a filio numquam eſſe confidat. Quanti igitur per eam in illa civitate, ut præfati ſumus, adquiſiti ſint Deo, longum eſt enarrare. Nam & ejus germana, nomine Dativa, atque Leontia filia ſancti Germani epiſcopi, cognatuſque Dativæ, venerabilis Æmilius medicus, religioſus quoque Tertius Trinitatis confeſſione præclarus, vel Sibidenſis Bonifacius quanta pertulerint, qualibuſque cruciatibus eviſceratæ, vel eviſcerati ſint, qui valet, ex ordine dicat; nam ex abundantia rerum in ſcribendo victum ſe fuiſſe, Victor fatetur. Hinc quis valeat Servi cujuſdam Suburbitanæ civitatis certamina narrare, qui innumerabilibus fuſtium ictibus, trocleis in ſublime levatus, & celeri ictu demiſſus, raptationibus & lapidibus acutiſſimis defricatus, aliiſque ſuppliciis vexatus, immobilis nihilominus in fidei confeſſione perſeveravit? Quis Victoriæ nobiliſſimæ feminæ certamina explicet, ad quam, dum pendens torqueretur, maritus dixit: *Quid pateris conjux, ſi me deſpicis, vel horum miſerere, quos genuiſti. Reſpice, quæſo, filios ac maritum, & regiæ juſſionis implere feſtina præceptum*. At fortis mulier immota carnificum ictibus eouſque ſtetit, ut pro mortua eam reliquerint. Victorianus etiam pro catholica fide certans, cum torqueretur, dixit: *Subigat ignibus, adigat beſtiis, excruciet generibus omnium tormentorum, ſi conſenſero, fruſtra ſum in Eccleſia Catholica baptizatus*; atque hæc loquens martyrii coronam promeruit.

Catholicorum in fide ſervanda conſtantia.

24. Cum vero cives Urbis Typſaſenſis, quæ in majore Mauritania ſita eſt, audientes Cyrilam Arianum ex Notario Epiſcopum ſibi deſtinari, navibus conſcenſi in Hiſpaniam tranſierunt, relictis pauciſſimis, quos Arianus præſul blandimentis primum, deinde minis compellere cœpit, ut errorem amplecterentur. At ii minas ſpernentes, Myſteria divina in unum congregati celebrarunt. Quod ut Regi innotuit, Comitem eo direxit, juſſitque, *ut linguas eis, & manus dexteras radicitus abſcinderet*: quo facto *Spiritu ſancto præſtante; ita locuti ſunt, & loquuntur, quo modo antea loquebantur. Sed ſi quis incredu-*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 484.

dulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtatinopolim, & ibi reperiet unum de illis ſubdiaconum Reparatum, ſine ulla offenſione loquentem. Miraculi hujus ſe ſpectatorem fuiſſe narrat Marcellinus in chronico: *Exhoc fidelium contubernio aliquantos ego religioſiſſimos viros, præciſis linguis, manibus truncatis apud Byzantium integra voce conſpexi loquentes.* Atque hæc de Hunnerici in catholicos perſecutione dicta ſufficiant, nam in longius ſe ſe oratio extenderet, ſi ceterorum certamina narranda eſſent, quæ apud Victorem Vitenſem videri poſſunt.

Catholica fides miraculis confirmata.

25. Ingens porro, cunctiſque manifeſtum miraculum eo tempore, in catholicæ Fidei confirmationem a Deo peractum, ut ſancti Fidei Confeſſores, exciſis radicitus linguis expeditiſſime loquerentur, non ſolum Victor Vitenſis, aut Marcellinus coævi, & oculati teſtes narrant, ſed alii plurimi, ex iis audiatur Juſtinianus Imp. qui in conſtitutione a ſe edita de officio Præfecti Prætorio Africæ narrat: *Vidimus venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis, pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur.* Dei quippe providentia, qui facit mirabilia ſolus, effecit, ut non in una ſolum Africa eſſent Veritatis, & Fidei catholicæ confeſſores, ſed in variis Orientis, & Occidentis provincias diſpergerentur; nec uno, aut alteri tantum donum hoc tribueretur, ſed quamplurimis; nec una die, vel menſe, aut anno perduraret miraculum, ſed integro fere ſeculo, uſque ad obitum eorum, qui ejuſmodi gratia donati fuerant. Hinc factum, ut cum deſinente ſeculo ſexto ſanctus Gregorius Apocryſarii Romanæ ſedis munere Conſtantinopoli fungeretur, ſeniorem quemdam Epiſcopum invenit, qui confeſſorum ora ſine linguis loquentia viderat, in quam rem adnotat: *Eo tempore quo pro explendis reſponſis Eccleſiæ ad Principem ipſe tranſmiſſus ſum, ſeniorem quemdam Epiſcopum reperi, qui ſe adhuc eorum ora ſine linguis loquentia vidiſſe teſtabatur, ita ut apertis oris clamarent: Ecce videte, quia linguas non habemus, & loquimur. Videbantur enim a reſpicientibus, ut ferebant, quia abſciſſis radicitus linguis, quaſi quoddam barathrum patebat in gutture, & tamen ore vacuo, plena ad integrum verba formabantur. Quorum illic unus in luxuriam lapſus, mox privatus eſt dono miraculi: recto videlicet omnipotentis Dei judicio, ut qui carnis continentiam ſervare neglexerat, ſine lingua carnea*

Greg. dialog. lib. 2. cap. 32.

JESU CHR. AN. 484.

nea non haberet verba veritatis. Hactenus S.Gregorius. Eadem de iiſdem Confeſſoribus, qui linguis abſciſſis, recte tamen nihilominus loquerentur, ſanctus Iſidorus teſtatur in hiſtoria Vandalorum. Miraculum tamen tot, tantiſque teſtibus confirmatum, totoque Orbe vulgatum, in dubium pene vocare conati ſunt nonnulli, ita tamen, ut cum factum negare non poſſent, an naturæ vires id excederet, dubitari poſſe dixerunt; unde Moſhemius ſeculo 5. cap. 5. pag. 197. *Rem ipſam nemo facile neget, magnis enim teſtibus nititur, num leges naturæ excedat, diſputari poteſt.* Atque ad bibliothecam Britannicam tom. 3. part. 2. & tomo 5. part. 1. lectores ſuos remittit, ubi copioſius, ſubtiliuſque de hujuſcemodi miraculo diſputatur. Nobis tantum otii non eſt, ut tempus terere, aut potius perdere velimus.

Eugenii Carthag. Epiſc. epiſtola ad gregem ſuum

26. Antequam Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus in exilium pergeret, ne officio ſuo deeſſet, ad gregem ſuum epiſtolam dedit, ut catholicæ Fidei defenſione eum confirmaret, *Aſportandus pro fidelis linguæ remuneratione in exilium*, ait Gennadius, *epiſtolas velut commonitorias fidei unius ſacri, & conſervandi baptiſmatis, ovibus ſuis, quaſi paſtor ſollicitus derelinquit*. Eam epiſtolam Gregorius Turonenſis ab oblivione vindicavit, cujus hæc eſt inſcriptio: *Dilectiſſimis, & in Chriſto amore dulciſſimis filiis, & filiabus eccleſiæ mihi a Deo commiſſæ Eugenius Epiſcopus*. Omnes vero hortatur, *per Dei majeſtatem, & per tremendum judicii diem*, ut firmiter teneant *Catholicam fidem, aſſerentes Filium Patri eſſe æqualem, & Spiritum ſanctum eamdem habere cum Patre & Filio Deitatem*; unius baptiſmi gratiam retineant, & *Chriſmatis unctionem*, & abſentiæ ſuæ mœrorem ſolatur. In Tamallunenſem civitatem in confinio Tripolitanæ ſitam relegatus fuit Eugenius, ubi crudeliſſimus homo Antonius Arianorum Epiſcopus erat, cujus ſævitia cum Hunnerico probe nota eſſet, in ipſius eremi partibus exulem Eugenium collocavit; quem cum cuſtodiendum accepiſſet Antonius, nulli ad ipſum concedere aditum voluit, quin etiam ſtructis & compluribus inſidiis morti eum tradere conatus eſt, ſed fruſtra, ut pluribus narrat Victor Vitenſis lib. 5. n. 2. pag. 81. Graviora adhuc eodem Antonio Arianorum Epiſcopo, ſeu potius carnifice auctore, pertulit Herbedeus catholicorum Epiſcopus, quem non ſolum vario tormentorum genere afflixit, ſed invi-

Gennad. de ſcript. eccleſ. cap. 93.

Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 3.

vi-

vitum reluctantemque, cum vinculis colligaſſet, rebaptizavit, ut ſequenti numero narrat Victor.

Jesu Chr. an. 484.

Cyrila Arianorum Patriarcha falſum miraculum fruſtra tentat.

27. Eugenium Epiſcopum cœco viſum in catholicæ Fidei confirmationem reddidiſſe, ſupra vidimus; ejus gloriam ut æmularetur Arianorum Patriarcha, ſtropham falſi miraculi fingens, ac cœcum ſe quoque illuminare poſſe dictitans, ludricam luſit ſcenam, quæ tamen in tragœdiam converſa eſt, dum iſ qui videbat, cœcus evaſit. Rem geſtam narrat Gregorius Turonenſis loco ſupracitato his verbis: *Cernens ille nequam Arianorum Epiſcopus*, nempe Cyrila, quod ab Eugenio factum fuerat, *vocatum ad ſe quemdam hominem, ab illo quo ipſe vivebat errore deceptum, ait: Non patior, quod hi Epiſcopi multa in populo ſigna depromant, illoſque cuncti, me neglecto, ſequantur. Acquieſce nunc his, quæ præcipio: & acceptis quinquaginta aureis, ſede in platea, per quam nobis eſt tranſitus, & manum ſuper clauſos oculos ponens, me præeunte cum reliquis, exclama magna virtute, dicens: Te, beatiſſime Cyrila noſtræ religionis Antiſtes, deprecor; ut reſpiciens manifeſtes gloriam, ac virtutem tuam, ut oculos meos aperiens, merear lucem videre, quam perdidi*. Is vero juſſa complens, reſidenſque in platea, tranſeunte hæretico exclamavit voce magna: Audi me, beatiſſime Cyrila, audi me, ſancte ſacerdos Dei, reſpice cæcitatem meam, experiar ego medicamenta, quæ ſæpe cæci reliqui a te meruerunt, quæ leproſi experti ſunt, quæ ipſi etiam mortui perſenſerunt: Adjuro te per iſtam virtutem, quam habes, ut mihi deſideratam reſtituas lucem, quia gravi ſum cæcitate percuſſus. Tunc hæreticorum epiſcopus paululum divertens quaſi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque ſuperbia, poſuit manum ſuam ſuper oculos ejus, dicens: Secundum fidem noſtram, qua recte Deum credimus, aperiantur oculi tui. Et mox, ut hæc dixit, riſus mutatur in planctum, & dolus Epiſcopi detectus eſt. Nam tantus dolor oculos miſeri illius invaſit, ut eos digitis vix comprimeret, ne diſrumperent. Væ mihi miſero, quia ſeductus ſum ab inimico legis divinæ; væ mihi, qui Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi, ut hoc facinus perpetrarem; ad Epiſcopum autem ajebat: Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo credidi; voſque rogo, glorioſiſſimi Chriſtiani, ne deſpiciatis miſerum, ſed velociter ſuccurrite pereunti. Vere enim cognovi, quia Deus non irri-

irridetur. Tunc miſericordia moti: Si credis, omnia poſſibilia ſunt credenti. At ille clamabat voce magna: Qui non crediderit Chriſtum Filium Dei, & Spiritum Sanctum æqualem habere ſubſtantiam atque deitatem cum Deo patre, hodie quæ ego perfero, patiatur, &c. Tunc Vindemialis, ac Longinus Eugenium rogabant, ut manus imponeret cœco. Quod cum feciſſet, ac Crucem ſuper oculos cœci faciens, ait: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti veri Dei, quem trinum in una æqualitate, atque omni potentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et ſtatim ablato dolore, ad priſtinam rediit ſanitatem. Manifeſtiſſime autem patuit per hujus cæcitatem, qualiter hæreticorum Epiſcopus oculos cordium miſero aſſertionis ſuæ velabat amictu, ne veram lucem illi liceret fidei oculis contemplari*. Sed de his tandem dicendi finis fiat, reliqua bene multa et notatu digna apud Victorem, aut Gregorium Turonenſem videri poſſunt, a Ruinartio in hiſtoria perſecutionis Vandalicæ collecta.

Africa fame, ac peſtilentia vaſtatur. *Victor lib. 5. pag. 86.*

28. Cum furentis belluæ more Africanam eccleſiam vexaret Hunnericus, non hominibus tantum, ſed Chriſto ſe bellum indixiſſe, vel ipſa experientia didicit: *Diſcite juſtitiam moniti, nec temnite Chriſtum, nam ea tempeſtate*, ut narrat Victor, *facta eſt incredibilis* fames, & cœpit Africam totam una depopulatione vaſtare. Cum longo tempore per totam Africam pluviæ gutta e Cælo non deciderit, ita Vandalorum plurimi, tum fame, tum etiam peſte perierunt; ut plane ipſa elementa clamarent, in ultionem offenſæ Divinitatis tales tantaſque ſimul immitti in Africam clades, quibus omnes deſolatæ fuerint urbes: quorum conſideratione, & eorum quæ eſſent ante oculos inſpectione, idem Victor confeſſor inſtar Hieremiæ ſeorſum poſitus lugubres threnos flebili voce, crebris interupta ſuſpiriis dolens ac mœrens occinuit.

Hunnerici Regis infelix obitus. *lib. 5, pag 93. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 3.*

29. Neque hic Dei ira ſtetit, aut tanta cujuſcumque generis hominum ſtrage exatiata eſt, ſed in ipſum malorum auctorem præcipue enituit, ac tanquam excitatus dormiens Dominus, qui diſpergit ſuperbos in furore ſuo, Hunnericum vermibus conſumendum hoc eodem anno tradidit. Cum etenim de proſtrata catholica fide ſibi amens triumpharet, divinam expertus eſt vindictam, ut his verbis refert Victor: *Tenuit ſceleratiſſimas Hunnericus dominationem Regni annis ſep-*

ſeptem, menſibus decem, meritorum ſuorum mortem conſumans. Nam putrefactus, & ebulliens vermibus, non corpus, ſed partes corporis ejus videntur eſſe ſepultæ. Sicut ille legis datæ tranſgreſſor Rex quondam ut aſinus ſepultus eſt, ita iſte in brevi ſimili morte periit. His addit Gregorius Turonenſis: *Hunnericus poſt tantum facinus arreptus a dæmone, qui diu de ſanctorum ſanguine paſtus erat, propriis ſe morſibus laniabat. In quo etiam cruciatu vitam finivit.* Victoris nihilominus auctoritas ceteris præferenda eſt, qui vermibus ultricibus conſumptum eum periiſſe ſcribit. Jesu Chr. An. 485.

30. Hunnerico ſucceſſit Gundabundus, Genſonis aut Gentonis fratris filius, qui propior genere Genſericum attingebat, ut Procopius tradit. Hunc Victor Godagiſum nominat, quem natu majorem, ne ſuccedere poſſet in regnum, idem Hunnericus una cum uxore (ut ait Victor) crudeli exilio relegaverat. Hunc quoque in Africanam ſæviiſſe Eccleſiam ſcribit Procopius; Iſidorus tamen adnotat: *Gundabundus regnavit annis duodecim, qui pacem ſtatim Eccleſiæ donavit, & Catholicos protinus ab exilio revocavit*; cujus ſane ſententia verior eſt, & dicenda ſequentibus annis confirmant. Gundabundus Hunnerico ſuccedit.

JESU CHRISTI An. 485. Felicis Papæ 3.
Zenonis Imp. 12. Odoacris Italiæ Regis 10.
Coss. Memmio Symmacho absque collega.

1. Cum Felix Papa accepiſſet Calendionem Antiochena eccleſia ejectum, eamque eccleſiam Petrum Gnaphæum ſive Fullonem, Zenonis auctoritate, & Acacii conſenſu, ſive conſilio invaſiſſe, alteram hoc anno Romæ ſynodum celebravit, qua non ſolum Petrus Moggus Alex. olim Epiſcopus iterum damnatus eſt; ſed cum eo Petrus Fullo, & Acacius Regiæ urbis Epiſcopus. Synodi geſta narrat Felix in epiſtola ad clericos, & monachos CPoli, & Bithyniæ, eoſque ut ab Acacii communione recederent, admonet. Epiſtolæ autem hæc eſt inſcriptio: *Sancta ſynodus apud Beatum Petrum Apoſtolum congregata, univerſis Presbyteris, & Archimandritis orthodoxis CPoli, & Bithyniæ conſiſtentibus, dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.* Eaque in primis Vitalis, & Miſeni, qui CPolim ad Zenonem miſſi, cum Acacio præpoſtere communicaverunt, cauſam retractant, eoſque debita affectos pœna, a Sa- Rom. ſynodus, qua Petrus Alex. & Petrus Antioch. cum Acacio damnantur. *concil. tom. 4. pag. 1124.*

JESU CHR. AN. 485.

a Sacerdotali collegio, Eccleſiæque communione ejectos fuiſſe narrat; deinde: *Acacium quoque membris Chriſti pernicioſius inhiantem, & per civitates, & provincias, unam de fide catholica Eccleſiam diſſipantem, inter Epiſcopos ſanctos, atque inter Chriſtianos judicavimus non haberi &c.* quem *nunc e corpore eccleſiaſtico, ut partem putridam anathematizamus, ſententia memorata abſciſſum*. Hancque ſententiam ſe in eum antea tuliſſe, hæc ſynodicæ epiſtolæ verba indicant: *Poſt illam ſententiam, quæ in Acacium perturbatorem totius orientis Eccleſiæ dicta eſt, his quoque nunc congregati addidimus litteris, memoratam ſubdendo ſententiam, quam placuit per Tutum Defenſorem Eccleſiæ Acacio dirigi, ne volentes aliqui circumſcribere veritatem, maligniſſimis blandimentis ſimpliciores quoſque ſeducant. Nam ſi terra marique Orthodoxis non ponerentur inſidiæ, plurimi ex nobis cum eadem Acacii ſententia venire potuiſſent. Unde nunc cauſa Antiochenæ Eccleſiæ apud beatum Petrum Apoſtolum collecti, rurſum dilectioni veſtræ more, qui apud nos ſemper obtinuit, properavimus indicare*; eoſque admonet, novum non eſſe, ut ſolus Romanus Pontifex ſynodis Romæ habitis ſubſcriberet. *Quoties intra Italiam propter eccleſiaſticas cauſas, præcipue fidei, colliguntur domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ, ex perſona cunctorum totius Italiæ ſacerdotum, juxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnibus competentem cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium &c.* Acacio id etiam crimini vertit, quod *Calendione Epiſcopo ſancto* (*quemadmodum cognovimus*) *nuper ejecto, Petrum toties a ſe ante damnatum, in ejus immiſit eccleſiam, ita ut plurimi, ſi verum eſt, catholici ceſſerint, relictis ſuis ſedibus, Sacerdotes, & noſtræ projectæ ſint porcis & canibus margaritæ*. Ne quid vero doli fraudiſque ſubreperet, hiſce ſynodicis epiſtolis ad Imperatorem, ad Clerum, & Populum, atque ad ampliſſimum Senatum miſſis, Epiſcopos congregatos ſubſcripſiſſe, narrat; ac primo *Candidus Tiburtinæ civitatis Epiſcopus Petro Alex. eccleſiæ pervaſori, & Acacio quondam eccleſiæ CPolitanæ, nec non etiam Petro Antiocheno, ab Epiſcopatu & chriſtianorum numero, olim jure & merito ſegregatis, omnibuſque ſequacibus eorum, ſequens auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, ſecundum deſiderium noſtrum, juxta eccleſiæ ſtatum, catholica deliberatione prolatam anathema dicens*, ſub-

ſubſcripſi; deinde alii quadraginta duo Epiſcopi ſimiliter ſubſcripſerunt, ac data dicitur hæc epiſtola *tertio nonas octobris, Symmacho VC. Coſſ.* ideſt hoc anno.

JESU CHR. AN. 485.

pag. 1127.

2. Eodem ſpectat altera Felicis Papæ epiſtola ad monachos CPoli, & Bithyniæ, qua Tutum Rom. eccleſiæ defenſorem, ad excommunicationis ſententiam in Acacium latam CPolim a Pontifice miſſum, ob prævaricationis crimen excommunicationis pœnam ſubiiſſe, eorumque epiſtolas per Baſilium ſibi miſſas, ſe accepiſſe narrat, ac qua ratione vitandi ſint in hæreſi contumaces, aut recipiendi in Eccleſiæ communionem in hæreſim lapſi, vel hæreticorum communione polluti, docet. Hæc Felicis epiſtola, quæ ſine temporis, aut conſulum nota eſt, uno aut altero fortaſſe poſthac anno ſcripta fuit, ac ex plurimis, quas vivente Acacio ſcripſit, ultima eſt; cum in deterius enim res prolabi cerneret, ac ſurdis canere, divino edoctus oraculo: *Ne effundas ſermonem, ubi non eſt auditus*, quouſque CP. thronum Acacius tenuit, ſilere S. Pontifex cenſuit. Acacius vero Felicis preces, monita, minas, & excommunicationis ſententiam ſpernens, *uſque ad mortem*, ut ait Liberatus, *patrocinante Imperatore permanſit ſacrificans*.. *& Acacio permanente in Petri communione, ſeparavit ſe quidem ſedes Apoſtolica a CPolitana*.

Altera Felicis epiſt. ad monachos CP. & Bithiniæ.

tom. 4. pag. 1085.

Liber. cap. 18. pag. 125.

3. Divina tamen providentia factum eſt, ut tunc pro defenſione catholicæ Fidei inſurgerent monachi, cum ejuſdem eccleſiæ Epiſcopus faveret hæreticis, ſicut contra, cum Eutiches Archimandrita una cum ſuis hæreſim doceret, tunc ex adverſo ſtaret Catholicus ejuſdem civitatis Antiſtes Flavianus. Horum in catholica fide conſtantiam imitati ſunt aliarum provinciarum monachi, parati magis perſecutionem pati, quam catholicam Fidem prodere, aut Chalcedonenſem ſynodum damnare. De monachis Alexandriæ & Ægypti a Petro Moggo vexatis, ac CPoli transfugis ſummatim hæc narrat Liberatus: *Porro Petrus de propriis civibus catholicos expulſit Sacerdotes, quibus nonnulli apud CPolim perſecutionem graviſſimam pertulerunt. Scandalizabat autem Imperator, & illos, qui a parte Nephali Abbatis erant, & qui circa Joannem Epiſcopum Hegumenum monaſterii Diolchon, & agens contra ipſum Joannem, præpoſituram ei abſtulit, & eam tradidit Monaſterio Abbatis Amonis*. Quæ

Monachorum plurimi in Catholica fide, & Rom. eccleſiæ communione perſeverant.

 ſub-

JESU CHR. AN. 485.

ſuboſcure hactenus de Monachorum Alexandriæ & Ægypti, narrat Liberatus, lucem fœnerant ex iis, quæ de turbis Alexandriæ a Petro Moggo excitatis adnotat Evagrius, cujus hæc ſunt verba: *Invaleſcente ſchiſmate Alexandriæ, Petrus cum Zenonis epiſtolam & acta Chalcedonenſis Synodi, eoſque qui Dioſcori, ac Timothei ſcripta minime ſuſciperent, iterum ſub anathemate damnaviſſet, Epiſcopis quibuſdam, & Archimandritis perſuaſit, ut ſibi communicarent. Et quoniam aliis idem perſuadere non potuerat, plurimos monaſteriis ſuis exegit. Quas ob cauſas Nephalius ad urbem regiam profectus, rem omnem Zenoni nuntiavit. Ille graviter commotus, Coſmam unum ex ſuis Protectoribus Alexandriam miſit, qui unitatis cauſa graviſſimas minas Petro intentaret, utpote qui maximam diſſenſionem aſperitate ſua excitaſſet. Verum Coſmas, cum nihil ipſi ex voto ſucceſſiſſet, Conſtantinopolim revertitur, monachis, qui expulſi fuerant, in ſua domicilia reſtitutis. Rurſus itaque Imperator Arſenium mittit, quem Præfectum Ægypti & Ducem rei militaris ſimul promoverat. Qui una cum Nephalio Alexandriam ingreſſus, verba fecit de concordia. Sed cum perſuadere eis non potuiſſet, nonnullos eorum miſit Conſtantinopolim; ac multa quidem de Concilio Chalcedonenſi diſputata ſunt coram Zenone. Nihil tamen perfectum eſt, propterea quod Zeno Chalcedonenſi concilio minime aſſentiebatur.* Nec mirum graviſſima ob hanc cauſam diſſidia fuiſſe excitata, cum ſciamus ad rixas proniores, vel ipſa natura, aut levitate fuiſſe Alexandrinos; Religionis vero prætextu commotos, ad quælibet audenda promptiores fuiſſe extra dubium eſt.

Catholici Epiſcopi ab Acacio paſſim depoſiti.

4. Nec inter ſolos monachos hæreticorum perſecutio graſſata eſt, ſed Epiſcoporum plurimos pervaſit; cumque Patriarchales ſedes, Alex:, & Antiochenam, hæreticis poſſidendas, immo diſſipandas, Acacius tradidiſſet, Petro Moggo ſcilicet, & Petro Fulloni; alias etiam Orientalis orbis eccleſias eodem hæreſis veneno infecit, ac pulſis orthodoxis paſtoribus, latrones & fures eorum loco ordinavit; de quibus adverſus Acacium graviſſime conqueritur Gelaſius Papa in celeberrima ad Epiſcopos Dardaniæ epiſtola: *Qua auctoritate per totum Orientem ſynodo, ejectis orthodoxis nullo crimine maculatis, pravos quoſque, & criminibus involutos ſua proviſione ſuppoſuit? Qua ſynodo tot aliena privilegia nefandus po-*

pu-

pulator invaſit? &c. nec eum juvare poſſe, eſt quod in Imperialem niſus eſt jactare perſonam? Cur igitur quando voluit, obſtitit Baſiliſco tyranno, certe hæretico vehementer infeſto? Quod etiam infra pluribus perſequitur. Hæc & alia Gelaſius adverſus Acacium, quem in ſua perfidia uſque ad obitum perſeveraſſe narrat commonitorio ad Fauſtum, etſi eum per Andromacum virum illuſtrem admonuerit, rogaveritque, ut ad ſaniora conſilia rediret: *Illud autem nimis eſt impudens*, inquit, *quod Acacium veniam poſtulaſſe confingunt, & nos extitiſſe difficiles. Teſtis eſt frater noſter, filius meus vir illuſtris Andromachus, qui & a nobis abundanter inſtructus eſt, ut cohortetur Acacium depoſita obſtinatione reſipiſcere, & ad ſedis Apoſtolicæ remeare conſortium. Quique ſe ſub jurejurando magnis cum eodem molitionibus egiſſe teſtatur, nec ad ea, quæ recta ſunt, potuiſſe deflecti, &c.* Hæc Gelaſius de Felicis Papæ geſtis cum Acacio, nam cum ipſe ordinatus eſt, e vivis jam exceſſerat Acacius.

JESU CHR. AN. 485.

Acacii perfidia nulla ratione excuſari poteſt. *Baſnag. an.* 484. 2. 12. 13. 14.

5. In Acacii innocentia tuenda fruſtra laborat Baſnagius, non aliter ac ſi Æthiopem lavaret; nam etſi concedi poſſit Nat: Alexandro, & Pagio, Acacium mente & corde hæreticum non fuiſſe, quod etiam Natalis Alex. demonſtrare conatur; negari tamen non poteſt, eum Anathematis ſententia perculſum, & CP. throno, Felicis Papæ auctoritate, dejectum fuiſſe. Ut enim ad rem noſtram idem Natalis adnotat, juſtis de cauſis Acacius damnatus eſt a Rom. Pontificibus, quod ſcilicet Petrum Moggum, & Petrum Fullonem, quos prius velut hæreticos fuerat inſectatus, in communionem ſuam ſuſceperit, laudaverit, & in ſedes Alexandrinam, & Antiochenam reſtitui curaverit a Zenone Imp. Quare etſi mente hæreticus ipſe non fuit, hæreticorum tamen communione pollutum fuiſſe manifeſtum eſt. His adde, quod Acacius Simplicii, & Felicis Rom. Pontificum ſanctiſſima ſpreverit monita, & ludibrio habuerit, *in everſionem totius eccleſiaſticæ diſciplinæ*; quod denique hoſtili more ſedis Apoſtolicæ legatos detruſerit in carcerem, ac in ſuam communionem fraudibus, vi, & pecunia pertraxerit, ut ſupra aduotavimus. Quæ ſane nec pauca, nec levia crimina fuerunt. Qua autem ratione ab hæreſis Eutychianæ labe purgari poſſit Acacius, pluribus in ſupracitata diſſertatione perſequitur Natalis Alexander, ad quem brevitatis ſtudio lectores noſtros remittimus. 6. Si-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 485. Sidonii epiſt. ad Oroſium, ejuſque obitus.

6. Sidonii Apollinaris fama permotus Oroſius Hiſpanus ab eo petierat, ut poemata aliquot, quibus quammaxime delectabatur, ſibi mitteret. Sidonius vero, qui jamdiu (ex quo ſcilicet Epiſcopus ordinatus fuerat) muſis renunciaverat, Oroſii deſiderio ita ſatisfecit, ut cum nova poemata non componeret, ex veteribus aliquot eidem mitteret. Oroſium Hiſpanum fuiſſe his verbis indicat: *Venit in noſtras a te profecta pagina manus, quæ trahit multam ſimilitudinem de ſale Hiſpano in jugis cæſo Terraconenſibus*. Ut autem qua poterat ratione Oroſii votis ſatisfaceret, hæc addidit: *Inſuper deſidiæ noſtræ verecundia comes ad hoc ſententiam noſtram inclinat, ut me poſtquam in ſilentio decurri tres Olympiades* ab anno 473., quo Arvernenſis Epiſcopus ordinatus fuerat, ad labentem, *tam pudeat novum poema conficere, quam pigeat. Hoc item nefas difficilia tibi negari, cujus affectum tanto minus decipi debet, quanto conſtantius nil repulſam veretur. Tenebimus ergo quippiam medium, & ſicut Epigrammata recentia modo nulla dictabo, ita litteras, ſi quæ jacebunt verſu refertæ ſcilicet, ante præſentis officii neceſſitatem, mittam tibi &c.* Hæc & alia ad Oroſium Sidonius, hæcque inter ejus epiſtolas ultima habetur, quem non diu ſuperſtitem fuiſſe ſcimus, etſi mortis annum ignoremus, ac Zenone Imperante obiiſſe, ex Gennadio, & ejus Epitaphio conſtat, a Savaro, & Sirmondo in vita Sidonii edito, his verſibus:

Quiſquis hic cum lacrymis Deum rogabis,
Dextrum funde preces ſuper Sepulchrum,
Nulli incognitus, & lugendus Orbi
Illic Sidonius tibi invocatur, ſive, *invocetur*
XII. Kal. Septemb. Zenone Imp.

Scriptis quoque, æque ac virtutibus Sidonium Apollinarem toto Orbi inclaruiſſe compertum eſt, de quo hæc Gennadius: *Sidonius Arvernorum Epiſcopus ſcripſit varia & grata volumina, & ſanæ doctrinæ. Homo ſiquidem tam divinis, quam humanis ad integrum imbutus, acerque ingenio, ſcripſit ad diverſos metro, vel proſa compoſitum inſigne volumen, in quo quid in litteris poſſet, oſtendit. Verum in chriſtiano vigore pollens, etiam inter barbaræ ferocitatis duritiem, quæ eo tem-*

pore

pore Gallos oppreſſerat, catholicus Pater, & doctor habetur inſignis. Floruit ea tempeſtate, qua Leo, & Zeno Romanis imperabant. Obſcuriori nihilominus ſtylo ſcripſiſſe opuſcula ipſa teſtatur. Hinc Ruricius Lemovicenſis Epiſcopus: *Sidonii lectio*, inquit, *ſicut mihi antiquum, ita præ obſcuritate dictorum non accedit ingenium*. Ejus autem memoria die 23. Auguſti Martyrologio Rom. recolitur, Arvernis vero die 21. At Pagius in obſcuro adhuc diem, & annum Sidonii emortualem eſſe, pluribus probat, not. 27. & 28. ad annum 484.

JESU CHR. AN. 485.

7. Sidonii nihilominus vitæ ſanctitas, aut eruditio, ab æmulorum invidia, & inſidiis, nequaquam immunis fuit, ut in hiſtoria Francorum narrat Gregorius Turonenſis. Nam adverſus eum duo presbyteri rebelles facti, ablata ei omni poteſtate eccleſiaſticorum reddituum, arctum ei victum, & veſtitum reliquerunt, ad ſummam eum egeſtatem redigentes. At eorum alter, dum ad horas matutinas pergeret, naturali revocatus neceſſitate, locum ingreſſus, Arii more, egeſtis viſceribus fato functus eſt; conjurationis vero ſocius paucis diebus Sidonio ſuperfuit, cujus throno inhiabat, ac convivio accumbens, *Elapſo de manu calice reddidit ſpiritum*. Aprunculum Sidonio in Arvernenſi cathedra ſucceſſiſſe addit Gregorius Turonenſis, nam ſilentibus viris ac mulieribus, cum jam jam Sidonius moreretur, reſpondiſſe fertur: *Nolite timere, o populi, ecce frater meus Aprunculus vivit, & ipſe erit Sacerdos veſter*. Quanto tempore Aprunculus Sidonii ſucceſſor Arvernenſem eccleſiam adminiſtraverit, non conſtat, nec in re obſcura diu immorabimur.

Sidonius Apoll. perſecutionem a presbyteris ſuſtinet. *Greg. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 23.*

8. Antequam Galliis excedamus, nos detinet Evarici Gothorum Regis obitus, quem hoc anno ex hac vita exceſſiſſe narrat auctor Anonymus ad Victoris Tunonenſis chronicon additus, his verbis: *Poſt Conſ. Theodorici*, ideſt hoc anno, *bis diebus Evaricus Rex moritur, & Alaricus filius pro eo Rex efficitur*. Jornandes etiam libro de rebus Gethicis cap. 47. eum anno decimonono Regni ſui obiiſſe narrat, quare cum ineunte anno 467. regnare cœperit, uſque ad labentem vitam retinuit. Nec huic cronologiæ Agathenſis concilii epocha adverſatur, quod nempe Meſſala Conſ. celebratum eſt anno 506. Alarici vero Evarici filii anno 22. Nam ſi incompleti anni numerentur, ab hoc anno ad 505. anni prorſus 22. computantur. Infauſtum porro Evarici Regum

Evarici Gothorum Regis obitus. *Pag. not. 24. ad an. 484.*

JESU CHR. AN. 486. gnum Gallicanis eccleſiis futurum prædixerat Sidonius, nec immerito, qui etenim fraterno ſanguine Regni ſui initia fœdaverat, bonis omnibus metuendus erat, & ſane non multo poſt catholicæ fidei graviſſimam Arianus Princeps perſecutionem movit. Id præſenſerat Sidonius; unde ad Baſilium: *Quod fatendum eſt*, inquit, *præfatum Regem Gothorum, quamquam ſit ob virium magnitudinem merito terribilis, non tam Romanis manibus, quam legibus chriſtianis inſidiaturum paveſco &c.* Et ſane ſibi gloriæ æque ducebat Romanorum in Galliis Imperium, ſimul cum fide Romanorum, ſeu catholica, evertere. Hinc defunctis catholicis Epiſcopis, alios ſubſtitui negabat, ut narrat Sidonius: *Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Eluſani, Vazates, Convenæ, Auſcenſes, multoque jam major numerus civitatum, ſummis Sacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis, per quos utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur, latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit.* Ad inficiendos vero Ariana lue animos, Modaharius operam Regi commodabat ſuam. Tandem res ad ſanguinem venit, teſte Gregorio Turonenſi: *Evarix Rex Gothorum, gravem in Galliis ſuper Chriſtianos intulit perſecutionem, truncabat paſſim perverſitati ſuæ non conſentientes, Clericos carceribus ſubigebat, Sacerdotes vero alios dabat exilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipſos Sacrorum Templorum aditus ſpinis juſſerat obſerari, ſcilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei.* Hæc Evarici paulo ante obitum geſta, ad annum uſque proximum continuata videntur; etenim addit Gregorius: *Sed Perſecutor non poſt multum tempus ultione divina percuſſus interiit.*

JESU CHRISTI AN. 486. FELICIS PAPÆ III. AN. 4.
ZENONIS IMP. 13. ODOACRIS REGIS ITALIÆ II.
COSS. LONGINO ET DACIO.

De Longino conſule, Zenonis Imp. fratre.

1. Horum conſulum Decius Occidentalis fuit, Longinus vero Orientalis, ac Zenonis Imp. frater, de quo ad annum ſuperiorem, hæc adnotat Marcellinus: *Longinus Zenonis frater Auguſti, poſt decennalem cuſtodiam*, annualem legendum putat Pagius, *quam eidem Illus apud Iſauriam inflixerat, ad germanum ſuum CPolim advenit*, ut carceris ſordes

Digitized by Google

ſordes plenius detergeret, ampliſſimo conſulatus munere exornatus eſt, eamdemque dignitatem iterum anno 490. obtinuit, quem etiam in ſpem Imperii potiundi fuiſſe ſcimus, ſed fruſtra, ut in Zenonis Imp. obitu videbimus. Cum etenim unicus Zenonis filius, an legitimus fuerit, vel ſpurius in incerto eſt, hoc ſcimus improbis eum moribus imbutum, florente ætate e vivis ereptum fuiſſe. Nam aulicorum prava conſilia, & exempla ſequens, crapulæ, & fœdis obſcœniſque voluptatibus totus ſe dederat. Quare non multo poſt, ventris profluvio, immatura morte occubuit.

Petri Fullonis impia geſta adverſus eccleſiam.

2. Petrus interea Gnaphæus, ſive Fullo Antiochenam adeptus eccleſiam, *multa nefanda perpetravit*, ait Theophanes, *ut puta ſynodi execrationes* (Chalcedonenſis) *Epiſcoporum abrogationes, noxiorum intruſiones, ordinationes illegitimas, & his ſimilia. Imprimis autem ter Sancto hymno addidit, Rex Chriſte, qui pro nobis Crucifixus es. Reverſus idem ſuſtulit verba, Rex Chriſte*. Eamdem eccleſiarum everſionem a Petro Fullone factam, ita ut in locum catholicorum Antiſtitum hæretici paſſim per Orientem ſubrogarentur, deplorat Gelaſius Papa, tum in epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos, cum in altera, quam ad Orientales Epiſcopos ſcripſit, de quibus ſuo loco infra dicturi ſumus.

Joannes Presbyter Eutychianos confutat.

3. In tanta autem Orientalium eccleſiarum devaſtatione Joannes quidam Presbyter Eutychianam hæreſim ſcriptis ſuis confutare non dubitavit. *Joannes Antiochenæ Parrochiæ, ex grammatico Presbyter, ſcripſit adverſus eos, qui in una tantum ſubſtantia adorandum aſſerunt Chriſtum, nec acquieſcunt, duas in Chriſto confitendas eſſe naturas*, ait Marcellinus in chronico. Gennadius vero de eodem agens, Cyrillum quoque redarguiſſe, his verbis adnotat: *Docens ſecundum relationem ſcripturarum unam in illo Dei & hominis eſſe perſonam, non unam carnis & Verbi naturam. Simul & impugnat aliquas Cyrilli Alex. Epiſcopi ſententias, docens incaute ab illo adverſus Neſtorium prolatas, quas nunc fomentum ſunt, & robur addunt Timotheanis, quod valde inaniter dicit. Vivere adhuc dicitur, & ex tempore declamare.*

Gennad. de ſcript. eccleſ. cap. 90.

Vigilius Tapſenſis Epiſc. Eutychianos confutat.

4. Non unus Joannes presbyter adverſus Eutychianos hoc tempore ſtylum acuit. Graviori certamine, & feliciori exitu, eoſdem cum Arianis, & Neſtorianis aggreſſus eſt Vigilius Tapſenſis in Mauritania Epiſcopus, unus ex illuſtribus

JESU CHR. AN. 486. confeſſoribus, qui anno 484. collationi cum Arianis, Hunnerici juſſu habitæ, interfuit, cujus nomen inter Bizacenæ provinciæ Epiſcopos in notitia Epiſcoporum Africæ ultimo loco

Apud Vict. Vitenſ. pag. 133. legitur, cum eſſet ejuſdem provinciæ junior Epiſcopus. Quare in exilium fidei cauſa cum ceteris ejectus, ac Neapolim profugus, cum ſua ætate Neſtorianam, & Eutychianam perfidiam Orientem pervagari, in Africa vero Arianam hæreſim impune, regia auctoritate fultam, graſſari cerneret, ſui officii eſſe credidit, graſſantes undique comprimere hæreſes, ac quinque adverſus Eutychetem libros primum vulgavit; quibus ex ſacræ ſcripturæ auctoritate, & ſanctorum Patrum teſtimoniis Eutychianam hæreſim confutavit, ac S. Leonis epiſtolam de fide catholica ad Flavianum, ſanctique Chalcedonenſis concilii auctoritatem tuetur. *Nunc*, inquit in fine libri tertii, *ad defenſionem Leonis epiſtolæ, & concilii Chalcedonenſis, convertamus officium*, quo ſolo teſtimonio eos libros Vigilio

Biblioth. PP. tom. 8.

Tridentino Epiſcopo falſo adſcriptos fuiſſe patet, quem diu ante Eutychetis hæreſim, quarto deſinente ſeculo, floruiſſe ſcimus, cujus & ad Simplicianum Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi ſucceſſorem, de martyrio Siſinii, & Alexandri extat epiſtola. Eidem Vigilio inſcribuntur Dialogi contra Arianos, Athanaſio, Ario, & Probo judice interlocutoribus, duobus libris comprehenſi adverſus Arianos, Photinianos, & Sabellianos. Alterum dialogum tribus libris diſtributum vulgavit Vigilius, in quo Athanaſium, & Probum loquentes inducit. Quod vero Athanaſio hi libri vindicari nequeant, capite quinquageſimo libri ſecundi oſtenditur. *De his*, inquit, *omnium quæſtionum capitulis latius & plenius beatus noſter diſputavit Ambroſius*. Auctor igitur, & Latinus fuit, & Ambroſio Junior, quod de Athanaſio dici non poteſt. Athanaſii quoque nomine alii Vigilii libri olim inſcripti fuerant, ſcilicet libri de Trinitate XII., liber contra Felicianum Arianum de Unitate Trinitatis, qui inter Auguſtini opera reperitur. Vigilio quoque noſtro vindicatur contra Varimadum Arianum diaconum tractatus, qui tribus libris abſolvitur. Varimadus anagramma eſt nominis Marivadus, qui Diaconus erat, Hunnerico percharus. Hunc Vigilius tractatum edidit, dum Neapoli moraretur, ut ipſemet teſtatur in ſua ad hunc librum præfatione. Eidem inſuper Vigilio Tapſenſi ſymbolum Athanaſianum ab eruditis communiter inſcribitur; ut autem anti-

Biblioth. PP. ut ſup. pag. 153.

Bianchini de ſymb. Athan. pag. 9 & ſeqq.

tiquis eccleſiæ Patribus Vigilii opera inſcriberentur, ipſemet in cauſa fuit, dum proprio ſuppreſſo nomine, Athanaſio, aliiſque inſcripſit, ut ſic ipſe ignotus eſſet, aut ut ſub tantorum Patrum nomine majorem ſibi auctoritatem vindicarent. Cuncta Vigilii opuſcula, nonnulla etiam eidem perperam inſcripta Chifletius edidit, vindicavitque, de quibus etiam apud Dupinium, Cellerium, alioſque rei litterariæ ſcriptores videri poſſunt.

Dupin. ſecul. 5. tom. 3. pag. 617.

6. Hoc eodem anno vita functus eſt Martyrius Hieroſolymorum Epiſcopus, cum ſediſſet annos octo, ut in vita Sancti Sabæ narrat Cyrillus monachus. *Saba jam 48. ætatis ſuæ annum agente, Patriarcha Martyrius anno Pontificatus ſui octavo exceſſit e vivis*. Natus erat Sabbas menſe Januario, Theodoſio Coſſ. XVII., ideſt anno 439., quare quadrageſimus octavus ejus ætatis annus cum labente concurrebat. Ad Petrum Moggum Alex. Epiſcopum, cum in locum Soloſaſcioli ordinatus fuiſſet, ſynodicas dediſſe litteras Martyrium, narrat Evagrius, cui nequaquam habendam eſſe fidem adnotat Baronius. Nil tamen mirum id eſſe debet, nam idem Evagrius adnotat, Petrum Epiſcopatus ſui initio, ſimulata pietate, & fide catholica multos feselliſſe. Unde eodem loco addit: *Poſtea tamen quidam a communione Petri ſe ſe abjunxerunt, atque exinde Petrus Chalcedonenſem ſynodum publice anathematizavit*. Liberatus etiam cap. 18. teſtatur Petrum Simplicio, & Acacio ſcripſiſſe, *quod communicator eorum eſſet, & Sanctæ Synodi*. Ex his autem, qui, Evagrio teſte, paulo poſt a Petri Moggi communione receſſerant, Martyrium quoque fuiſſe extra dubium eſt, cum Petri Moggi impietas in apertum prodiit. Ceterum Martyrium zelo catholicæ fidei inclaruiſſe ſcimus, de eoque in vita Euthymii Abbatis Cyrillus monachus narrat, eum ad Zenonem Imp., & ad Acacium CP Epiſcopum de Apochiſtarum, ſive Eutychianorum *negotio, blaſphemia, & fugienda hæreſi ſcripſiſſe, ſuaſque litteras Fido diacono tradidit, non pauca quoque ore dicenda mandans*. Lauram quoque Euthymii Martyrium dedicaſſe, idem Cyrillus narrat; cum etenim Euthymius, poſt obitum ſuum, fontem aquæ in monaſterio ſuo mirabiliter promeruiſſet: *Hoc miraculo cognito, Archiepiſcopus Martyrius, multa cum magnificentia, in dedicationem monaſterii advenit, celebrataque eſt vigilia cum inſigni luminum apparatu, & Sinaxim agentes, ſub altare depoſuerunt reliquias SS. Martyrum Ta-*

Martyrii Hieroſolym. Epiſc obitus.

Vita S. Sabæ cap. 19. tom. 3. monum. eccleſ. Græcæ.

Evagr. lib. 3. 16. Bar. an. 485. 20.

Coteler. monum. eccleſ. Græcæ tom. 4. pag. 86.

pag. 93.

rachi, Probi, & Andronici ſeptima die menſis maii. Erat vero jam annus duodecimus ab obitu Euthymii &c.

Salluſtius Hieroſoly. Epiſc. ordinatur; *Coteleri monum. eccleſ. Græcæ tom. 3. pag.*

7. Martyrio ſucceſſit Salluſtius, quem multo præconio exornat Cyrillus in vita S. Sabæ, ac a Salluſtio presbyterum ordinatum fuiſſe Sabam commemorat, deinde monaſterii præpoſitum. Quo munere dum fungeretur, inquietis monachis, qui adverſus Sabam rebellaverant, Salluſtius dixit: *Ecce habetis veſtrum patrem, & lauræ veſtræ præfectum, quem Deus deſuper, & non homo elegit: nos vero ſolum Spiritui Sancto manus commodavimus, non ipſum, ſed vos potius ipſos efficientes beneficio &c.* Quæ cum dixiſſet, ſurgens Salluſtius, & ad monaſterium pergens, Templum ibidem, & aram dedicavit, ut pluribus eodem loco narrat Cyrillus. Salluſtium nihilominus a communione Romani Pontificis ſeparatum vixiſſe, *propter edictum concordiæ a Zenone editum*, narrat Nicephorus in Chronico, & ſane totus fere Oriens longo tempore a Romani Pontificis, & Occidentalium communione excluſus perſeveravit, tum ob Zenonis edictum, tum ob Acacii nomen in dypticis retentum, ut ſæpe infra dicturi ſumus.

JESU CHRISTI ANNUS 487. FELICIS PAPÆ 5.
ZENONIS IMP. 14. ODOACRIS ITALIÆ REGIS 12.
COSS. BOETIO ABSQUE COLLEGA.

Romana ſynodus de lapſis reſtituendis.

1. Romanum concilium a Felice Papa hoc anno celebratum eſt, cujus hæc eſt inſcriptio: *Flavio Boetio VC. Coſſ. ſub die 3. iduum Martiarum, in baſilica Conſtantiniana, reſidente venerabili viro Papa Felice, una cum Candido Tiburtino, Paſchaſio Centumcellenſi*, & ceteris duodequadraginta Epiſcopis, præſentibus etiam Presbyteris, & Diaconibus Rom. eccleſiæ, necnon adſtantibus Victore, Donato, Ruſtico, & Pardalio Afris Epiſcopis, Felix Papa hæc præfatus eſt: *Communis dolor, & generalis eſt gemitus, quod intra Africam rebaptizatos etiam Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſque cognovimus: quæ res ſine dubio ad veſtræ quoque pervenit notitiam ſanctitatis. De quo quid obſervari debeat, ordinare nos convenit. Proinde ut manifeſta ſit ſuper hoc noſtra ſententia, quæ nobis ſunt viſa recitentur.* Hæc quidem Felix, Africanæ eccleſiæ funera recenſens, ex Victore Vitenſi, aliiſque ſupra anno 484. narrata. Tantus quippe Arianorum furor fuit, ut

Labb. concil. tom. 4. pag. 1149.

ut Epiſcopos, Presbyteros, alioſque tum Cleri, cum plebis utriuſque ſexus, invitos etiam rebaptizaverint. De Antonio Tamallenſi Ariano Antiſtite narrat Victor, quod Epiſcopum nomine *Habetdeum*, *pedibus manibuſque ligatis, vinculis ingentibus arctarat, oreque obturato, ne lingua clamaret, aquam corpori rebaptizationis aſperſerat*. Cum itaque poſt Hunnerici obitum, Traſamundi ſucceſſoris indulgentia, Africana eccleſia reſpiraret, qui in Arianorum perſecutione lapſi fuerant, aut iterato polluti baptiſmate, ad catholicam redeuntes eccleſiam, ut debita lapſis adhiberetur medicina, Romanam eccleſiam conſulere Africanis Epiſcopis viſum eſt, Romanumque Pontificem, cui præcipue in Petri perſona, a Chriſto Domino dictum fuit: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, ut opportunum ægrotantibus pararetur antidotum. Hinc quatuor ex Africa Epiſcopos huic ſynodo adfuiſſe diximus, quorum relatione luctuoſum earum eccleſiarum ſtatum Felix Papa, totaque ſynodus didicit.

Victor. lib. 5. perſec. Vandal.

Luc. 22.

2. In lapſorum autem cauſa diſciplinæ vigor ita ſervatus eſt, ut lapſis medicina præſtaretur, nec omnino canonum eccleſiæ auctoritas vileſceret; ſed præſtantis medici exemplo, cum oleo ad leniendam plagam vinum quoque mixtum eſt, ut ex Felicis Papæ epiſtola conſtat: *Univerſis Epiſcopis per diverſas provincias conſtitutis*, in aliis vero Codicibus, *Epiſcopis per Siciliam conſtitutis legitur*; eo quod ex Africa in Siciliam plurimi tranſierant. Lapſis autem hæc adhiberi remedia Felix Papæ juſſit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi rebaptizati, ſive ſponte, ſive coacti, aduſque vitæ finem pœnitentiam agerent, *quibus communio tantum laica in morte reddenda eſt. Nec orationi non modo Fidelium, ſed ne Catechumenorum omnimodo intereſſe conceditur*. De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut ſecularibus ſervari præcepit Nicænam de lapſis regulam, ut tribus annis inter Audientes ſint, ſeptem autem annis ſubjaceant inter pœnitentes, duobus vero annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantum in oratione ſocientur. Pueris autem, ſive Clericis, ſive Laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione detentis, reddendam eſſe communionem jubet. Catechumenis vero, qui ab Arianis baptizati fuerant, ne Nicænus canon obliteſceret, jubet, ut tribus annis ſint inter

Rom. ſynodi decreta de lapſis recipiendis.

Felicis Papæ epiſt. pag. 1075. & 1150. concil. tom.

Au-

JESU CHR. AN. 487.

Audientes. Qui vero extra Eccleſiam, aut baptizati ſunt, aut rebaptizati, ad Clerici munus promoveri non permittuntur, neque pœnitentibus permittitur ab aliis, quam a ſuis Epiſcopis, aut Presbyteris recipi. Tandem epiſtolam ſuam his verbis S. Pontifex claudit: *His itaque rite diſpoſitis, & ad eccleſiarum veſtrarum notitiam noſtra deliberatione perlatis, parere vos convenit &c. Data Idibus Martii Dynamio & Siphidio VC. Coſſ.* Cur autem toto anno dilata fuerit epiſtola, ita ut ſynodus hoc anno Boetio Coſſ. habita ſit, Felicis vero epiſtola ſub conſulibus anni ſequentis data dicatur, nobis non conſtat, aut fortaſſe, vel in inſcriptione ſynodi ſub Boetio Coſſ., vel in ſubſcriptione epiſtolæ ſub Coſſ. anni ſequentis error irrepſit. At hæc rem ipſam non ſpectant, cum idem ſit, ſive ad labentem annum, ſive ad ſequentem hæc geſta fuiſſe dicatur.

Victor Vitenſis hiſtoriam ſuam vulgat.

3. Africanæ eccleſiæ certamina, & luctum, Victorem Vitenſem in Africa Bizacenæ provinciæ Epiſcopum deſcripſiſſe ſæpe vidimus. Is porro ad collationem cum Arianis Carthagine, ubi Hunnericus Epiſcopos vocaverat, non adfuit, nam infauſtum ejuſdem collationis præſentiens exitum, fugæ ſibi conſuluerat, Dei providentia reſervatus, ut cruentæ perſecutionis hiſtoriam ſcriberet, poſteriſque tranſmitteret. Hoc autem, vel ſequenti anno, perſecutionis Vandalicæ hiſtoriam in lucem prodiiſſe, prologus ipſe teſtatur, quo legitur: *Sexageſimus nunc, ut clarum eſt, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac ſævus Vandalicæ gentis Africæ miſerabilis attigit fines*. Conſtat porro Hierone, & Ardaburio Coſſ. anno 427. infauſtum Vandalorum in Africam ingreſſum contigiſſe, ut in præfatione ad Victoris hiſtoriam Ruinartius, aliique adnotarunt. Inter exilii ærumnas opus ſuum Victor edidit, quo autem loco exul fuerit in obſcuro eſt. CPoli Chiſletius eam ſcripſiſſe innuit; in Epiro Cotelerius in notis ad vitam S. Sabæ to. 3. monumentorum eccleſiæ Græcæ. In Africa tamen eum exulaſſe probabilius cenſet Victoris eruditiſſimus editor Ruinartius, ut in citata præfatione videri poteſt. Hoc unum adnotare juvabit, Victoris hiſtoriam ad retundendas recentiorum Novatorum adverſus eccleſiam catholicam calumnias aptiſſimam eſſe, cum in ea paſſim occurrant invicta argumenta, quibus catholicæ eccleſiæ dogmata confirmantur. In hoc quippe opere incruenti Sacrificii divina my-

lib. 1. cap. 1. pag. 3.

Præfat. in Vict. hiſt. num. 8.

Eccleſiæ dogmata ex Victore Vitenſi probantur.

Digitized by Google

myſteria laudantur, divinique ritus recenſentur. Hic invenire licet Corporis & Sanguinis Chriſti ſacramentum, Pœnitentiæ munus, & reconciliationis indulgentia Sacerdotum miniſterio conceſſa, ad quos peccata ſolvere ex Chriſti inſtitutione pertinet, ibidem occurrit. Hic baptiſmatis, & eccleſiæ unitas maxime commendatur. In eo fontis baptiſmalis conſecratio, ſacræque cærimoniæ laudantur; ſolemnes ritus in defunctorum fidelium exequiis uſitatæ occurrunt. Baſilicæ in ſanctorum honorem Deo dicatæ, Sanctorum invocatio, Romanæ eccleſiæ Primatus, Virgines Deo ſacræ, ceteraque bene multa ex Apoſtolica traditione manantia, & ab hæreticis tanquam humana figmenta exſufflata, confirmantur, quæ tamen majorem inde ſibi auctoritatem vindicant, quod ea data occaſione ſapientiſſimus Victor, & fortiſſimus catholicæ fidei confeſſor commemoret. Quanta autem fiducia in tantis anguſtiis poſitus, veteris, novique teſtamenti Sanctos invocaverit, ut ſibi, afflictiſque Africæ eccleſiis opem imploraret, ex eodem audire non pigeat, dum in operis fine hæc addidit: *Deprecamini Sanctiſſimi Patriarchæ, de quorum ſtirpe generis nata eſt, quæ nunc laborat in terris eccleſia. Orate Sancti Prophetæ, cognoſcentes afflictam, quam antea vaticinante præconio ceciniſtis. Eſtote Apoſtoli ſuffragatores ejus, quam ut aggregaretis univerſum orbem, aſcendente in vobis Domino, ut equi velociſſimi curſitaſtis. Præcipue tu Beate Petre, quare ſiles pro ovibus, & agnis a communi magno Domino, magna tibi cautela, & ſollicitudine commendatis? Tu Sancte Paule gentium magiſter, qui ab Hieruſalem uſque ad Illyricum prædicaſti evangelium Dei, cognoſce quid Vandali faciunt, & Ariani, & filii tui gemunt lugendo captivi. Tu Petri germane, & non in paſſione diſpar, glorioſe Andrea, qui interpretaris virilis, quoniam viriliter certaſti, conſidera gemitum Africani populi, & non diſpliceat tibi, ſed interveni pro nobis ad Deum. Univerſique ingemiſcite Sancti ſimul pro nobis Apoſtoli. Sed ſcimus quia indignum eſt vobis pro nobis orare, quia iſta, quæ evenerunt nobis, non ad probationem quomodo Sanctis, ſed malis meritis ſupplicia debebantur. Sed & pro malis orate jam filiis, quia & Chriſtus oravit etiam pro inimicis Judæis. Sufficiant caſtigationi, quæ juſte illata ſunt nobis, & jamjamque delinquentibus venia poſtuletur, dicaturque Angelo percutienti ſufficit, jam cohibe manum tuam &c.*

Ba-

Jesu Chr. an. 487.

Victor Sanctos invocat.

lib. 5. cap. 10. pag. 92.

Jesu Chr. an. 487. Baſnag. an. 585. num. 3.

Baſnagio tamen diſplicet, quod cum Victor Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos invocaverit, auxiliumque ab iis petierit, de Sancta Virgine Maria *ne verbulum protulerit*. Quid tamen inde lucrabit Baſnagius? etſi non totam Litaniam Victor recitaverit, eorum imploravit auxilium, qui eccleſiam in figura exhibuerant ut Patriarchæ, qui eam prædixerant ut Prophetæ, qui eam fundaverant Apoſtoli, ceteros vero præteriit, una cum Sanctiſſima Dei Genitrice Virgine Maria; at ſi Victori placuit Prophetas, Patriarchas, Apoſtolos, ut afflictis eccleſiis opem ferrent, invocare, multo magis Sanctiſſimam Dei Genitricem in noſtris, vel eccleſiæ neceſſitatibus implorare licitum erit, cui tanto major apud Deum, & Chriſtum ejus impetrandi data eſt fiducia, quanto majorem dignitatem promeruit, ut Dei mater efficeretur; ſed de his hactenus.

Odoacer Febam, ſeu Febanum Rugorum Regem debellat.

4. His Coſſ. ideſt Boetio Coſſ., *pugna facta eſt inter Odoacrem Regem, & Febanum Regem Rugorum, & vicit Odoacer, & adduxit captivum Febanum Regem ſub die XVII. Kal. Decembris*, ait Anonymus a Cuſpiniano editus; eademque ad hunc annum narrat Caſſiodorus in chronico: *Odoacer Feba Rege Rugorum victo, captoque potitus eſt*. Odoacris quoque in poteſtatem venit Febæ uxor nomine *Giſa*, peſſima ſane mulier, in qua crudelitas, & ſuperbia æque certabant, ut dubium eſſet, utra emineret. Perfidiæ Arianæ addicta, baptiſmo Catholicos ablui ſuo nonnullos voluerat: *Sed ob ſancti reverentiam Severini, non conſentiente viro, a ſacrilega quantocius intentione defecit*. Cladis hujus ſuæ ab eodem Severino, dum mors immineret, admonitam fuiſſe feruat. Aderant Feba, Giſaque, quibus hæc locutus eſt: *Husque regnum veſtrum, auctore Domino, proſperatum eſt, jam ex hoc vos videritis*. Futuri eventus minæ erant, quo regia dignitas in captivitatem mutanda erat. Febæ filius Fredericus, qui, defuncto Severino, relictas pauperibus veſtes, calicem argenteum, cæteraque altaris miniſteria abſtulerat, in turpiſſimam fugam, patre debellato, vertitur, ait Eugippius. Inſignem adeptus victoriam Odoacer, ac Romam reverſus, die Novembris XIV. de victis triumphum egit. His addit Paulus Diaconus, Odoacrem congregatis gentibus, quæ ejus Imperio parebant, veniſſe *in Rugiland*, Rugoſque cum eorum Rege viciſſe. Eugippius vero in vita S. Severini Noricorum Apoſtoli de Odoacris victoria narrat: *Friderico fugato, patre quo-*

Paul. Diac. de geſtis Longob. cap. 2.

Digitized by Google

quoque *Fava*, idem ac Feba, *capto*, *cum ad Italiam cum noxia conjuge ſupramemorata Giſa tranſmigravit*. Interfecto interea Feba Rugorum Rege, filioque ejus Friderico fugato, hic ad Theodoricum Gothorum Regem, *qui tunc apud novam civitatem provinciæ Moeſiæ morabatur*, *profectus eſt*, ideſt Fridericus Fabæ Rugorum Regis filius, cujus injurias ut ulciſceretur Theodoricus, adverſus Odoacrem bellum ſuſcepit, ac in Italiam cum eodem Friderico Gothorumque exercitu tranſiens, cum Odoacrem pluries viciſſet, Italico Regno potitus eſt, ut ſequentibus annis narraturi ſumus; atque ita Rugorum quoque Regnum in Germania extinctum eſt, eorumque loca Longobardi ſuis ſedibus egreſſi aliquanto poſt tempore occuparunt, ut citatus Paulus Diaconus prodit, ideſt uſque dum ipſi Gothis, qui Erulos cum Odoacre Rege Italiæ Regno expoliaverant, fugatis exciſiſque, idem Regnum occuparent. Sed de his infra.

JESU CHR. AN. 487. *Belland. die 8. Januarii.*

Theodoricus adverſus Zenonem arma convertit; Cpolim aggredi minatur.

6. Theodoricus interea tot tantiſque beneficiis a Leone Imp. cumulatus, ac conſulatus etiam honore anno 484. auctus, horum immemor, & ut ad hunc annum narrat Marcellinus: *Nunquam beneficiis ſatiatus, magna ſuorum manu uſque ad Regiam civitatem*, & *Melantiadum oppidum infeſtus acceſſit*, *plurimiſque locis igne crematis*, *ad Novenſem Moeſiæ civitatem*, *unde advenerat*, *remeavit*. Erat Melantias Thraciæ pagus 102. ſtadiis Bizantio diſtans, ut ait Suidas in hiſtoria. Theodoricus his geſtis, ac Orientalis potiundi Imperii ſpe fruſtratus, ad occupandam Italiam, Eruloſque cum eorum Rege Odoacre ex ea fugandos, animum convertit.

Theodoricus de Regno Italico occupando cum Zenone agit.

7. Hanc expeditionem conſentiente, quin impellente Zenone Imperatore ſuſcepiſſe, Caſſiodorus, & Jornandes narrant. Nam ut ferociſſimum hoſtem ab Orientalibus provinciis, urbeque Regia longius arceret, Italici Regni potiundi ſpe allectum, ut arma adverſus Odoacrem converteret, Zeno Imp. excitavit. Quare Anonymus a Valeſio editus, de geſtis anni ſequentis: Zeno Imp. *mittens Theodoricum ad Italiam*, *pactuatus eſt*, *ut ſi victus fuiſſet Odoachar*, *pro merito laborum ſuorum*, *loco ejus dum adveniret*, *tantum præregnaret*. *Ergo ſuperveniente Theodorico patricio de civitate Nova*, *cum gente Gothica*, *miſſus ab Imperatore Zenone de partibus Orientis ad defendendam ſibi Italiam*. Eademque pluribus narrat Jornandes, Paulus Diaconus, aliique, etſi va-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 487. rias de Theodorici expeditione Italica referant cauſas. Paulus Diaconus adnotat, quod cum Theodoricus ſocietate cum Zenone inita, Gothos a prædis exercendis prohiberet, dum ipſe CPoli degens, Græcorum deliciis afflueret, Gothorum gens ingenti omnium rerum penuria laborabat; quare adverſus Theodoricum Regem obmurmurans, ad eum legatos miſit, qui nunciarent: *Quod cum ipſe Græcorum epulis ſuperflueret, illi inopiæ miſerias ſuſtinerent; hortantur, ut ſi ſuis ſibique conſulere velit, citius redeat, ne cuncta gens peſſundetur, & novas ad habitandum ſedes exquirat. His Theodoricus cognitis, ad Auguſtum Zenonem confeſtim accedit; queſtus inſuper, penuriamque ſuorum exponit. Italiam ſibi poſtulat; abſolutionem efflagitat, adjiciens, quod ſi ſuperare Odoacrem poſſet, Italiamque obtinere, ad ejus redundaret gloriam, a quo directus fuiſſet. Si in bello ſuperatus foret, nihilominus lucris accreſceret, quandoquidem quotidianorum ſtipendiorum exactoribus careret . . . Talia Zeno audiens, contriſtatus quidem eſt, eo quod nollet eum dimittere. Attamen deliberato conſilio, Reipublicæ utilitati proſpiciens, ejus petitionibus annuit, Italiamque ei per Pragmaticum tribuens, ſacri etiam velaminis dono confirmavit. Senatumque illi, populumque Rom. commendans, abire permiſit.* Sed de Italica Theodorici expeditione infra.

JESU CHRISTI AN. 488. FELICIS PAPÆ 6. ZENONIS IMP. 15. ODOACRIS ITALIÆ REGIS 13. COSS. DINAMIO, ET FISIDIO.

Theodoricus iter in Italiam ſuſcipit.

1. Cum de Italiæ Regno occupando cum Zenone Imp. egiſſet anno proximo Theodoricus, collectis copiis Italiam verſus iter ſuum hoc anno direxit, quam anno ſequenti ingreſſus eſt. De geſtis hoc anno Dinamio, & Fiſidio Coſſ. hæc Marcellinus: *Theodoricus Rex omnium ſuorum multitudine aſſumpta Gothorum in Italiam tendit.* Dum proficiſcitur, plurimos ſibi in itinere adverſantes vincit: *Attamen priuſquam ad Italiam adventaret, Traſillam Gepidarum Regem inſidias ſibi molientem bello ſuperans extinxit. Buſamque Bulgarorum Regem magna cum ſuis agminibus cæde proſtravit. Egreſſus itaque Myſia cum omni Oſtrogothorum multitudine, univerſaque ſupellectili per Sirmium,* Pan-

Pannoniaſque iter faciens, ad Italiam venit.

2. Interea perditiſſimus Orientalis eccleſiæ vaſtator Petrus Fullo, qui Antiochenam eccleſiam, ejecto Calendione, invaſerat, cum annos tres in ea inſediſſet, vivere deſiit, cui anni tres in tabulis Theophanis aſſignantur, quem etiam hoc anno obiiſſe Victor Turonenſis ſcribit: *Poſt Coſſ. Secundum Longini* (anni 486.) *Petrus Antiochenus ſub damnatione moritur*. Quare Theophanem, & Cedrenum graviter in eo erraſſe adnotat Pagius, cum Petrum Fullonem Antiochenum Epiſcopum Petro Moggo Alex. ſuperſtitem fuiſſe ſcribunt, quorum errorem Gelaſius Papa in epiſtola ad Orientales detegit, dum narrat Fullonem ad obitum uſque in Moggi communione perſeveraſſe. *Docete igitur, Petrum*, inquit, *Petrum Alex. ab Antiocheni Petri umquam communione deſiiſſe, & non uſque ad diem, cum Antiochenus Petrus in hac luce verſatus eſt, individuum utriſque fuiſſe conſortium*. De Petro Fullone narrat Theodorus lector: *Inſtituit, ut ſacrum Chriſma in eccleſia coram populo conſecraretur, atque invocatio ſuper aquas die Theophaniorum fieret ſub veſperam; item ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur; denique ut in ſingulis collectis ſymbolum recitaretur*. Hæc quidem digna laude, ſi integram fidem habuiſſet; at ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fiebat hæc ſancti unguenti, ſeu chriſmatis conſecratio feria quinta majoris Hebdomadæ. Qua de re legendum Græcorum Euchologium p. 628., & quæ ibidem adnotavit Goartius, qui etiam admonet p. 467. Fullonem id tantum inſtituiſſe, ut aquarum benedictio, quæ antea in pervigilia Theophaniorum media nocte fiebat, ad veſperam eadem die fieret.

3. Mortuo Fullone, Antiochenæ eccleſiæ res nequaquam in melius mutatæ ſunt, nam hæreticorum factione, alter ejuſdem furfuris, ejuſdemque impietatis particeps in Fullonis locum eſt ordinatus, Palladius ſcilicet, qui cum Petro Moggo Alex. Epiſcopo, dum vixit, communionem retinuit. Sic Antiochena eccleſia, quæ inter Orientales prima erat, vaſtantibus eam hæreticis, omnium fere Orientalium impietatis ſedes evaſit, ut ex dicendis infra conſtabit; cumque Antiochena, & Alexandrina eccleſia cum tota Ægypto Eutychiana lue infeſtaretur, ceteræ etiam aut Eutychetis, aut Neſtorii hæreſi pollutæ erant. Neſtorianam quippe in Syria ſu-

Jesu Chr. an. 488.

Petri Fullonis obitus.

Tom. 4. concil. pag. 1220.

Theodor. lect. pag. 525.

Palladius Fulloni ſuccedit.

Jesu Chr. an. 488.

Theodor. Lect. pag. 516.

ſuperiori altiores hoc tempore radices fixiſſe, ac in Perſidem uſque ramos extendiſſe ſuos, itaut Edeſſæ palam in ſcholis traderetur, auctor eſt Theodorus lector his verbis: *In urbe Edeſſa erat ſchola chriſtiana Perſicæ gentis, ut ajunt, ex quo factum eſt, niſi me conjectura fallit, ut Perſæ Neſtorianam hæreſim ſequerentur, cum quidam, qui Neſtorii, & Theodori dogmata amplectebantur, ei ſcholæ præfuiſſent, & doctrinam, quæ ipſis placebat, Perſis tradidiſſent.* Niſibi quoque in Perſide celebres hoc ſeculo fuiſſe ſacrarum Litterarum ſcholas, Caſſiodorus adnotat; proinde nil mirum, quod cum paſtores dormitarent, quin & in lupos converſi eſſent, cujuſmodi erant, CPolitani, Antiocheni, & Alex. Epiſcopi, hæreſum zizaniæ cum chriſtiana Religione latius per Orientales eccleſias diſſeminarentur. De Neſtorianiſmi propagatione per Syriam, vaſtaſque Perſidis finitimaſque regiones apud Aſſemannum, qui hæc diligentiſſime tomo tertio parte ſecunda Bibliothecæ Orientalis perſecutus eſt, plura videri poſſunt, ubi ejuſdem hæreſis progreſſus uſque ad Sinarum Imperium, ultimaſque Orientis provincias adnotat, ac etiam de variis per Orientem ſcholis, & litterarum ſtudiis, ſumma eruditione agit, quæ longum eſſet exſcribere. Hinc factum, ut qua late patent Orientales provinciæ ab Ægypto, & Syria ad Sinarum uſque Imperium, Neſtoriano utplurimum Babyloniæ Patriarchæ ſubditæ eſſent, eademque hæreſi laborarent, ut ex ſynodo Diamperitana prope S. Thomæ oppidum in Indiis Orientalibus ab Alexio Menezio Goano Archiepiſcopo celebrata anno 1599. conſtat, cujus ſynodi ſummam, poſt Poſſevinum in Apparatu ad bibliothecam ſacram, exhibet Harduinus, concil. tom. 10. pag. 1930.

Caſſiod. divin. Inſtit. in Præfationis exordio.

Aſſeman. tom. 3. part. 2. biblioth. Orient.

Inventio reliquiarum S. Barnabæ Apoſt.

4. In tantis Orientalis Eccleſiæ tenebris, quibus hoc tempore obvolvebatur, aliqualem veritatis facem in Inſula Cypro ſplendeſcere fecit Deus, cum veluti redivivus collega S. Pauli Apoſtoli, S. Barnabas, una cum Sancti Matthæi evangelio, quo potiſſimum Chriſti vera humanitas comprobatur, in opprobrium Eutychianæ hæreſis tunc graſſantis, apparuit. S. Barnabæ inventionem eo tempore, quo Petrus Fullo Antiocheno throno, tanquam tyrannus inſidebat, contigiſſe narrant hiſtorici, eamque ad annum labentem Petri Fullonis ultimum alligavit Victor Turonenſis in chronico, his verbis *Poſt Coſſ.* ſecundum Longini, bieunio ſcilicet ab anno 486. quo Longinus

Digitized by Google

ginus Conſul fuit, ideoque hoc anno: *Corpus S. Barnabæ Apoſtoli in Cypro, & Evangelium ſecundum Matthæum, ejus manu ſcriptum, ipſo eodem revelante inventum eſt*. Theodorus etiam lector rem memoratu dignam ſic refert: *Barnabæ Apoſtoli reliquiæ in Cypro ſub arbore ſiliqua repertæ ſunt, ſuper cujus pectore erat Evangelium Matthæi, ipſius Barnabæ manu deſcriptum. Qua de cauſa Cyprii obtinuerunt, ut Metropolis ipſorum libera eſſet, ac ſui juris, nec Antiochenæ ſedi amplius ſubjaceret. Id Evangelium Zeno depoſuit in Palatio, in æde S. Stephani*. Inventionis hiſtoriam Alexander Monachus orthodoxus longa oratione perſequitur, ac Anthemium Salaminæ Epiſcopum in ſomno admonuiſſe S. Apoſtolum, narrat, ut ſub arbore ſiliquæ foderet, ac arcam illic eſſe, ubi corpus ſuum includebatur cum Evangelio, quod a Matthæo ipſo exceptum ſuis manibus conſcripſerat. Quare cæleſti viſioni obſecutus Anthemius, multo cum apparatu ad eum locum, cum clero, & populo contendit, ac ut admonitus fuerat, S. Apoſtoli Barnabæ reliquias invenit, una cum Matthæi Evangelio, quod CPolim delatum Imperatori Zenoni obtulit; Imperator autem eo deoſculato in Palatio repoſuit: *Ubi ad hodiernum uſque diem ſervatur, & in magna quinta Paſchæ feria, quotannis in Palatii oratorio Evangelium ex eo libro recitatur*. Epiſcopum vero Anthemium magnis honoribus proſecutus, pecuniis multis donatum, ad inſulam Cyprum remiſit, eique mandavit, ut ſancto Apoſtolo Barnabæ templum in eo loco erigeret, ubi venerandæ ipſius reliquiæ inventæ fuerant. Anthemius autem in Cyprum reverſus, magnificentiſſimam ædem, ſive eccleſiam cum ampliſſimis porticibus eo loco ædificavit; *Ac Arcam illam, in qua Barnabæ Apoſtoli reliquiæ traditæ erant, in dextera ſacræ Aræ parte collocavit: qui locus multo argento, & marmoreis columnis ornatus erat*; cujus dies feſtus die undecima Junii celebratur.

Theodor. lect. lib. 2 p. 516.

apud Belland. Surium die 11. Junii.

JESU CHRISTI an. 489. Felicis Papæ 7.
Zenonis Imp. 16. Odoacris Regis 14. Theodorici Regis 1.
Coss. Euſebio et Probino.

I. Victis fugatiſque Gepidis cum eorum Rege Gundarito, & Buba Rege Bulgarorum, quos obviam reſiſtenteſque ha-

Theodoricus Rex Goth. Italiam ingreditur.

Jesu Chr. An. 489. habuerat Theodoricus, ut narrat Miſcellæ auctor, Italiæ finibus anno proximo appropinquaverat. Hoc autem anno felicibus auſpiciis ingreſſus, totam fere obtinuit: *Probino & Euſebio Coſſ.*, ait Caſſiodorus, *feliciſſimus atque fortiſſimus Dominus Rex Theodoricus intravit Italiam; cui Odoacer ad Iſontium pugnam parans, victus cum tota gente fugatus eſt. Eodem anno repetito conflictu Veronæ vincitur Odoacer*. Rem paulo fuſius narrat Jornandes, cui lucem fœnerant, tum Anonymus a Cuſpiniano editus, cum alter a Valeſio vulgatus, qui res hoc tempore geſtas diligentius adnotarunt. Itaque cum Theodoricus juxta Iſontium flumen, quod non longe ab Aquileja labitur, caſtra poneret, mox ei cum exercitu Odoacer occurrit, quem Theodoricus alacriter exceptum ſuperavit, ac poſtremo in fugam convertit. Victus Odoacer Veronam abiit, *& fixit foſſatum in campo minore Veronenſi, quinto Kal. Octobris*, ut in excerptis Valeſianis legitur, quibus de prælii ad Iſontium initi tempore monemur, id eſt Septembre ad finem vergente. Fugientem Odoacrum Theodoricus inſequitur: *Exinde Theodoricus movens, cum Veronam veniſſet, iterum adverſus eum Odoacer non minori, quam prius belli ſe apparatu opponit. Contra quem Theodoricus haud procul Veronenſi Urbe confligens, nimia ejus exercitum cæde contrivit, ipſumque pariter, & omnem illius multitudinem dare terga coegit. Qui dum fugæ metu ſe præcipites in Atheſim fluvium mergunt, ex magna parte rapidiſſimis ejus gurgitibus impliciti ſuffocantur. Theodoricus vero, dum ipſo impetu ſubſequitur fugientes, Veronam illico pavore civibus conſternatis invadit*. Pugnæ tempus Valeſianis in excerptis indicatur: *Superatus Odoacer fugit Ravennam, pridie Kal. Octobris*. Non recta tamen Ravennam petiit, ſed Romam: *Odoacer autem cum iis qui evaſerant fugiens, Romam contendit. Sed obſeratis continuo portis excluſus eſt, qui cum ſibi denegari introitum cerneret, omnia quæ attingere potuit, gladio, flammiſque conſumpſit. Inde quoque egrediens, Ravennam ingreſſus eſt*. At Theodoricus Verona egreſſus, Mediolanum venit, ubi dum conſiſtit, magna ad eum multitudo militum, pluresque Italiæ populi convenere. Pars Odoacri exercitus in caſtra Theodorici conceſſerat. Quod & ipſi in damnum ceſſit, ut in excerptis Valeſianis legitur: *Tradiderant ſe illi maxima pars exercitus Odoacris, nec non & Tu-*

& Tuſa Magiſter militum, quem ordinaverat Odoacer cum optimatibus ſuis, Kal. Aprilis. Eo anno miſſus eſt Tuſa Magiſter militum a Theodorico contra Odoacrem Ravennam, Veniens Faventia Tuſa, obſedit Odoacrem cum exercitu, cum quo directus fuerat. Et exiit Odoacer de Ravenna, & venit Faventiam, & Tuſa tradidit Odoacri Comites Patricii Theodorici, & miſſi ſunt in ferro, & adducti Ravennam. Id eouſque Theodoricum perterruit, ut ſe ſuumque exercitum apud Ticinenſem urbem muniret. Civitatis autem Epiſcopus Epiphanius Gothis vallatus, ita ſe geſſit, *ut inter diſſentientes Principes ſolus eſſet, qui pace frueretur amborum. Supplicationibus illius pretio reddebantur ſuis, quos auri redimere non potuiſſet effuſio*, ut pluribus in Epiphanii vita narrat Ennodius, qui de rebus ſuis, ob Italiæ calamitates, nimium afflictis, cum annorum ſexdecim eſſet, hæc in tractatu de rebus ſuis narrat: JESU CHR. AN. 489.

2. *Tempore quo Italiam optatiſſimus Theodorici Regis reſuſcitavit ingreſſus: cum omnia ab inimicis ejus inexplicabili clade vaſtarentur, & quod ſupereſt gladiis, fames necaret: & excelſa montium, caſtrorumque arces penuria perrumperet, & in culminibus locatos armis ſævior egeſtas obſideret: ego annorum ferme ſexdecim, amici qui me aluerat, tempeſtate ea, privatus ſum: remanſi ſolus, inops re & conſilio deſtitutus &c.* Subdit enim, ſe Dei ope ex conjugio nobilis ac prædivitis puellæ poſtea in meliorem ſtatum collocatum, ac demum mutuo conſenſu, illa cælibem ſanctamque vitam profeſſa eſt, ipſe vero Ennodius Diaconus ordinatus fuit: tum poſt hæc incidens in mortalem ægritudinem, ope S. Victoris curatus eſt, ut ſuis ipſe ſcriptis narrat.

Ennodii adoleſcentis infelix ſtatus. *Ennod. in tractatu de rebus ſuis.*

3. Cum autem ejuſmodi malis vehementer affligeretur Italia; coegit tunc neceſſitas, ut Epiſcopi, quibus facultas ſuppeteret, ne paterent greges quibus præerant hoſtium incurſionibus, ædificarent caſtella munita. Inter alios id præſtitiſſe Honoratum Epiſcopum Novarienſem, ejuſdem Hennodii eidem inſcriptum epigramma declarat his verſibus:

Honoratus Novariæ Epiſc. caſtrum ædificat.

Pontificis caſtrum ſpes eſt fideliſſima vitæ,
Qui tutor ſanctus, quæ nocitura petant.
Hic clypeus, votum eſt, procul hinc Bellona recede.
Quod meritis conſtat, prælia nulla gravant.

Con-

Digitized by Google

Jesu Chr.
an. 489.

Conditor hic muros ſolidat, munimina factor;
Nil metuat quiſquis huc properat metuens.

Quod autem ſpectat ad Honoratum Epiſcopum, a quo erectum caſtrum diximus ad ſuorum confugium, licet in epigrammate nulla mentio fiat, cujus eccleſiæ Epiſcopus eſſet, Novarienſem tamen Epiſcopum fuiſſe, ejuſdem Ennodii oratio indicat, quam in dedicatione Baſilicæ Petri & Pauli Apoſtolorum prædeceſſor Victor Epiſcopus ex fano Idolorum in eccleſiam converterat, eamdem auxit, & ornavit idem Honoratus Antiſtes, atque per S. Laurentium Mediolanenſem Epiſcopum, alioſque ad Encænia convocatos ex more Præſules conſecrari curavit. Hæc quidem omnia in oratione, dedicationis occaſione recitata, narrantur, qua poſt plurima, de Victore Epiſcopo, Honorati deceſſore, qui idem opus inceperat, hæc ſubdit: *Requirendum ſane, quis hujus operis, quis invocationis auctor extiterit, præceſſor nempe parvitatis meæ, venerabilis Victor Antiſtes.* De eadem autem eccleſia a Victore incepta, ac ab Honorato perfecta, hæc etiam Ennodius:

Poſſeſſas linquite ſedes
Quod fecit Victor, Victor ubique tenet
Accidit ad cumulum merito ſucceſſor, & actis,
Qui morum lumen hinc Honorate geris,

ſed de his hactenus.

Acacii CP. Epiſcopi obitus.

4. His Coſſ., ſeu *Euſebio VC. Coſſ.*, ait Victor Tunonenſis, *Acacius CP. Epiſcopus ſub damnatione moritur*; (anathematis ſcilicet vinculo) ob communionem cum hæreticis initam; cujus nomen, etſi inter catholicos a ſucceſſoribus ſuis aliquandiu in Dypticis retentum fuerit, ſub Hormiſda tandem Pontifice deletum fuit, ut ſuo loco dicturi ſumus. Vir quidem excellentis ingenii, miræque in rebus agendis dexteritatis, Leoni vero, ac Zenoni Imperatoribus in maxima exiſtimatione cum eſſet,
ab

Digitized by Google

ab' ejus conſiliis, in rebus præſertim eccleſiaſticis unice pendebant; at immodicus faſtus, & intolerabilis arrogantia, præclaras animi dotes fœdarunt, eumque in præceps egerunt, ut ſuperius de eo dicta probant.

Flavita Acacio ſuccedit. Quis eſſet.

5. Acacio ſucceſſit Flavita, quem Flavianum alii dixerunt. His Coſſ. ait Victor Tunonenſis: *Acacius CP. Epiſcopus ſub damnatione moritur, & pro eo Flavianus Epiſcopus ordinatur, cui tertio promotionis ſuæ menſe mortuo Euphemius ſynodi Chalcedonenſis decretorum cuſtos in Epiſcopatu ſuccedit*. Liberatus vero: *In iſtis poſita eccleſia, moritur Acacius, & ordinatur poſt eum Flavitas presbyter, qui fuit a ſancta Thecla*. Ceterum hic Flavita ſeu Flavianus Acacii ſucceſſor, Acacio ipſo deterior fuit, non ſolum ejus exemplo, hæreticorum communione pollutus, ſed omnium etiam vitiorum illius æmulator, qui ſumma perfidia, maliſque artibus CPolitanam ſedem invaſit, ſi vera narrat Nicephorus his verbis: *Poſt Acacium Flavitas CP. ſuſcepit Epiſcopatum, vir qui quidem presbyter eſſe viſus ſit, ſed uſque adeo ad audaciam, & improbitatem ſummam pervenit, ut id quod dicturus ſum facinus, ſatis, qualis fuerit, indicare poſſit. Zeno Imperator chartam puram in ſacro ponit altari, atque in charta alia per ſcriptum Deo ſupplicavit, ut per Angeli manum, quæ in hominum conſpectum non veniret, nomen ejus aſcriberet, quem cœleſti calculo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Pontificem præfectum vellet*. Impetrando miraculo dierum 40, jejunium indixit. Hoc ubi Flavita novit, Templi cuſtodem auro corrupit, ut chartæ puræ ipſius nomen inſcriberet, quam rurſus. Imperatoris ſigillo obſignaret Reſignata charta, cœleſti quaſi gloria fulgens Flavita, ob divinam electionem, in throno Pontificali collocatur. Qui cum ob breve Sacerdotium, ne dimidiam quidem pecuniæ partem, qua Epiſcopatum ſibi emerat, corradere potuiſſet, fœneratores ab hæredibus defuncti datam pecuniam repetere cœperunt. Qui cum ſolvendo non eſſent, arcanum Zenoni produnt: tum Zeno attonitus, pecuniam Flavitæ creditam cuſtodem ære ſuo diſſolvere fœneratoribus juſſit. Hanc Nicephori hiſtoriam, ad fabulas, ob aliorum ſcriptorum ſilentium, relegat Baſnagius cujus fides penes auctorem ſit. Quæ certiora ſunt addimus.

Liber. brev. pag. 127.

Niceph. lib. 16. 18.

an. 489. 4.

6. Flavita itaque Acacii ſucceſſor deſtinatus, *non conſen-*

Flavita epiſt. ad Felicem

JESU CHR. AN. 489. *ſenſit*, ait Liberatus, *ſine Romano Epiſcopo inthronizari, ſed tranſmiſit ſynodicam Papæ Romano Felici, qui modico vivens tempore, moritur non accipiens epiſtolam ipſius*. Quid Felici ſcripſerit Flavitas non conſtat, cum ejus epiſtola perjerit; at ex Felicis ad eum epiſtola, mentito pietatis, & catholicæ fidei zelo, eum ſcripſiſſe aperte ſcimus. Quam ob cauſam, meliora de eo ſperans S. Pontifex, inter cetera ad eum reſcripſit: *Multa ſunt, quæ nobis præbeant de tuæ dilectionis ordinatione lætitiam, & ſperare divino beneficio cohortentur eccleſiaſticæ pacis effectum. Primum quidem, quod talem te gratia cæleſtis elegerit, cujus a puero vita probabilis adſeratur, & catholicæ fidei, quod ante omnia cupimus, prædicetur intentio. Deinde quia inter hæc munera tuæ charitatis, Domini quoque filii noſtri glorioſiſſimi Principis votum contulit, & favorem, quatenus poteſtatis fultus, Deo præſtante, ſubſidio, facilius valeas expetere, quæ ſecundum veritatem ſapienter intenderis. Poſtremo quod omnia propemodum, quæ tui ſequuntur honoris exordium, tam benevolentiam nobis clementiæ principalis oſtendunt, quam tuæ prodant ſpeciem voluntatis. Dum ſcilicet ad Apoſtolicam ſedem regulariter deſtinatur, per quam, largiente Chriſto, omnium ſolidatur dignitas Sacerdotum &c.* Vir tamen duplex animo, hæc ad Felicem Papam ſcripſerat Flavita; at eodem tempore ſynodicas quoque litteras ad Petrum Moggum Alex. Epiſcopum, hæreticorum perditiſſimum dederat. *Qui cum ſynodicas ſuas ad Petrum miſiſſet*, ait Evagrius, *reſcripſit ei viciſſim Petrus. Mortuo deinde Flavita, qui quatuor dumtaxat menſes Epiſcopatum geſſit*, Euphemius ejus loco ordinatus, Petri ſynodicas epiſtolas ad Flavitam datas ſuſcepit. *Cumque in illis anathematizari geſta Chalcedonenſis ſynodi deprehendiſſet, magnopere conturbatus eſt, ſeque a Petri communione ſejanxit*. Perfidi hominis geſta apertius narrat Nicephorus: *Cum Flavitas adhuc thronum obtineret, ſynodales ad Petrum Alex. epiſtolas dedit, & ejuſdem generis litteras ab eodem accepit, in quibus eadem de Chalcedonenſibus Actis, anathemati ea ſubjiciens, ſcripſit*. Et paulo poſt: *Appoſuiſſem* (*inquit*) *& Petri, & Flavitæ litteras, niſi me prolixitas illarum exterruiſſet. Et Flavitas ad Felicem ſcribens, ſe illius communionis eſſe, Petri autem conjunctionem averſari ſignificaverat: idem ad Petrum litteras dans fecerat, communionem ſe illius reci-*

Papam, & Felicis ad Flavitam. *Liber. c. 18. pag. 127.*

Tom. 4. concil. p. 1089.

Evagr. lib. 3. 23.

lib. 16. 19.

recipere, Felicem autem rejicere inſinuans. Quas litteras ubi Felix Papa a piis quibuſdam ad ſe perlatas accepit, Legatos Flavitæ cum contumelia Roma expulit. Hæc de Flavita, atque Felice Papa Nicephorus, quibus plane uſitatus hæreticorum mos detegitur, nihil ſincere agere, ſed miſcere omnia ſubdole, temporibus, atque perſonis pro vitæ præſentis commoditate inſervientes. Jesu Chr. an. 489.

7. Nil tamen fraudibus ſuis ab Felice Papa aſtutus homo Flavita obtinere potuit; cujus epiſtolas, etſi morte præventus recipere non potuit, negatam tamen a Pontifice communionem eidem fuiſſe, ipſe Pontifex narrat; atque his præcipue rationibus, ad id ſe motum fuiſſe addit: *Nihil ſupereſſe perſpeximus, niſi ut hi, qui dilectionis tuæ ſynodicas bajulabant, communionis Apoſtolicæ participatione fruerentur. Sed dum cum ipſis ſollicitius ageretur, ut ſi mallent B. Petri Apoſtoli communionem fideli corde ſuſcipere, reſponderent, vel ſe, vel dilectionem tuam ab Alexandrini Petri, Acaciique deinceps recitatione futuram modis omnibus alienam; illi nihil ſibi tale mandatum fuiſſe perhibentes, oblatæ ſalubriter gratiæ noſtræ conſentire noluerunt, qua eorum cunctatione permoti, communionem quidem noſtram contriſtati diſtulimus &c.* Flavitam deinde monet, ut *ſortem infelicis Acacii perhorreſcens*, Catholicorum regiæ urbis imitatorem ſe præberet, Principem, conjugemque ejus exoret, ut ſuas preces admittant: *Nomen igitur Petri, & Acacii tollatur e medio, nec Apocriſariis damnati Petri miſceatur, aut litteris. Nobis Deo inſpirante proviſuris rationabiliter, ut ſcripſimus, ſi cuncta convenerint, ut eorum, quos ordinavit, vel baptizavit Acacius, ſalva confeſſione catholica, pro charitatis eccleſiæ reintegratione, nihil pereat*; & poſt plurima in eamdem rem, quibus Flavitam ad id perficiendum urget, his epiſtolam ſuam verbis claudit: *Quantocius ergo ſuper his tua nos reddat dilectio certiores, ut Deo noſtro perficiente quod cœpit, in compage corporis Chriſti plena valeamus reconciliatione conſentire.* Felix Papa Flavitæ communionem denegat, qua de cauſa.

8. Eodem tempore, ut Orientalium eccleſiarum cum Occidentalibus reconciliationem urgeret Felix Papa, ad Zenonem quoque Imperatorem litteras dedit, quibus ei gratulatur ob pietatis ſtudium, poſtulabatque, ut Acacii, & Petri Moggi condemnationi conſenſum ſuum præberet. Dignas quoque ſe Deo gratias referre teſtatur, quod egregium CPo- Felicis Papæ epiſt. ad Zenonem Imp.

JESU CHR. AN. 489. litanæ eccleſiæ Pontificem ordinare curaverit, qualem hactenus futurum Flavitam ſperabat Felix. Deinde Petrum Moggum Alex. Epiſcopum jure meritoque damnatum fuiſſe probat; quare Imperatorem, ut ab ejuſdem, & Acacii communione ſe ſe abſtineret, paternis hiſce exhortationibus excitat: *Poſtulationes certe gentium barbararum, venerabilis Imperator, pro quiete Mundani regni publice benignus exaudis. Quanto præſtantius, quæſo te, preces Apoſtolicæ ſedis, pro ſacrarum tranquillitate rerum placatus admittis. Hoc enim, hoc expedit, ut ſi utraque Roma pro mutuo pignore nuncupatur, fiat utraque una fides illa Romanorum, quam per univerſum Mundum prædicari B. Paulus teſtatur Apoſtolus &c.* Surdo tamen hæc Zenoni Imp. canebat Felix, cujus cor, cum in perfidia, & hæreticorum protectione induratum eſſet, ad finem uſque in hæreticorum communione perſeveravit.

JESU CHRISTI AN. 490. FELICIS PAPÆ III. AN. 8.
ZENONIS IMP. 17. ODOACRIS REGIS ITALIÆ 15.
THEODORICI REGIS 2.
COSS. LONGINO II. ET FAUSTO JUNIORE.

Euphemius CP. Epiſcopus poſt Flavitam ordinatus.

1. Cum poſt quatuor menſes, eoſque incompletos Flavita, Acacii in CPolitana ſede ſucceſſor, vivere deſiiſſet, in ejus locum Euphemius hoc anno eſt ordinatus, catholicæ quidem fidei ſectator, & Chalcedonenſis concilii vindex, ita ut, cum Petri Moggi epiſtolas ad Flavitam præceſſorem ſuum datas accepiſſet, quibus Anathema Chalcedonenſibus actis dicebatur, *Magnopere conturbatus eſt*, ait Evagrius; *ſeque a Petri communione ſejunxit*. Ut porro majori ignominia Petrum afficeret, ſuis ipſe manibus ſolemni in conventu Petri nomen e Dypticis delevit. *Euphemius ſimul atque Epiſcopatum iniit, nihil moratus, ſuis ipſe manibus de ſacris tabulis Petri Mongi nomen expunxit, & Felicis appellationem repoſuit, atque in ſacro ſuggeſtu conſidens, ſynodales more recepto epiſtolas Romam ad Felicem dedit*. Quæ quidem etſi laude digna fuerint, Apoſtolicam nihilominus communionem obtinere non potuit; nam ut narrat Nicephorus, Felix quidem Papa, *ſcripta illius recepit, & Euphemio velut orthodoxo favit, ſed illum in Epiſcopalem communionem non admiſit, quod Acacii quoque, & Flavitæ nomen de ſacro libro*, ideſt de

Evagr. lib. 3. 23.

Niceph. lib. 16. cap. 19.

de Dypticis, *non deduxiſſet*. Hinc factum, ut a Romanæ ſedis communione ob Acacii, & Flavitæ nomen retentum, excluderetur. Is porro Alexandrinus genere a Liberato dictus eſt; unde in impartienda Petro Alex. Epiſcopo communione, facilem futurum fortaſſe ſperarunt ordinatores ejus. At civicæ charitati pietatis vincula præpoſuit; quare Petrus, ut injuriam ulciſceretur, novas in eccleſia turbas excitaturus erat; at morte præventus, meditata exequi non valuit.

Petri Moggi obitus, cui Athanaſius ſuccedit.

2. *Cum igitur Euphemius, & Petrus adverſus ſe invicem contendere, & ſynodos alter contra alterum convocare jam pararent, Petrus fatali morte præripitur, eique ſuccedit Athanaſius*; qui eadem, ac Petrus veſtigia calcans, in ſynodicis ſuis litteris ad Palladium Epiſcopum Antiochenum Chalcedonenſem ſynodum damnavit, ut narrat Evagrius; atque ita Petro hæretico Athanaſius ſucceſſit, ejuſdem Eutychianæ hæreſis ſectator, vir nulli nominis, obſcuræque memoriæ, tum apud catholicos, cum apud hæreticos, ut Renadotius adnotat, apud quem reliqua de Petro Mongo, deque ejus operibus, & de Athanaſio ſucceſſore, qui uſque ad annum 497. Alexandrinam ſedem obtinuit, videri poſſunt. Ceterum Petri morte, non ſolum pax eccleſiæ Alex. reddita non eſt; ſed etiam Eccleſia illa in duas factiones diviſa fuit, aliis Henoticum Zenonis amplectentibus, Synodumque Chalcedonenſem damnantibus, aliis vero ſuſcipientibus quidem Concordiæ edictum, ſed Synodum Chalcedonenſem non anathematizantibus, indeque invicem inter ſe pugnantibus. De hoc conflictu loquuntur Monachi Palæſtinæ in epiſtola ad Alciſonem Epiſcopum Orthodoxum, recitata ab Evagrio lib. 3. cap. 31. *Mortuo Petro inter ſe ipſos iterum diſciſſi ſunt. Et Alexandria quidem, & Ægyptus, ac Lybia intra ſuam communionem permanſit. Reliquus item Oriens ſeorſum ab aliis communicavit, propterea quod Occidentales prorſus communicare illis recuſabant, niſi Neſtorium, Eutychem, ac Dioſcorum ſub anathemate damnantes, Petrum quoque Mongum, & Acacium iis adjicerent. In hoc igitur rerum ſtatu cum eſſent totius Orbis Eccleſiæ, Eutychiani, & Dioſcoriani ad exiguum prorſus numerum redacti ſunt*. Duravit illa diviſio uſque ad initium Dioſcori Junioris, qui ſedem Alexandrinam anno 517. adeptus eſt. Is enim, ut ſcribit Liberatus, *Teſtatus eſt in expulſione Synodi ſe ſuſcipere Edictum. Unde cum*

Renad. hiſt. Patriarch. Alex. pag. 125.

Jesu Chr. An. 490. *cum ſatisfactum fuiſſet iis, qui propter Petrum Moggum extra illam Eccleſiam communicabant, uniti ſunt ei. Nam uſque ad iſtam Dioſcorum in diviſione erat Alexandrina Eccleſia.* Quæ Liberati verba ſi perpendiſſet Valeſius in notis ad laudatum Evagrii locum, non hæſiſſet, an Evagrius de Petro Antiocheno, vel de Petro Alexandrino intelligendus ſit, cum ea diviſio, non in Eccleſia Antiochena, ſed in Eccleſia Alexandrina contigerit.

Felicis Papæ epiſt. ad Thalaſium Archimandritam CP.

3. Dum hæc in Oriente agerentur, Felix Papa, cum ob Flavitæ obitum Conſtantinopolitanam Eccleſiam iterum paſtore viduatam fuiſſe accepiſſet, atque incertus adhuc de Flavitæ ſucceſſore eſſet, ad Talaſium CPoli Archimandritam litteras dedit Kal. Maii, quibus eum admonet, ne ſine Rom. eccleſiæ auctoritate cum futuro Epiſcopo communionem iniret. Cum etenim in Flavita expertus eſſet, CP. Epiſcopos in hæreticorum communione retinenda obſtinatos eſſe, difficiliuſque moveri, ut Acacii nomen e Dypticis expungerent; abſque ſuo conſenſu, ne communionem

Concil. tom. 4. pag. 1092. iniret, Thalaſium his verbis hortatus eſt. *Poſt factas litteras, quas per filios noſtros religioſi propoſiti viros dilectioni tuæ miſimus contradendas, ne quid minus pro catholicæ fidei cuſtodia diligentior cura proſpiceret, Caritatem tuam duximus admonendam, ut etiamſi, præſtante Deo noſtro, nomina damnatorum*, id eſt Alexandrini Petri, & Acacii, *fuerint de eccleſiaſtica recitatione ſublata, ut ſimiles perditionis eorum ſacerdotii non permittantur præſumere dignitatem, non prius tua dilectio, vel congregatio quam gubernas, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, vel cuicumque ejus futurus eſt Pontifex, communicandum eſſe decernat, quam ad notitiam ſedis Apoſtolicæ cuncta referantur, vel ipſius litteris, qui fuerit creatus epiſcopus, vel tuæ dilectionis alloquiis &c.* Deinde poſt plurima: *Expectet ergo dilectio tua ſedis apoſtolicæ juſſionem, & ſic Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſacra ſe communione conjungat, ſi in participatione Beati Petri, & catholicæ veritatis deſiderat permanere. Data Kal. Majas, Probo, & Fauſto VVCC. indict.* 13. ſed legendum, *Longino & Fauſto*, hujus anni Coſſ. Quem vero hæc tanta Felicis Papæ ſollicitudo exitum habuerit, videbimus infra ſub Gelaſii Felicis ſucceſſoris Pontificatu.

Dypticorum variæ ſpecies.

4. Cum Diptycorum frequens in hiſtoria eccleſiaſtica, ac

Digitized by Google

ac præſertim hujus temporis, memoria occurrat, nonnulla ad Diptycorum illuſtrationem hoc loco adnotare non inutile erit. Quorum inprimis duo genera fuerunt, profana ſcilicet, vel ſacra; hæc autem, vel vivorum erant, vel mortuorum. Profanorum mentio eſt in lege Theodoſii ſenioris data anno 384. Richomere, & Clearcho Coſſ. *Exceptis conſulibus ordinariis, nulli prorſus alteri auream ſportulam, Diptycha ex ebore dandi, facultas ſit.* De Diptycis Conſularibus eburneis, egregia ſunt Claudiani de laudibus Stiliconis carmina lib. 3. prope finem:

Dentes
Qui ſecti ferro, in tabulas, auroque micantes,
Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen
Per Proceres, & vulgus eant, ſtupor omnibus Indis
Plurimus, ereptis elephas inglorius errat
Dentibus.

Ac quia hiſce Diptychis Conſulis nomen inſcribebatur, hinc & Faſtorum ſibi appellationem peperere, qua a Sidonio donantur in ſua ad Mammatium epiſtola: *Ut primum brevi peracta, nec brevis ſportula, datique Faſti.* Ex utraque parte tabella Conſulis imaginem exhibebat. Hinc vero Catalogi Epiſcoporum nomen Diptycorum ſumpſere, quodque primum Conſulare fuit, ſacrum dein evaſit. Diptyca eburnea in Eccleſia quoque in uſu fuiſſe, ut omni pene ratione ſplendorem Conſulum imitarentur, Fortunati de B. Martini Natali die, Carmina indicant:

Nomina veſtra legat Patriarchis, atque Prophetis,
Cui hodie in Templo Diptycus edit ebur.

At primum Diptyca ſacra membranis conſtabant. In actis Mopſueſtenæ Synodi, quæ in urbe CPolitana, imperante Juſtiniano recitata ſunt, Joannes Presbyter & Cimeliarcha, hæc loquitur: *Secundum juſſionem veſtræ Sanctitatis, inter ſacra vaſa, quæ a me ſervantur, habente Diptycha, iſta protuli, & ad recitationem porrigo. Habeo autem, & alios duos membraneos quaterniones, vetuſtiores iſtis, quæ nunc & recitantur, quos & ipſos protuli, ſicut videtis.* Diptyca ex Ambone

JESU CHR. AN. 490.

ne a Diacono legebantur, ut ex actione prima Synodi V. Oecumenicæ liquet. Dum enim Amboni Joannes Patriarcha appropinquaret, a populo clamatum eſt: *Diptycha Amboni. Diptycha modo porta.* Et ubi dimiſſi ſunt Catechumeni, *Januis clauſis, ac ſancta lectione juxta conſuetudinem lecta, tempore Diptycorum cucurrit omnis multitudo, cum magno ſilentio circumcirca altare, & audiebant appellationes prædictarum Sanctarum quatuor Synodorum, & ſanctæ memoriæ Epiſcoporum Euphemii, & Macedonii, & Leonis, voce magna clamaverunt, Gloria tibi Domine.*

Dyptica vivorum, & mortuorum.

5. Diverſi generis ſacra Diptyca celebrantur, vivorum ſcilicet, & mortuorum, qui variis ſane libris iuſcribebantur, ut palam eſt ex Atticj ad Cyrillum Alexandrinum epiſtola: *Magna eſt*, inquit, *inter defunctos, & ſuperſtites differentia, ita ut etiam libri propter differentem eorum, quorum memoria conſervatur, ſtatum diſcreti ſunt*. Paginis compluribus conſtabant utriuſque generis Diptycha, in quibus ſive defunctorum, ſive vivorum nomina inſcripta erant. Qui ſanctitate ſua epiſcopi inclaruerant, ita Diptycis poſt obitum inſerebantur, ut ſpecies quædam Canonizationis eſſet, qua in Cœlites inſcribebantur, quod verbis Pſeudo-Areopagitæ Dionyſii declaratur, licet verba ejus, non ad ſolus Pontifices pertineant: *Sacrarum porro tabularum, quæ poſt pacem adhibetur recitatio, deprædicat eos, qui ſancte vixerunt, atque ad probæ vitæ perfectionem conſtanter pervenerant, nos quidem eorum imitatione ad beatiſſimum illum ſtatum, quietemque Deiformem adhortando, ac manuducendo, illos vero, ſeu viventes celebrando, quippe ut Theologia docet, nequaquam mortuos, ſed ex morte ad vitam diviniſſimam translatos*. Itaque qui hæreſi, aut impietate Cœlo indigni habebantur Epiſcopi, Diptychis delebantur. Sic ſacro albo Acacii, & Theodori Mopſueſteni nomen eraſum fuit. Sic magna extitere jurgia de Chryſoſtomi nomine in ſacras tabulas referendo, cui totis viribus Cirillus reſiſtebat. Similiter qui Epiſcopatu indigni judicabantur, ex ſacris tabulis eximebantur; unde Felicis Papæ nomen Acacius, & Mongi nomen Euphemius e dypticis delevit. Ex illis porro Diptychis, qui inter ceteros eminebant, eorum nomina intra ſacra Euchariſtiæ ſolemnia diſerte recitabantur, ceterorum vero generatim memoria recolebatur.

JESU

Jesu Chr. an. 491.

JESU CHRISTI AN. 491. FELICIS III. PAPÆ AN. 9.
ANASTASII IMP. 1. ODOACRIS REGIS ITALIÆ 16.
THEODORICI REGIS 3.
COSS. OLYBRIO JUNIORE ABSQUE COLLEGA.

Zenonis Imp. obitus.

1. Inſequens Chriſti annus 491. Olybrii junioris conſulatu abſque collega notatus eſt. Hic autem Olybrius ab altero Olybrio, conſule anni 464., diſtinguitur; ſed de Olybrio plura apud Ducangium in familiis Bizantiuis pag. 74., aut apud Montfoconium, dum Julianæ Aniciæ Olybrii filiæ genealogiam texit. Hoc autem anno, Olybrio Coſſ. *Zeno Auguſtus vita deceſſit, tam ſui Imperii annis, quam Baſiliſci tyrannidis computatis, anno XVII. menſes VI.*, ait Marcellinus, ſeu potius menſes tres, ut legendum admonet Pagius. Menſem, & diem Zenonis ultimum, ab antiquis non fuiſſe notatum ait Baronius; quod ſane ei condonandum eſt, cum ejus ætate neque Malelæ chronologia, aut Chronicon Alex. lucem vidiſſent, ex quibus utrumque ſcimus. De menſe hæc tradit Alex. chronicon: *Menſe Aprili Zeno correptus dyſenteria, diem ſuum obiit. natus annos 65. dies 9.* Diem vero recordatur Malela, qui tamen de diuturnitate vitæ Zenonis a Chronico diſſidet: *Imperator Zeno dyſenteria correptus, fatis conceſſit, annos natus 60. & menſes 9. die nono menſis Xanthici, anno Antiochiæ 539. Indictione XIV.* Periit ergo nono Aprilis, feria tertia, cum annos 17. menſes duos, & dies aliquot imperaſſet. Cetera, quæ de portentoſa Zenonis morte, quem etiam vivum ſepulchro incluſum fuiſſe ex Cedreno, & Zonara, narrat Baronius, ad Græcorum fabulas relegamus, utpote Marcellino, Victori Turonenſi, atque Evagrio vicinioribus hiſtoricis ignota. Infauſtum nihilominus exitum habuiſſe, & indignam tantæ majeſtatis memoriam Zenonem reliquiſſe, tum hactenus de eo dicta demonſtrant, cum inferius addenda confirmabunt, cum Hormiſdæ Pontificis auctoritate, ex Orthodoxorum Imperatorum catalogo ejus nomen deletum eſt.

Monfoc. Palæographia Græca pag. 201.

Zenoni Imp. Anaſtaſius ſuccedit.

Evagr. lib. 3. 29.

2. *Ceterum cum Zeno poſt ſeptimum decimum Imperii ſui annum, ex comitiali morbo, abſque liberis deceſſiſſet*, ait Evagrius, *Longinus quidem ejus frater, qui ad magnam potentiam pervenerat, in ſpem venit ſe Imperium facile occupaturum eſſe. Sed tamen voti ſui haudquaquam compos factus eſt.*

JESU CHR. AN. 491. *eſt. Etenim Ariadne*, Zenonis relicta, *coronam impoſuit Anaſtaſio, qui nondum in Senatorum ordinem allectus, in Silentiariorum ſchola adhuc militabat ....* Hic ortus ex urbe Epidamno, quæ nunc Dyrachium dicitur, Imperium ſimul & uxorem Zenonis accepit; Longinum vero Zenonis fratrem, una cum Iſauris in patriam ire permiſit, vel etiam coegit. Dum privatam vitam egerat Anaſtaſius, non obſcura pietatis indicia dederat; unde cum Regia veſte in Circo primum ſedit, populus clamore maximo dixit: *Sicut vixiſti, ita etiam impera Domine*.

Anaſtaſius Imp. catholicæ fidei profeſſionem edit.

3. Imperium tamen adeptus Anaſtaſius, de Fide catholica ſarcta tectaque ſervanda nullam adeo curam geſſit, ut ob adeptum ab eo Imperium hæretici omnes in ſpem erigerentur, ut narrat Theodorus lector. Euphemius tamen Patriarcha ejuſdem inaugurationi totis viribus reſtitit, nec niſi accepta ſervandæ Fidei catholicæ, ac de Calcedonenſis concilii auctoritate tuenda, ſponſione, conſenſum ſuum præbuit. *Euphemius Epiſcopus electioni ejus obſtitit*, ait Theodorus, *hæreticum illum vocans, & indignum qui Chriſtianis imperaret. Ariadne tamen, & Senatores vim inferentes, Euphemium aſſentiri coegerunt. Ille non alia conditione, id ſe facturum promiſit, quam ſi Confeſſionem ſcripto comprehenſam ab eo ſuſcepiſſet, quo profiteretur, ſe pro definitione fidei amplecti ea, quæ in Chalcedonenſi Synodo decreta fuerant. Quod quidem Anaſtaſius præſtitit.* Suſceptum Euphemius *chirographum in archivio eccleſiæ repoſuit*, ait Victor in chronico.

Theodorus lector lib.2.pag. 517.

De Theodolo Presbytero, ejuſque ſcriptis.

4. Regnante adhuc Zenone mortuus eſt Theodolus celebris in Cœleſiria ſcriptor, de quo hæc Gennadius: *Theodolus Presbyter in Cœleſiria ſcripſiſſe multa dicitur. Sed ad me liber ejus pervenit, quem de conſonantia divinæ Scripturæ compoſuit, ideſt, veteris, & novi Teſtamenti adverſus antiquos hæreticos, qui propter differentiam præceptorum, vel cæremoniarum, alium veteris Teſtamenti Deum dixerunt, alium novi. Moritur hic ſcriptor ante triennium, Regnante Zenone*, cujus hic ultimus annus fuit. Theodoli autem memoria decimo Kal. Aprilis apud latinos in Martyrologio Rom. celebratur, ac Antiochenus presbyter dicitur, cujus hæc maxima gloria fuit, quod perditiſſimis hiſce temporibus, quibus Eutychiana hæreſis per Orientem, & præcipue in Antiochena eccleſia graſ-

Gennad. de ſcript. eccleſiaſt. cap. 91.

Digitized by Google

graſſaretur, adverſus hæreticos nihilominus ſcriptis ſuis pugnare non dubitavit., & orthodoxæ Fidei vexillum erigere. Jesu Chr. an. 491.

5. Ut Felix Papa accepit Zenoni Imp. Anaſtaſium ſucceſſiſſe, gratulatorias ad eum dedit litteras, ſperans fortaſſe ſub novo Imperatore Eutychianam hæreſim, quæ hactenus Orientales eccleſias turbaverat, tandem aliquando ubique abigendam fore. Felicis quidem epiſtola periit, at ejuſdem meminit Gelaſius Papa in commonitorio ad Fauſtum his verbis: *Præceſſor meus, non ſolum minime ejus nomen*, ideſt Anaſtaſii, *attigit, verum inſuper quando principia adeptus regiæ poteſtatis exercuit; in ejus ſe reſcripſit Imperii promotione gaudere*. At de his hactenus.

Felix Papa cum Anaſtaſio Imp. ob adeptum Imperium gratulatur.

Concil. tom. 4. pag. 1168.

6. Infauſtis exordiis Imperium ſuum auſpicaſſe Anaſtaſium narrat Marcellinus ad hunc annum: *Bellum plebejum inter Bizantios ortum, parſque urbis plurima, atque Circi igne combuſta*. Seditioni, cædibus, & incendio cauſam dediſſe Iſauros, qui Longino Zenonis fratri favebant, ait Theophanes, eo quod ægre ferebant, Anaſtaſium Longino demortui fratre prælatum fuiſſe: *Hoc anno Anaſtaſius Imp: Iſauros CPoli commorantes ob pleraque fœda ab illis admiſſa flagitia urbe ejecit, qui poſt diſceſſum tyrannidem excitare ſunt moliti*. Evagrius etiam ab Anaſtaſio Longinum Zenonis fratrem cum Iſauris in patriam remiſſum fuiſſe ſcribit, qui CP. egreſſi ſive ejecti, palam defectione facta, nova moliri, Longino duce, conati ſunt.

CPoli plebis ſeditio exoritur.

Evagr. lib. 3. 29.

7. Odoacer interea, etſi diu Ravennæ incluſus teneretur, ut qua poterat ratione, collapſum Italiæ Regnum tueretur, ad ultimum uſque ſpiritum pugnare, & improviſis irruptionibus hoſtem aggredi non ceſſabat. *Odoacer*, ait Caſſiodorus ad hunc annum, *cum Erulis egreſſus Ravennam, nocturnis horis ad pontem Candidium, a Domino noſtro Theodorico Rege memorabili certamine ſuperatur*. Unde Ravennam redire coactus eſt. Pugna hæc Valeſianis in Excerptis fuſiore ſtylo deſcribitur: *Olybrio Conſule, exiit Odoacer Rex de Ravenna, nocte cum Erulis, ingreſſus in Pineta, in foſſato Patricii Theodorici, & ceciderunt ab utraque parte exercitus, & fugiens Levila, Magiſter Militum Odoacris, occiſus eſt in fluvio Vejente, & victus Odoacer fugit Ravennam Idibus Juliis. Igitur coactus Odoacer, dedit filium ſuum Thelane obſidem Theodorico, accepta fide, ſecurum ſe* Cc 2 *eſſe*

Odoacris Regis cum Theodorico pugna.

Jesu Chr. an. 492. *eſſe de ſanguine*. Odoacris tamen deditio anno tantum 493. contigit, de quibus ſuo loco dicturi ſumus.

JESU CHRISTI an. 492. Gelasii Papæ 1.
Anastasii Imp. 2. Odoacris Italiæ Regis 17.
Theodorici Regis 4.
Coss. Anastasio Aug. et Rufo.

Felicis Papæ 3. obitus.

1. Hoc Chriſti anno nonageſimo ſecundo ſupra quadringenteſimum, Anaſtaſio Auguſto, & Rufo Conſulibus, Felix Papa tertius, quinto Kal. Martias, ſeu ſexto, (nam biſſextilis fuit) die 25. Februarii mortuus eſt, cum ſediſſet annos octo, menſes undecim, dies 18.; de quo Rom. Martyrologium ad diem 25. Febr. *Romæ Natalis S. Felicis Papæ tertii, qui S. Gregorii Atavus fuit, de quo is refert, quod ſanctæ Tarſillæ nepti apparens, illam ad Cæleſtia Regna vocavit*; plura adhuc de eodem in notis ad Rom. Martyrologium adnotavit Baronius. De Tarſilla autem, ejuſque ſororibus Gordiana, & Æmiliana, non injucundam hiſtoriam poſt centum fere annos narrabat S. Gregorius, tum in publica ad populum concione, cum in Dialogorum libris. Tres ſcilicet patri ſuo fuiſſe ſorores, Tarſillam nempe, Gordianam, & Æmilianam, quæ virginitatem profeſſæ, piis operibus intentæ perſeveraverant, una excepta Gordiana; quæ paulatim a priſtinæ vitæ ſanctitate recedens, virginitatis etiam propoſitum, inito cum agrorum ſuorum conductore matrimonio, violavit, ut apud Gregorium videre eſt. Hanc quidem Felicis Papæ ad proneptes apparitionem, a S. Gregorio Papa in ſermone ad populum, & in Dialogorum libris relatam, ut jocularem fabulam Baſnagius habet, ſacræ etiam Scripturæ non ſatis conſonam; at in re tam gravi (cum ſcilicet ad populum S, Pontifex ſermonem haberet) virum moribus, ætate, & dignitate graviſſimum, rem pene domeſticam narrantem, jocari voluiſſe S. Gregorium, ac fabulis concreditum ſibi gregem fallere, apud cordatos viros numquam Baſnagius obtinebit, cum præſertim nulla innixus ratione, aut ſaltem leviſſimo fretus argumento, tanti Pontificis fidem ſuſpectam reddere conatus fuerit.

Gelaſius Papa ordinatur.

2. Felici Gelaſius ſucceſſor datus eſt, cum quinque dies

dies Sedes vacaſſet, ut narrat Anaſtaſius, ac die prima Martii, quæ cum Dominica concurrebat, ordinatus fuit, quem etiam Afrum fuiſſe ex Patre Valerio refert Anaſtaſius; quod ſane in dubium vocatur, cum de ſe ipſo narret Gelaſius in epiſtola ad Anaſtaſium Imp. *Glorioſe fili, te ſicut Romanus natus, Romanum Principem amo, colo, ſuſcipio &c.* Multis tamen rationibus, etſi in Africa natus eſſet, Romanum ſe fuiſſe dicere potuit, ſicut Paulus Tarſenſis Romanum ſe civem dixerat; at his utpote obſcuris in incerto relictis, quæ certiora ſunt addimus, ac primo Gelaſium in ſacris litteris doctiſſimum, ac in Eccleſiæ fide, morumque ſanctitate tuenda, & eccleſiaſtica diſciplina vindicanda, fortiſſimum fuiſſe, res ab eo geſtæ demonſtrabunt.

JESU CHR. AN. 492. concil. tom. 4.

3. Simulac vero in regiam urbem innotuit, Gelaſium in locum Felicis Papæ ordinatum fuiſſe, ſynodicam epiſtolam cum fidei ſuæ profeſſione Euphemius CP. Epiſcopus ad eum miſit, qua communionis cum eccleſia Romana gratiam enixe petebat, atque communicatorias de more litteras hactenus ſe non accepiſſe conquerebatur. Euphemii quidem litteræ perierunt; at Gelaſius ad Sedis Apoſtolicæ communionem, nonniſi damnato Acacii nomine, admittere ſe poſſe admonuit. *Quomodo*, inquit, *diſpoſitionis Apoſtolicæ antiqua fœdera præbeamus hominibus communionis extraneæ? Quemadmodum vobis ordinationem renuntiatura eſt, qui veſtro etiam teſtimonio Hæreticos damnatos præponitis?* Affirmabat Euphemius, ſe Eutychem damnare. At addebat Gelaſius: *Hoc ſi verum eſt, aut eos, qui communicaverunt Eutychetis ſucceſſoribus, pariter abdicate, aut aliorum quoque Hæreticorum ſucceſſoribus communicantes admittite. Sed Acacius, inquis, nihil contra fidem, ſicut Eutyches, & ſucceſſor ejus legitur ubicumque dixiſſe: quaſi non ſit deterius, & non ignoraſſe veritatem, & tamen communicaſſe veritatis inimicis. Itaque ille veſter Acacius, qui Eutychianis hæreticis deteſtabili communione factus eſt particeps, ab eadem Synodo ſine dubitatione damnatus eſt, quæ Eutychem, Dioſcorumque cum ſucceſſoribus eorum, hiſce communicantes, Synodico proſtravit.* Denique urgebat Euphemius, *populum CPolitanum non permittere ſubmoveri* nomen Acacii: rogare ſe, ut ab Eccleſia Romana dirigantur, qui plebem *eam valeant mitigare*. Quibus opponit Gelaſius, & ſe, & Euphemium ad paveudum Chri-

Euphemii CP Epiſcopi litteræ ad Gelaſium, quid ei Gelaſius reſponderit.

ut ſupra tom. 4. pag. 1168.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 492. Chriſti tribunal venturos: *Ibi certe dilucidabitur, utrum ego, ſicut putatis, acerbus, aſper, & nimis durus, difficiliſque ſim vobis &c.* Hæc aliaque ad Euphemium S. Pontifex fuſiori ſtylo, eum admonens, ut non ſolum Eutychetis, & Petri Moggi Alex. olim Epiſcopi, ſed Acacii quoque nomen e Dypticis expungeret.

Gelaſii Papæ epiſt. ad Anaſtaſium Imp. *ut ſupra.*

4. Eodem tempore ad Anaſtaſium Imperatorem, etſi nullas adhuc ab eo epiſtolas accepiſſet, litteras dedit Gelaſius; ſciens nihilominus eum catholicæ fidei ſectatorem eſſe, ac fidei ſuæ confeſſionem in ipſa Imperii inauguratione Euphemio obtuliſſe, eum hujuſcemodi officiis ſibi demereri curavit, quem in componendis eccleſiæ diſſidiis, ac pace cum Orientalibus reintegranda, adjutorem ſibi futurum ſperabat. De litteris a ſe ipſo ſcriptis idem Pontifex his verbis in commonitorio ad Fauſtum teſtatur: *Ego nulla ipſius ſcripta percipiens, honorificis, ut noſtis, eum litteris ſalutare curaverim.*

Gelaſii epiſt. ad Laurentium Macedoniæ Epiſc.

5. Interea cum Theſſalonicenſis Epiſcopus, ac totius Macedoniæ Metropolita, qui alias ſemper firmiſſimo communionis vinculo cum Romana eccleſia adhoeſerat, cujus etiam vices gerere conſueverat, hoc tempore cum Acacianis, non ſine fidelium ſcandalo, communicaret, ut reliquos ejus provinciæ Epiſcopos in Romanæ eccleſiæ communione retineret Gelaſius, ad Laurentium Macedoniæ Epiſcopum, ceteroſque ejuſdem provinciæ Antiſtites litteras dedit, quibus hæc inter cetera narrabat: *Noverit autem veſtra fraternitas Eccleſiæ Theſſalonicenſis Antiſtitem, noſtris adhortationibus ſæpius incitatum, contagia communionis externæ numquam declinare voluiſſe, nec apud nos nomen Acacii, vel ceterorum ſimilium perfidorum, hiſque communicantium congrua profeſſione damnaſſe: quapropter eum comunionem ſedis Apoſtolicæ non recepiſſe manifeſtum eſt.* Hactenus de his Gelaſius.

Gelaſii epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ.

6. Eodem ſui Pontificatus exordio ad univerſos Dardaniæ Epiſcopos litteras Gelaſius dedit commonitorias, quibus eos admonebat, ut Eutychianorum vitarent communionem, quæ etſi non extent, ex epiſtola tamen Epiſcoporum Dardaniæ ad Gelaſium, quid ea continerent, ſcimus. Quarum hæc erat inſcriptio: *Domino Sancto Apoſtolico, & Beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio, Papæ Urbis Romæ, humiles Epi-*

Digitized by Google

Epiſcopi Dardaniæ, ac ſe ejus litteras per Tryphonem miſſas ea, qua decebat, devotione ſuſcepiſſe narrant, & gratias agunt, ac ſe hactenus Eutychetis, æque ac Petri, & Acacii communionem vitaſſe adnotant; quod multo ſollicitius cavebunt, poſt ſedis Apoſtolicæ admonitionem. Nonnulla etiam per Triphonem, litterarum ſedis Apoſtolicæ portitorem, ſe ſuggeſſiſſe addunt, ac Gelaſium, ut juſtæ ſuggeſtioni facilem ſe præberet, rogant, utque ex ſede Apoſtolica aliquem illuc mitteret, *Ut ſub ejus præſentia, quæ fides orthodoxa, & veſtræ juſſionis ſinceritas poſtulat, ordinetur*. Subſcripti autem leguntur, primo Joannes Scopinæ Eccleſiæ Epiſcopus, deinde Bonoſus, Samuel, Verianus, Fauſtinus, Urſinus. JESU CHR. AN. 492.

7. His acceptis litteris, quibus ſuam in Apoſtolicam ſedem obſervantiam tanta ſinceritate teſtabantur, officio ſuo non defuit Gelaſius Papa, ac petitioni eorum annuens, Urſicinum Epiſcopum ad eos miſit, adjecitque litteris ſuis, quas voluit eſſe communes omnibus illarum provinciarum Epiſcopis, admonitionem, ut ab hæreticorum conſortio ſe ſe abſtinerent. Hanc quidem epiſtolam hoc tempore ſcriptam fuiſſe, ſatis ex eo apparet, quod numerat annos quadraginta quinque ab ortu Eutychianæ hæreſis; atque etiam bellicos hujus temporis in Italia tumultus his verbis deplorat: *Ubi primum reſpirare fas eſt a continuorum tempeſtate bellorum, quæ in illis provinciis, vel in iſtis temporum qualitas inceſſanter exercuit, cunctos per Dardaniam Domini ſacerdotes fraternæ ſollicitudinis charitate duximus alloquendos &c.* Urſicinum igitur Epiſcopum cum his litteris miſit Gelaſius, ut eoſdem populos, non ſolum ab hæreſi Eutychiana, ſed a communicatione cum iis, qui cum hæreticis communicabant, alienos eſſe debere, inſtantius commoneret. Denique: *Hæc autem veſtra dilectio ad contiguas ſibi quaſque provincias, vicinoſque Pontifices prudenter faciat pervenire; ut Eccleſiarum Præſules univerſi, veritatis inſtructione percepta, mortiferam declinare valeant falſitatem*. Circulares erant hæ Gelaſii litteræ per univerſam ſaltem Græciam circumferendæ.

Altera Gelaſii epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ. *ut ſupra*.

JE-

JESU CHR. AN. 493.

JESU CHRISTI AN. 493. GELASII PAPÆ 2.
ANASTASII IMP. III. THEODORICI ITALIÆ REGIS 5.
COSS. EUSEBIO II. ET ALBINO JUNIORE.

Odoacer Italiæ Rex a Theodorico captus occiditur.

1. Cum triennio Ravennæ a Theodorico obſeſſus perſeveraſſet Odoacer, tandem urgente fame in victoris manus ſe tradidit, a quo benigne exceptus, paulo poſt per inſidias occiſus eſt. Hinc chronographus Cuſpiniani ad Albini conſulatum: *Regreſſus eſt Rex Theodoricus ad Ravennam, & venit ad Foſſatum Palatioli IV. Kal. Septemb. Anni proximi*; Conſule autem Albino, *facta eſt pax inter Theodoricum Regem, & Odoacrem, III. Kal. Martias, & ingreſſus eſt Ravennam Theodoricus tertio nonas Martias, & occiſus eſt Odoacer Rex a Rege Theodorico in Palatio cum commilitonibus ſuis*. Thelanem filium pro fide ſua obſidem dediſſe Odoacrem, narrat Anonymus a Valeſio editus, *accepta fide ſecurum ſe eſſe de ſanguine*. Paulo aliter rem narrat Procopius, ſcilicet Ravennatem Epiſcopum pacem inter eos ea conditione conciliaſſe, ut una ſimul ambo in Italia regnarent. At hæc latinis ſcriptoribus ignota, vix credibilia ſunt; conſtat quippe paulo poſt, Theodoricum Odoacri ſub prætextu, quod ſibi inſidias ſtrueret, necem intuliſſe, quod ſane probabiliſſimum eſt, etſi id Caſſiodorus, & Jornandes prætericrint. Ille in gratiam Theodorici, cui erat ab epiſtolis; iſte quia Gothorum ſuorum hiſtoriam ſcripſit. Duæ porro Theodorici Regni epochæ diſtinguendæ ſunt; prima ab anno 389., quo Italiam ingreſſus, Odoacrem Veronæ vicit, juxta quam annos 37. Theodoricum regnaſſe, ait Procopius loco ſupracitato; altera vero a currenti anno ducitur, quo occiſo Odoacre, ſolus in Italia regnare cœpit, juxta quam annos 33. regnavit, ut in excerptis adnotat Anonymus Valeſianus.

Theodorici Regis legatio ad Anaſtaſium Imp.

2. Italico Regno potitus Theodoricus, ut adeptum in pace retineret, ac diuturno bello imminutum reſtitueret, ad Anaſtaſium Imp. perhonorificam legationem hoc, vel ſequenti anno miſit cum litteris, quibus omne ſe obſequium Anaſtaſio profiteri teſtatus eſt. De ejuſdem vero juſtitia in adminiſtrando Italico Regno, cum multa adnotaverit idem Procopius, hæc addit: *Verbo tyrannus fuit Theodoricus, re ipſa verus Imperator, eorum nemini poſtponendus, qui ab ortu Imperii in illo honoris gradu excelluerunt, illum Itali juxta*

Digitized by Google

xta ac Gothi amabant plurimum, contra humani morem ingenii. Jesu Chr. an. 493.

4. Quinam autem fuerint a Rege Theodorico miſſi legati CPolim, quorum nomina in litteris præteriit Caſſiodorus, ex epiſtolis Gelaſii Papæ ſcimus, Fauſtum ſcilicet Magiſtrum officiorum, cui idem Pontifex Commonitorium dedit, alterum vero Irenæum, uti ex litteris ejuſdem Pontificis ad Anaſtaſium Imperatorem poſtea datis apparet; nam in ejus epiſtolæ exordio de ambobus miſſis legatis, iiſdemque reverſis, hæc habet: *Famuli pietatis veſtræ, filii mei, Fauſtus Magiſter, & Ireneus, viri illuſtres, atque eorum comites publica legatione fungentes ad Urbem reverſi &c.* Quam hic Gelaſius dicit publicam legationem, in Commonitorio ad Fauſtum regiam legationem appellat, ut non ſit dubium, de legatione miſſa a Theoderico debere intelligi. Cæterum quod ad ejuſdem legationis effectum pertinet, factus eſt voti compos Theodoricus, pacemque ab Anaſtaſio Imp. obtinuit, quem hoc tempore Iſauricum bellum quammaxime ſollicitum eſſe cogebat.

Quinam Theodorici legati fuerint, & legationis exitus.

5. Quo tempore cum Anaſtaſio Imp., miſſa legatione, fœdus iniit Theodoricus, cum ceteris Regibus Italiæ finitimis pacem firmare curavit; præceteris vero cum Clodoveo Francorum Rege, cujus filiam Audefledam matrimonio ſibi ſociavit. Antea quidem, dum adhuc in Mœſia eſſet, Theodoricus duas ex concubina filias ſuſceperat, quarum alteram Alarico Viſigotorum Regi nupſerat, alteram vero Sigiſmundo Gundebadi filio Regis Burgundionum; ſicque conciliatis undique Regibus Italiæ Regnum pacatum ſibi tranquillumque reddidit; tantam ob id auctoritatem conſecutus, ut Gundamundus quoque Vandalorum in Africa Rex, miſſa ad eum legatione, pacem petierit, ut ad annum proximum narrat Caſſiodorus: *Vandali pace ſuppliciter poſtulata, a Siciliæ ſolita deprædatione ceſſarunt*; quare rebus Italiæ componendis totus ſe Theodoricus dedit, de Romanis civibus, & maxime Senatoribus benemereri ſollicitus, Caſſiodori præſertim in Italici Regni adminiſtratione opera utens. Hunc Odoacer *Comitivæ privatarum* dignitate ornaverat, ac deinde Comitem ſacrarum largitionum fecerat. Poſt Odoacris vero obitum, in Brutios ſe ſe receperat, ubi cum eſſet, Siculos adverſus Theodoricum rebellantes, tum eloquentiæ

Theodoricus pacem cum Regibus Galliæ init.

Jornand. de reb. Getb. cap. 58.

Procop. de bello Vandal. lib. 1. 8.

JESU CHR. AN. 493. vi, cum armorum minis in officio continuit. Quamobrem Theodoricus ad ſe vocatum honorificentiſſime excepit, eumque Lucanis, & Brutiis præfecit, revocatum deinde expleto munere apud ſe retinuit, omnium honorum culmine exornans, uſque ad Præfecturam Prætorii, qua dignitate perfungebatur Caſſiodorus cum anno 501. Theodoricus Romam venit; epiſtolis vero, quas Theodorici nomine ad varios ſcripſit Caſſiodorus, unde ipſius libri variarum confecti ſunt, his epiſtolis inquam Theodorici Regnum nobilitavit, atque ex iis Italiæ hiſtoria illuſtratur.

Gelaſii Papæ Commonitorium ad Fauſtum.

6. Ad res eccleſiaſticas progredientes, adnotamus Gelaſium Pontificem hoc anno Fauſtum officiorum Magiſtrum, & Irenæum Theodorici Regis legatos ad Anaſtaſium Imperatorem miſſos, rogaſſe, ut cum Euphemio CP. Epiſcopo de Orientalis Eccleſiæ reconciliatione agerent, & maxime, ut ſi fieri potuiſſet, juſtis conditionibus CP. eccleſiam cum Romana reconciliarent. Cur id pertentaret Gelaſius, ea potiſſimum interceſſit ratio, quod acceptis anno proximo Gelaſii litteris, Euphemius Patriarcha Acacii nomen e ſacris Dypticis nequaquam expunxerat, ſed etiam defendendum ſusceperat, injuſte eum & a ſolo Rom. Pontifice damnatum fuiſſe prætexens. Inſuper ad concitandam adverſus Romanam eccleſiam, ejuſque Pontificem Anaſtaſii Imp. invidiam & odium, in vulgus ſpargere non ceſſabat, Anaſtaſium Imp. a Romano Pontifice non recipi, neque a Romano Senatu. Hæc quidem tanquam puras putaſque calumnias, ſuo in commonitorio Gelaſius confutat. Ne igitur horum occaſione Rom. eccleſia in diſcrimen adduceretur, arctaque inter duos hæreticos Principes Anaſtaſium, & Theodoricum durioribus anguſtiis premeretur; viro pio Fauſto Magiſtro alteri legatorum tantæ molis negotium credidit, ut cum eſſet Conſtantinopoli objecta dilueret, tentata deſtrueret; atque ſequeſter pacis exiſtens, Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali conciliator accederet. Profectus eſt Fauſtus, naviterque negotium ſuſceptum peregit, ſed non ex ſententia, ut erat in optatis, abſolvit, refragante Euphemio, & majora rixarum fomenta miſcente. Fauſtus vero iis, quæ tranſacta fuerant cum ipſo, datis ad Gelaſium litteris, reddidit certiorem. Quibus acceptis, Gelaſius ad eum reſcripſit.

Quid Gelaſii Papæ commo-

7. Extat ipſa epiſtola Commonitorii nomine nuncupata,

ta, eaque Gelaſius legatos admonet, qua ratione petulantiam calumniantium retundere poſſent. Tractatio digna ſane, quæ integra exſcriberetur, niſi nos brevitatis detineret propoſitum. Qua primum adverſus Imperatorem nil neque a ſe ipſo, aut anteceſſore ſuo, vel a Senatu tentatum fuiſſe adnotat, quin omni officiorum genere, & litterarum ſuarum ſalutatione eum præveniſſe, nil quoque Rom. Senatum peccaſſe demonſtrat, dum Romanæ eccleſiæ communionem retinens, CP. eccleſiæ communionem averſabatur. Quæ vero, quantave fuerint Acacii crimina longius proſequitur, ac eum tanquam Chalcedonenſis ſynodi prævaricatorem juſte recteque condemnatum fuiſſe demonſtrat, quem uſque ad obitum in ſua obſtinatione perſeveraſſe probat; Euphemium vero injuſte conqueri, quod Rom. eccleſiæ communione indignus haberetur, cum Acacii cauſam tueretur, ejuſque nomen in ſacris tabulis retineret. Ad ea vero, quæ Euphemius adverſus Apoſtolicam ſedem minitabundus blaterabat, eam ſcilicet geſtorum ſuorum rationem altero in concilio reddere debere, hæc Gelaſius reſpondet: *Non eſt mirum, ſi iſti ſedem B. Petri Apoſtoli blaſphemare præſumunt, qui talia portenta vel corde gerunt, vel ore diffundunt, & nos inſuper ſuperbos eſſe pronuntiant, cum eis prima ſedes, quidquid eſt pietatis, non reſiſtat offerre, illi cum ipſo protervo ſpiritu ſubjugare ſe poſſe confidant. Sed captos mente facere iſta non mirum eſt. Sic phrenetici ſolent medicantes quoſque velut hoſtes putare vel cædere. Quæro tamen ab his, judicium quod prætendunt, ubinam poſſit agitari: an apud ipſos, ut iidem ſint inimici, & teſtes, & judices? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia, ne dum divinæ legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, nonniſi Apoſtolicæ Sedi juxta canones debetur ſumma judicii totius: ſi quantum ad ſæculi Poteſtatem, illa a Pontificibus, & præcipue a beati Petri vicario, debet cognoſci, quæ divina ſunt, non ipſa eadem judicare. Nec ſibi hoc quiſquam potentiſſimus ſæculi (qui tamen Chriſtianus eſt) vindicare præſumit, niſi religionem forſitan perſequens &c.* ac tandem, ut eos ſalvos & ſoſpites Romam quantocius Deus reverti faciat, Gelaſius deprecatur; quam ideo, dum adhuc CP. Irenæus, & Fauſtus eſſent, eamdem dediſſe probabile eſt.

[nitorium contineret. tom. 4. pag. 1168.]

[pag. 1170.]

8. At irrita hæc omnia fuiſſe, ejuſdem Gelaſii epiſtola

[Gelaſii Papæ epiſt. ad Anaſtaſium Imp.]

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 493. ad Anaſtaſium Imperatorem data, cum iidem Fauſtus, & Irenæus in urbem reverſi ſunt, patet; qua S. Pontifex Imperatoris querelas adverſum ſe vulgatas excuſat, & diluit, ac primo, quod ejus legationis occaſione nullas ad ſe litteras dederit, hanc rationem affert: *Clementiam veſtram*, inquit, *queſiſſe dixerunt* (Fauſtus & Irenæus) *cur ad vos meæ ſalutationis ſcripta non miſerim. Non meo fateor inſtituto, ſed cum directi, dudum de partibus Orientis, vel videndi me licentiam ſibi veſtris præceptionibus abnegatam, tota urbe diſperſerint, a litteris credidi temperandum, ne oneroſus potius, quam officioſus exiſterem*: deinde poſt plurima de Rom. ſedis privilegiis, hæc addit: *Si cunctis generaliter Sacerdotibus, recte divina tractantibus, fidelium convenit corda ſubmitti: quanto potius ſedis illius præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis ſacerdotibus, & divinitas ſumma voluit præminere, & ſubſequens eccleſiæ generalis jugiter pietas celebravit. &c.* Tandem poſt plurima, quibus Romanæ eccleſiæ dignitas ſupra ceteras commendatur, ad reſtituendam Orientis cum Occidente communionem, Acacii nomen e dypticis eradi jubet: *Tollatur ergo nomen e medio, quod eccleſiarum diſcretionem procul a catholica communione operatur, ut ſincera pax fidei communioniſque reparetur, & unitas &c.* At de his hactenus; cetera in eam cauſam geſta ſequentibus annis reſervamus.

pag. 1181.

Pelagiani in Dalmatia, & in Piceno repullulantes Gelaſius comprimit. *Gelaſii epiſt. 5. 6. & 7.*

7. Eodem zelo, quo Orientalium ſchiſma extinguere Gelaſius Papa conatus eſt, Pelagianam, ſeu Semipelagianam luem in Dalmatia, & in Picena provincia repullulantem compreſſit, ut ejuſdem Gelaſii epiſtolæ hoc eodem anno Albino Coſſ. datæ teſtantur, ad Honoricum Dalmatiæ Epiſcopum, & ad omnes Epiſcopos per Picenum conſtitutos. Hanc zizaniam per Dalmatiam, & Picenum infelix quidam deliruſque Seneca nomine diſſeminaverat, quem hiſce coloribus in epiſtola ad Epiſcopos per Picenum Kal. Novembris data Albino Coſſ. pingit Gelaſius: *Oblatus eſt nobis miſerabilis ſenex Seneca nomine, qui non modo totius eſt eruditionis alienus, ſed ipſius quoque intelligentiæ communis prorſus extraneus, in Pelagianæ voraginis cæno, ſicut de quibuſdam in Apocalypſi legimus, velut una ranarum impudenter immerſus, inque illa fæce horribiliter volutatus, nullatenus inde qualiter emergere poſſet inveniens.* Impar tamen erat ferendo Pelagianis auxilio. *Revera enim ſic ejus ſtolidus & obtuſus eſt animus, ut de*

tom. 4. Concil. pag. 1175.

Digitized by Google

de his veniens, quæ male hauſit, & vomuit, nullam rationem, vel accipere valeat omnino, vel reddere. Eo tamen temeritatis progreſſus erat, ut ſub aſpectu etiam Sacerdotum, *Beatæ memoriæ Hieronymum, atque Auguſtinum eccleſiaſticorum lumina magiſtrorum, muſca moritura lacerare contenderet.* Cumque tria Pelagianorum ſumma capita confutaſſet; Infantes ſcilicet cum Originali peccato naſci, eoſque ſine baptiſmate decedentes, ad inferna deduci morte perpetua deſtinatos, cum nullus inter dexteram & ſiniſtram locus pro parvulis ſine baptiſmate decedentibus ſit locus, ut Pelagiani fingebant; tertio demum cum probaſſet ſine Chriſti gratia homines ſalutem ſuam operari non poſſe, nec eam juxta eorum meritum, ſed gratuito dari demonſtraſſet; Epiſcopos tandem Piceni excitat, ut hæc Pelagianorum ſemina, inordinataſque Senecæ morum corruptelas, quibus viros cum mulieribus habitare paſſim familiariterque docebat, radicitus extirparent, ac tandem poſt aliqua: *Sufficiat igitur hactenus fuiſſe hæc commiſſa, & ut placetur Deus humanis rebus, ſolicitius divina curentur.* Jesu Chr. an. 493.

8. Duabus autem epiſtolis ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum, quinto Kal. Auguſti datis, idem retractat argumentum, ac ſe de ſuſcitatis in ea provincia Pelagii erroribus doluiſſe adnotat. *Nunciatum eſt nobis,* inquit, *in regionibus Dalmatiarum quoſdam recidiva Pelagianæ peſtis zizania ſeminaſſe, tantumque illic eorum prævalere blaſphemiam, ut ſimplices quoſque mortiferi furoris inſinuatione decipiant.* Honorium itaque hortatur, ut Epiſcopos excitet, ut totis viribus gliſcenti ſe errori opponant, quem a tot tantiſque Pontificibus damnatum revocari nulla ratio permittebat. *An fortaſſe neſcitis, hanc hæreſim, de qua loquimur, & ab Apoſtolica dudum ſede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem continuis & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratum? Nec tantum Eccleſiæ Catholicæ legibus, ſed Principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, ut nec uſquam terrarum vivendi locum ſectatores ejus habere ſinerentur &c.* Sed de his ſatis.

Gelaſii epiſtolæ ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum. *epiſt. 5. & 16. pag. 1172.*

JE-

JESU CHR. AN. 494.

JESU CHRISTI AN. 494. GELASII PAPÆ 3.
ANASTASII IMP. 4., THEODORICI ITALIÆ REGIS 8. ET 6.
COSS. TURCIO RUFO APRONIANO ASTERIO, ET PRÆSIDIO.

De Coſſ. hujus anni, & de Aſterii eruditione.

1. Chriſti annus 494. Aſterii, atque Præſidii conſulatu ſignatus eſt, quorum primum in Occidente creatum fuiſſe exploratum eſt; alterum, Præſidium ſcilicet, Noriſius diſſert. 4. §. 1. in Cenotaphiis Piſanis, aliique, Orientalem fuiſſe ſcribunt. At Pagius Occidentales ambos fuiſſe tradit, cujus ſententiam probabiliorem quoque Muratorius exiſtimat. De Aſterii autem conſulis familia, nomine, cognomine, ac dignitatibus egregie diſſerit loco citato Noriſius, eumque eruditione claruiſſe inde etiam patet, quod ipſemet Aſterius in Codice Virgilii in bibliotheca Medica aſſervato, & a mille ducentis circiter annis exarato, ſubjicit elegans epigramma de triplicibus ludis Circenſibus, ſcenicis, Theatralibus in ſuo conſulatu editis, de qua pluribus agit Juſtus Fontanini de antiquitatibus Hortæ lib. 2. cap. 3. In Codice etiam Othoboniano, olim Svevorum Reginæ, nunc vero Vaticanæ bibliothecæ, carmen illud Paſchale Sedulii vulgatum fuiſſe dicitur, *a Turcio Ruffo Aſterio Quinto Vicario, Conſule ordinario Patricio*. Deinde *Incipit ars Sedulii poetæ, qui primo laicus in Italia philoſophiam didicit, poſtea cum aliis metrorum generibus heroicum metrum Macedonio conſulente docuit. In Achaja libros ſuos ſcripſit in tempore Imperatorum minoris Theodoſii filii Arcadii, & Valentiniani, Conſtantii pax &c.* Quare Sedulii carmen longe ante vulgatum circiter anno 434. ab Aſterio deinde Conſule poſt hunc annum iterum vulgatum fuiſſe dicendum eſt. Idemque Aſterius conſul Virgilii libros Bucolicorum diſtinxit emendavitque. Unde in inſigne Codice Mediceo ad dictos libros hæc leguntur, ut refert Noriſius, loco ſupracitato.

Turcius Rufus Apronianus Aſterius VC. & Inl. ex Comite Domeſt. Protect., & Com. Priv. Largit., Expraef. Urbi Patricius, & Conſul Ordin. Legi & Diſtinxi Codicem Fratris ma charii v. c. non mei fiducia ſed ejus cui ſit ad omnia ſum Devotus Arbitrio, XI. Kal. Maii. Romae

P. Virgilii Maronis

Di-

Diſtinxi emendans gratum mihi munus amici * ſuccedens operi ſedulus incubui | Jesu Chr. an. 494.

Bucolicon liber Explicit.

Noriſius laudatus, qui eam clauſulam produxit, obſervat in vetuſto Codice Vaticano num. 1165. poſt Carmen Paſchale Sedulii, hæc legi: *Hoc opus Sedulius inter cartulas diſperſam reliquit, quod recollectum & adunatum, atque omni elegantia divulgatum eſt a Turcio Rufio Aſterio Quinto V. C. Exconſule ordinario atque Patricio*. Similem huic codicem etiam vidit Cuſpinianeus, qui ad Conſulatum *Aſterii & Præſidii*, ait, Carmen Sedulii *a Turcio Ruffo Aſterio Quinto V. C. Exconſule ordinario atque Patricio* ſcriptum eſſe. Eadem annotatio erat etiam in Codice, quo Aldus Manutius ſenior uſus eſt. Siquidem adnotat opus illud, non a Sedulio, ſed a Turcio Aſterio VC. Exconſule ordinario atque Patricio publicatum fuiſſe. Ex quibus Romanæ ſynodi ſub Gelaſio Papa, in qua de libris canonicis, & Apocryphis actum eſt, epocham emendandam eſſe Pagius, aliique arguunt; cum etenim in ea Sedulii quoque poetæ opera commendentur, nonniſi poſt hunc annum, quo ea Aſterius Exconſul in lucem edidit, eorum Romana ſynodus mentionem facere potuit. Quare eam ad annum 496. differendam eſſe cenſet, atque Aſterii & Præſidii conſularem notam, ab imperita manu, tum in Codicibus aliquot additam, atque a conciliorum collectoribus retentam fuiſſe adnotat, quæ in plurimis optimæ notæ Codicibus deeſt.

2. Gelaſius interea Rom. Pontifex, cum fruſtra hactenus pro Orientalis eccleſiæ reconciliatione laboraſſet, ut in Italia eccleſiaſticam diſciplinam, quæ bellis undique irruentibus, collapſa pene videbatur, reſtauraret, omnem curam ac ſollicitudinem adhibuit. Quare ab Joanne Ravennate Epiſcopo admonitus, quinto idus Martii hoc anno Aſterio & Præſidio Coſſ. 28. capita edidit, quibus eccleſiæ canones ita obſervandos eſſe juſſit, ut tamen pro temporum injuria, nonnihil de priſtino rigore relaxare cogeretur. Quorum primo hæc præfatur: *Neceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ ſedis moderamine convenimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retro præſulum deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum*

Gelaſii Papæ decreta ad Epiſc. Lucaniæ, Bratiæ, & Siciliæ.

Jesu Chr. an. 494. *porum reſtaurandis eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus, quo nec in totam formam veterum videamur excedere regularum, & reparandis militiæ clericalis officiis, quæ per diverſas Italiæ partes, ita belli, famiſque conſumpſit incurſio, ut in multis eccleſiis (ſicut fratris & coepiſcopi noſtri Joannis, Ravennatis eccleſiæ Sacerdotis, frequenti relatione comperimus) uſquequaque deficiente ſervitio miniſtrorum, niſi remittendo pauliſper eccleſiaſticis promotionibus antiquitus intervalla præfixa remaneant (ſine quibus adminiſtrari nequeant) ſacris ordinibus eccleſiæ funditus deſtitutæ: atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii, ſalutare ſubſidium redimendarum deſit animarum: noſque magno reatu, ſi tanto coarctante periculo, non aliquatenus videamur innecti.* Canonum vero hæc ſumma eſt 2. Monachus ad clericatum promoveatur, ſi vitæ integer fuerit, ſi ſecundam non habuit uxorem, nec a marito relictam, ſi pœnitentiam publicam non geſſit, nec ulla parte corporis vitiatus appareat, ſi ſervili conditioni obnoxius non ſit, ſi aſſecutus eſt litteras, ſine quibus vix Oſtiarii poſſit implere miniſterium. His fultus lector, vel Notarius, aut certe defenſor factus, poſt tres menſes fiat Acolythus, ſexto menſe Subdiaconi nomen accipiat, nono menſe Diaconus, completoque anno ſic Presbyter ordinetur. 3. Si quis ex Laicis eliguntur ad Clericatum, multo ſollicitius ea, quæ de Monachis dicta ſunt, requiruntur. *Quorum & promotionibus*, inquit, *ſuper anni metas, ſex menſes nihilominus ſubrogamus, quoniam diſtare convenit inter perſonam cultui deditam, & de laicorum converſatione venientem*. 4. Baſilicas noviter inſtitutas niſi petitis ex more præceptionibus dedicare nemo audeat. 5. Nulla de Baptizandis, conſignandiſque Fidelibus pretia exigantur. 6. Ut Presbyteri modum debitum ſervent: non Chriſma conficiant, non conſignent: nec præſente quolibet Epiſcopo, niſi jubeantur ab ipſo, vel orare, vel ſedere præſumant, nec Acolytum, vel Subdiaconum faciant. 7. Ut Diaconi menſuram propriam juxta Patrum decreta cuſtodiant: abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare nec audeant, niſi neceſſitas extrema compellat. 8. Diaconi in Presbyterio reſidere non poſſunt, nec ſacri corporis diſtributionem præſentibus debent uſurpare Presbyteris. 9. Quod Apoſtolica Sedes paternos Canones pio ſtudio devotoque cuſtodiat. 10. Ut præ-

Digitized by Google

præter Paſchale tempus, & Pentecoſtes nemo baptizare præſumat, niſi eos tantum, quos ægritudo extrema compulerit. 11 Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum, quarti menſis jejunio, ſeptimi, etiam vel decimi, ſicuti & Quadrageſimalis initio, ac mediana Quadrageſimæ die Sabbati jejunio dicata circa veſperam noverint celebrandas. 12. Devotis Deo Virginibus nonniſi in Epiphaniarum die, aut in albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum Natalitiis ſacrum velamen Virginitatis imponatur. 13. Viduas velare Pontificum nullus attentet. 14. Nullus Præſul, vel Eccleſiæ, vel Monaſterii ſervum, aut originarium, nolentibus Dominis ſub nomine religioſo defendat.

Jesu Chr. an. 494.

3. 15. Clerici nulla negotia inhoneſta, nec turpia lucra ſectentur. 16. Nemo litteras neſciens, vel aliqua parte corporis minutus, in Clerum admittatur. 17. Qui ſeipſos abſcindunt, Clero excludantur. 18. Ad clerum criminoſi nequeunt promoveri, & in Clero poſiti, ſi in flagitiis inventi fuerint, officio arceantur. 19. Dæmoniacis, ſimilibuſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat. 20. Qui ſe ſacris Virginibus ſociant, communicare non poſſunt, niſi acta pœnitentia publica. 21. Viduæ, ſi profeſſam continentiam calcaverint, pro ſe rationem Deo ſunt redditur æ. 22. Secunda conjugia ſæcularibus non negantur, quibus ad Clerum venire non conceditur. 23. Qui ſuſceperit Eccleſiæ propriæ deſertorem, & in aliquam dignitatem provexerit, utrique pœnis ſubjaceant. 24. Si qui ex Monachis, aut Laicis abſque neceſſitate ad Clerum eligitur, antiqua inſtituta ſerventur, ſi ſacram pretio dignitatem emerint, deponantur. 25. Abſque præcepto Sedis Apoſtolicæ, nemo Eccleſias, vel Oratoria ſacrare præſumat: nulla Baſilica ſub defunctorum conſtructa nomine dedicetur. 26. Nefas ſit, fœminas ſacris altaribus miniſtrare, vel aliquid ex his, quæ virorum ſunt officiis deputata, præſumere. 27. In unaquaque Eccleſia, cui Epiſcopus præeſt, tam de redditibus, quam de fidelium oblationibus quatuor debent fieri portiones, ut una ſit Epiſcopi, alia Clericorum, tertia pauperum, quarta Eccleſiæ fabricis applicetur. 28. Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus a quocumque Clerico veraciter accuſatus, quod adverſus hæc Conſtituta fecerit, poteſt ſine dubitatione percelli, ſui etiam honoris periculum Epiſcopus ſubiturus, ſi hæc in Eccleſiæ contemptum geſta diſſimulaverit.

Aliæ Gelaſii Conſtitutiones.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 494.

Variæ Gelaſii epiſtolæ.

4. Aliæ quoque extant Gelaſii epiſtolæ hoc eodem anno datæ. Prima *Idibus* Maji ad Epiſcopos Siciliæ jubet, ut eccleſiæ facultates ab Epiſcopis clericis, & pauperibus diſtribuantur. Quo vero ad Bona Eccleſiæ, quæ annis 30. ab Epiſcopis poſſeſſa fuerant, nullam eis quæſtionem eorum cauſa faciendam eſſe jubet. Secunda ad Dardaniæ Epiſcopos inſcripta eſt, per Cyprianum, & Macarium Diaconos lata, qua ipſorum pietatem laudat, eoſque admonet, ne cum Dioſcoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio ulla communione jungantur. Eos etiam admonet, Theſſalonicenſem Epiſcopum, qui favebat Acacio, ab Eccleſiæ Romanæ communione excidiſſe: *Noverit veſtra fraternitas, Eccleſiæ Theſſalonicenſis Antiſtitem, noſtris adhortationibus ſæpius citatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluiſſe, nec apud nos nomen Acacii, vel cæterorum ſimilium perfidorum, biſce communicantium, congrua profeſſione damnaſſe*. Acacium defunctum excommunicatione ſolvi non poſſe profitetur. Data eſt tertio nonas Auguſti.

Alia Gelaſii epiſt. ad Eonium Arelatenſem epiſc. *Tom. 4. pag. 1198.*

5. Decimo autem Kal. Septemb. hujuſce anni Eonio Arelatenſi Epiſcopo reſcribens, de ſua in Gallicanos Epiſcopos charitate certiorem reddit; unde *Omni voto*, inquit, *dilectionem tuam duximus admonendum, quatenus & vigere apud nos alternæ viſcera gratiæ, fratres & Coepiſcopi noſtri per Gallias caritate tua vulgante cognoſcerent &c.* Hunc quidem Eonium in Cæſarium commutandum eſſe ſcripſit Baronius; at Eonium retinendum eſſe, nos Pagius admonet.

Bar. 394. n. 26. Pag. ibid. not. 8.

Gennadius Maſſilienſis Presbyter catalogum de ſcriptoribus eccleſ. vulgat. *apud Hieronym. op. tom. 2. pag. 990. edit. Veron.*

6. In provincia Galliæ verſantibus, Gennadii Maſſilienſis presbyteri mentio habenda eſt, qui hoc anno ſuum de viris illuſtribus, ſeu de ſcriptoribus eccleſiaſticis catalogum Gelaſio Pontifici, una cum epiſtola de fide ſua obtulit, ut in fine, opera ſua edita recenſens, his verbis adnotat: *Ego Gennadius Maſſiliæ presbyter ſcripſi adverſus omnes hæreſes libros octo, & adverſus Neſtorium libros ſex, adverſus Pelagium libros tres, & tractatus de mille annis, & de Apocalypſi Beati Joannis, & hoc opus, & epiſtolam de fide mea miſi ad Beatum Gelaſium urbis Romæ Epiſcopum*. Quo autem tempore, & anno de viris illuſtribus librum Gennadius vulgaverit, tum Gelaſii Pontificatus indicat, cum hæc ejuſdem verba, quæ in Theodulo presbytero adnotat: *Moritur hic ſcriptor ante triennium Regnante Zenone*, cumque anno 491: Zeno Imp. vivere deſierit, hic annus 494. ter-

Gennadi de vir. Illuſt. cap. 91.

tertius erat ab ejuſdem obitu; utcumque res ſit, ſub Gelaſio Pontifice opus ſuum vulgaſſe Gennadium manifeſtum eſt. Quem de fide librum ſuum ad Gelaſium miſiſſe commemorat, eumdem eſſe cum eo, qui de eccleſiaſticis dogmatibus inſcribitur, eruditorum plurimi cenſent, qui Auguſtino olim inſcriptus, Gennadio Maſſilienſi reſtitutus eſt; ex hoc autem opuſculo, & ex Adriani Papæ epiſtola ad Carolum Magnum, qua cum ſanctiſſimis Pontificibus Gennadium Maſſilienſem Epiſcopum Adrianus Papa recenſet, Semipelagiano pulvere expulſo, ad meliorem frugem rediiſſe Gennadium conjicit Baronius, ac inde Maſſilienſem Epiſcopum ordinatum fuiſſe. At ut ibidem cum Pagio adnotant eruditi, Gennadii Epiſcopatus commentitius eſt, presbyter etenim Maſſilienſis fuit, & quidem Semipelagiana fuligine tinctus. *Bar. 490. n. 46.*

7. Semipelagianis vero eouſque favit Gennadius, ut Caſſianum, Fauſtum, Vincentium Lirinenſem in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis impenſe laudaverit, eodemque libro Auguſtini, & Proſperi ſententias ita reprehendit, ut ab hæreſis labe vix immunes eos fuiſſe indicet; hinc de Proſpero: *Proſper homo Aquitanicæ regionis; legi & librum adverſus opuſcula ſub perſona Caſſiani, quæ eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nociva &c.* ſic Proſperum, quem Vincentius Lirinenſis criminatorem vocat, hic infamatorem dicit. Graviori adhuc cenſura Auguſtinum vexat, dum de ſanctiſſimo Doctore ſcribit: *Catholicus permanſit tamen, & error illius ſermone multo, ut dixi, contractus, lucta hoſtium exageratus, necdum hæreſis quæſtionem dedit*; quibus verbis gratuitam de prædeſtinatione Auguſtini ſententiam ſugillat. Saniora nihilominus Gennadium in libro de eccleſiaſticis Dogmatibus ſcripſiſſe Noriſius adnotat, quod opus poſt Gelaſii decretum de Scripturis recipiendis, vel rejiciendis edidiſſe addit. Cum etenim accepiſſet, eo in decreto Caſſiani, æque ac Fauſti opuſcula proſcripta fuiſſe, cautior factus, ſtylum ſuum ita temperavit, ut nil quod aperte Pelagianis faveret, ſibi permitteret, librumque ſuum ad Gelaſium Pontificem miſit, quod ſane non feciſſet, ſi eodem cum Caſſiano, & Fauſto Semipelagiano luto adhuc hæſiſſet. De quibus plura apud Noriſium videri poſſunt. Ad librum quoque Auguſtini de hæreſibus quatuor capita addidit Gennadius, nempe de Prædeſtinatiana, qua Auguſtini, ſeu potius catholicæ Eccleſiæ de gratuita

Gennadius Semipelagianorum laudator, & catholicorum obtrectator. Gennad. de viris illuſt. cap. 84.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 16.

Jesu Chr. An. 494.

tuita prædeſtinatione ſententiam ſugillabat, de Neſtoriana, Eutychiana, & Timotheana hæreſi agebat. Prædeſtinatianam tamen hæreſim a Codicibus pluribus abeſſe, ſed tres tantum poſteriores legi adnotarunt eruditi S. Auguſtini editores Maurini. At in aliis Codicibus Prædeſtinatianam cum aliis tribus adjunctam fuiſſe, & antiquitus retentam, teſtis eſt Hincmarus de prædeſtinatione cap. primo. *De hæreſibus S. Auguſtinus doctor mirificus conſcripſit, quibus noviſſime hæreſim Pelagianorum ſubjunxit. Inde Gennadius Maſſilienſis Sacerdos valde doctus, hanc Prædeſtinatianam nonageſimam hæreſim Sectæ Pelagianæ ſuppoſuit; deinde 91. Neſtorianam ec.* ſed de Gennadio hactenus.

De Honorato Maſſilienſ. Epiſc. ejuſque ſcriptis. *Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2.26.*

8. Inter ſcriptores a Gennadio in ſuo de viris illuſtribus libro recenſitos, ultimo loco Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus recenſetur, quem in eadem cum Gennadio ſententia fuiſſe, ut Semipelagianis placitis ſubſcriberet, ſuſpicatur Noriſius. At poſt editum Gelaſii decretum, ad meliora converſus, fidei ſuæ libellum Romam miſit, qui a Gelaſio Papa probatus eſt, ut de eo Gennadius ſcribit: *S. quoque Papa Gelaſius Romanæ urbis Pontifex per ſcripturam agnoſcens ejus fidei integritatem, reſcripto ſuo probatam judicavit.* De eodem autem cum adhuc hoc tempore viveret, eccleſiaſticis officiis intentus, hæc ſcribebat Gennadius: *Honoratus Maſſilienſis eccleſiæ Epiſcopus, vir eloquens, & abſque ullo impedimento ex tempore in Eccleſia declamator, & quia a pueritia in timore Dei creſcens, etiam in negotiis Eccleſiaſticis exercitatus eſt, os ſuum quaſi armarium Scripturarum aperit, & in Homiliarum modum ad utilitatem legentium multa componit, maximeque ad colendam Fidei rationem, & revincendam Hæreticorum perverſitatem. In cujus libera prædicandi conſtantia, non ſolum vicinarum civitatum Sacerdotes, & Populi delectantur, ſed & longe poſiti, cum ad eos neceſſario pergit, ſummam ei docendi in ſuis Eccleſiis rogantes injungunt. Sanctus quoque Papa Gelaſius Romanæ Urbis Pontifex per Scripturam agnoſcens, ejus fidei integritatem reſcripto ſuo probatam indicavit. Sanctorum Patrum vitas ad ædificationem Poſterorum couptat ipſe legendas, præcipue nutritoris ſui Hilarii Arelatenſis Epiſcopi. Letanias ad ſupplicandum Dei clementiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit.* Honorati opuſcula a Gelaſio Papa probata cuncta periiſſe

Gennad. de viris illuſt. cap. ultimo.

Digitized by Google

riiſſe exiſtimavit Baronius; poſt ejus ætatem Hilarii Arelatenſis Epiſcopi vita ab eo ſcripta in lucem prodiit, quam ad diem quintam Maii exhibent Bollandiſtæ; editaque eſt pluries inter S. Leonis Papæ opera, & a Salinas una cum Proſperi vita, ut ibidem videre eſt.

Jesu Chr. An. 494. *Bollanod. tom. 7. Maji.*

Epiphanii Ticinenſis Epiſc. & Laurentii Mediol. ad Theodoricum legatio.

9. Cum Italiæ Regnum, occiſo Odoacre, obtineret Theodoricus, in eos exaſperatus, qui Erulorum partes obſtinate ſecuti fuerant, lege lata ſtatuerat, eos tantum Romano jure uti poſſe, qui ſibi faciles dederant: *Illos vero, quos aliqua neceſſitas diviſerat, ab omni juſſit, & teſtandi, & ordinationum ſuarum, ac voluntatum licentia ſubmoveri*. Cumque hujus legis atrocitate Liguria præcipue affligeretur; harum regionum gentes Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum rogarunt, ut legationem pro eis apud Theodoricum Regem ſuſciperet, qui, adjuncto ſibi Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo, Ravennam pergens, non ſolum petita obtinuit, ſed ab eodem Theodorico Rege, una cum Victore Epiſcopo Taurinenſi, ad Gundebadum Burgundionum Regem, alioſque Galliarum Principes miſſus eſt, ut Italorum plurimos, quos in ſuis excurſionibus in Italiam captivos duxerant, redimeret. Rem geſtam fideliter quidem, ſed longiori ſtylo perſequitur Ennodius Ticinenſis Diaconus in vita S. Epiphanii, ac primo longam Epiphanii orationem ad Regem habitam refert, qua commemoratis beneficiis a Deo acceptis, ad clementiam irati Regis animum inclinavit. Quare Theodoricus, *virum illuſtriſſimum Urbicum, qui Ciceronem eloquentia, Catonem æquitate præceſſerat*, vocavit, eique præcepit, ut generalis indulgentiæ pragmaticum publicaret, quo legem antea latam adverſus Æmiliæ, & Liguriæ populos retractavit, paucis tantummodo bellis incentoribus exceptis, quos nihilominus exilio tantum mulctavit. Sed de hac legatione Epiphanii hactenus.

Epiphanii Epiſc. Ticin. & Victoris Taurin. legatio ad Gundebadum;

10. Hac legatione celebrior eſt altera, quam ipſius Theodorici Regis juſſu, una cum Victore Taurinenſi Epiſcopo, idem Epiphanius Ticinenſis obivit, ut ſcilicet Italiæ colonos in Gallias a Burgundionibus ductos, captivoſque retentos redimeret, cui Theodoricus ipſe pro eorum redemptione pecuniam dedit. Ea itaque accepta, menſe Martio: *Cum glaciales fluminibus frænos imponeret, & cana nivibus juga Alpium tranſituris minaretur exitium*; eo itaque menſe iter in-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 494.

ingreſſus cum Victore Epiphanius, ſuperatis alpibus, Lugdunum ingreditur, cui Ruſticus ejuſdem civitatis Epiſcopus, & Regi fidiliſſimus obviam fuit. Ad Ruſticum Lugdunenſem Epiſcopum extat Gelaſii Papæ epiſtola octavo Kal. Febr. data Aſterio & Præſidio Coſſ. eamqne tomo quinto Spicilegii vulgavit Dacherius, qua hoc anno eam legationem Epiphanium ſuſcepiſſe ſcimus. Ait enim in ea S. Pontifex: *Frater noſter Epiphanius, qui ad gentis ſuæ relevandos, & redimendos captivos, ad partes veſtras deſtinatur, fraternitatem tuam certiorem faciet, quantam ob impiiſſimi Acacii cauſam perſecutionem ſuſtinemus*. Conſtituto die, quo Epiphanius ad Regem admitteretur, ad Gundebadum ſermonem faciens, *Certate*, inquit, *invictiſſimi duces, & alterutrum vos exequendo, præcepta myſtica ſuperate. Redimere cupit ille captivos, tu ſine prætio redde genitalibus glebis*. Ubi longa oratione peroravit Epiphanius, Gundebadus vocato Laconio, quem & avorum conſulatus & virtutes propriæ ad magnas dignitates promoverant, imperat, Italos omnes, qui ſponte, ſive captivitatis metu, ſive famis neceſſitate Burgundiorum in ditionem tranſierant, gratuito reddi: qui vero a militibus facto impetu capti fuerant, ſoluto pretio dimitti. Ad liberandos LiguresGallorum plurimi pecuniam dederunt, ex his Avitus Viennenſis Epiſcopus, illuſtriſque matrona Syagria, quæ ab Ennodio theſaurus Eccleſiæ vocatur. Genevam quoque properavit Epiphanius, quam frater Gundebadi Godiciſclus incolebat, qui fraternum exemplum imitatus, Ligures libertati ſuæ reſtituit. Sic pluſquam ſex millia animarum terris propriis redduntur. Conſtat, *quadringentos homines die una de ſola Lugdunenſi civitate ad Italiam fuiſſe admiſſos*, qui turmatim liberatorem ſuum Epiphanium ſequebantur, ut glorioſiſſimi triumphi ſpeciem ſpectantibus exiberent, dum Ticinum rediit, ut in vita ejus narrat Ennodius itineris ſocius.

Dacher. ſpicileg. tom. 5.

Theodoricus catholicis favet.

11. Hæc quidem laude digna Regni ſui initio egit Theodoricus, relaxans reos, redimenſque captivos, ſic ſibi animos concilians ſubditorum: adjecit autem, quod licet Arianus eſſet, Catholicis bene uſus eſt, non tantum nihil negotii illis more hæreticorum faceſſens, ſed etiam omni officiorum genere proſequens, ita ut ægro animo indignoque ferret, ſi quis in ejus gratiam e Catholica fide ad Arianam ſectam, cujus ipſe cultor erat, tranſiret; quod illuſtri confir-

firmat exemplo Nicephorus, dum Miniſtro quodam ſuo caput amputari juſſit, eo quod catholica abjecta fide, ad Arianam ſectam tranſiſſet. Ajebat quippe Theodoricus Rex: *Si Deo fidem non ſervaſti, quomodo mihi, qui homo ſum, conſcientiam ſanam præſtabis.*

JESU CHR. AN. 494. *lib. 16. 35.*

12. Hoc eodem tempore, ſub Anaſtaſio Imperatore, Olympius quidam Arianorum perditiſſimus, cum in S. Trinitatem verbo, & manu blaſphemaſſet, ad aliorum exemplum, pœnas dedit, ut Theodorus lector in fragmentis ſuis refert: *Sub eodem Conſulatu*, ideſt Joanne Schytha, & Paulino Coſſ. ut adnotat Victor Tunonenſis, rem ipſam compendioſe narrans, ideſt ad annum 498. *Sub eodem conſulatu, quinto ac viceſimo die menſis Decembris, miraculum horrendum prorſus, & inuſitatum accidit; & quod cunctis audientibus ſtuporem incutiat. Quidam enim, Olympius nomine, juxta equum ambulatorem Eutymii Arianorum Epiſcopi incedere ſolitus, cum eſſet in lavacro Palatii Helenianarum in cella Tepidaria, & quoſdam ex lavantibus fidem Conſubſtantialis laudantes animadvertiſſet, hæc quæ ſequuntur, protulit verba. Quidnam vero eſt Trinitas, aut quo in pariete minime depicta eſt? Simul apprehenſis virilibus; Ecce ego quoque Trinitatem habeo. Adeout omnes qui illic aderant, commoti illum interficere vellent. Sed ne id facerent prohibiti ſunt a quodam Magno, Eccleſiæ ſanctorum Apoſtolorum presbytero, viro admirabili, Deique cultore ſtudioſiſſimo, qui in ambitu Palatii repertus ipſis affirmavit, quod vir ille nunquam ſubterfugiturus eſſet juſtitiæ oculum, cuncta ſpectantem, & diligentiſſime annotantem. Cum igitur hominem reveriti, tumultum compreſſiſſent, ſurrexit Olympius, & aquæ callidæ ſolio, ut moris eſt, uſus, ad frigidæ aquæ piſcinam ingreditur, quæ aquas excipit ex fonte, qui oritur in medio venerandi altaris ſanctæ Eccleſiæ Protomartyris Stephani, olim ab Aureliano viro ſummis Magiſtratibus functo exſtructæ. Ex quo fieri exiſtimo, ut aqua illa haudquaquam expers ſit divinæ Providentiæ. In hanc ille cum deſcendiſſet, confeſtim egreſſus eſt, clamans, Miſeremini mei, miſeremini. Et carnes ſuas ſcalpens, ab oſſibus avellebat. Tunc vero amici, qui circa illum erant, eum compredenderunt, & linteo involutum, in cubili collocarunt pene exanimem. Deinde hominem interrogarunt, quidnam ei contigiſſet. Quibus Olympius hæc reſpondit. Vidi hominem candidis indutum ve-*

Olympius Arianus blaſphemiæ dat pœnas.

Tom. 5. hiſt. Euſebii inter fragmenta pag. 532.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 494. *veſtibus, qui ſupra me ſtans in piſcina, tres ſciclas aquæ callidæ mihi ſuperfudit, ita dicens: Noli impie loqui. Poſt hæc ejus neceſſarii cum illum in lecticam impoſuiſſent, in aliud balneum tranſtulerunt, quod erat vicinum Eccleſiæ Arianorum. Sed cum eum ex linteo, quo involutus erat, eximere vellent, cunctas ejus carnes dilacerarunt. Ea res per univerſam fere regiam civitatem divulgata eſt.* Hunc porro Olympium, abjecta Conſubſtantialis fidei profeſſione, Arianorum baptiſma ſuſcepiſſe addit; cujus infelicem exitum in tabula pingi, ac ſupra piſcinam exponi Anaſtaſius Imp. juſſit, ac eorum, qui miraculi teſtes fuerant, nomina inſcripta ſunt. Ejuſdemque argumenti aliud addit miraculum, quo incurabili morbo affectus eſt Palatii Helenianarum curator, & balneorum cuſtos Arianæ ſectæ, eo quod tabulam inde dimovere tentaverit. At de his hactenus.

Gundabundus Vandalorum Rex catholicorum eccleſias aperiri permittit.

13. Inter hæc Africanæ eccleſiæ, longa perſecutione vexatæ, Gundabundi Regis indulgentia, reſpirare aliquatenus conceſſum eſt. Nam Gundabundus Traſamundi Regis ſucceſſor, Eugenium Carthaginenſem, alioſque Epiſcopos ab exilio revocavit, eccleſiaſque catholicorum aperiri permiſit. Hinc erroris convincitur Procopius, dum Gundabundum *Chriſtianos imitatione ſuorum, ſuppliciis etiam majoribus affeciſſe ſcribit*, falſo quoque eum cito e vita ereptum, ob inſtauratam in catholicos perſecutionem, ut tradit Baronius, quem potius catholicis faviſſe auctor fragmenti Auguſtani ad Proſperi chronicon narrat his verbis: *Gundabundus tertio anno Regni coemeterium S. Martyris Agilei apud Carthaginem catholicis dari præcepit, Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo jam de exilio revocato. Decimo autem anno regni ſui Eccleſias Catholicorum aperuit, & omnes Dei ſacerdotes, petente Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo, de exilio revocavit.* Labente anno id beneficii in Chriſtianos collatum eſſe, eodem codice monemur: *Ex die ſeptima Idus Februarias uſque ad decimum annum Gundabundi in diem quartam Auguſti completi ſunt anni decem, menſes ſex . . . Qui memoratus Gundabundus Rex poſtmodum vixit annos duos, menſem unum.* Codicis auctoritatem firmat Hermanus Contractus: *Gundabundus Rex Vandalorum, perſuadente Eugenio Epiſcopo, tandem poſt decem annos, omnes catholicos Epiſcopos de exilio revocavit, & diu clauſas Eccleſias, pace reddita, aperuit.* Et ad an-

Digitized by Google

annum, quem Domini 496. vocat: *Gundabundo rege defuncto, Thraſimondus 26. pauloplus annis regnat pro eo. Qui item Catholicis infeſtus, Eccleſias poſt aliquot annos clauſit.* Quod ſi a Thraſimundo clauſæ ſunt Eccleſiæ, conſequens eſt, apertas etiamnum fuiſſe, cum fata Gundabundus implevit: ac quæ de ipſius perſecutione narrantur, commentum eſſe, quo Optimi Principis fama læditur. Nihilominus infenſos ſibi Arianos catholici experiebantur, qui Regis ad arbitrium non ſe ſe componentes vexabant. Cumque Eugenium Carthaginenſem Epiſcopum, apud Albigenſem Galliarum urbem exilio deportatum, ibique vitæ ſuæ finem habuiſſe tradat Gregorius Turonenſis, de altero Eugenii exilio ſub Traſamundo, Gundabundi ſucceſſore, intelligenda hæc ſunt, ut ad rem noſtram adnotat Noriſius lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 21. pag. 518. edit. Veronenſis.

JESU CHR. AN. 494.

Greg. Turon. lib. 2. 3.

14. Hoc anno, *poſtquam Saluſtius, obtenta ſede Hieroſolymorum, per octo annos, menſeſque tres in Chriſto dormiſſet, menſe Julio, 23. die, indictione ſecunda, Elias in Patriarchatu ſucceſſit, quinquageſimo ſexto Beati Sabæ ætatis anno*, inquit Cyrillus monachus in vita S. Sabæ Abbatis cap. 31.; cumque S. Sabas Theodoſio Coſſ. XVII., ideſt anno 493., ut idem Cyrillus adnotat, natus eſſet, quinquageſimus ſextus ejuſdem ætatis annus cum labenti 494. concurrebat, aut cum inſequenti 495., quo Elias, Saluſtio e vivis ſublato, Hieroſolymorum Epiſcopus, ſeu Patriarcha eſt ordinatus. Hic autem Elias in Arabia ortus, ex monte Nitriæ profectus, Eutymio monachorum celeberrimo ſe ſe excolendum tradiderat. Eo autem relicto juxta Hierichuntem, ubi cellam ædificaverat, tranſiit, quo cum eſſet, ab Saluſtio Hieroſolymorum Patriarcha presbyter ordinatus eſt, circa annum 490., labentique anno juxta Euthymii prædictionem, Jacobi ſedem, ſeu Hieroſolymitanam obtinuit, quam per annos vigintitres retinuit. In eo tamen nulla ratione excuſandus, dum ex Sidonienſi ſynodo ad Anaſtaſium ſcripſit, ſe Chalcedonenſia geſta non admittere, *propter ſcandala inde exorta*; at eam labem ſatis abunde paulo poſt diluit, cum catholicæ Fidei defenſor accerrimus evadens, exilium pro ea tuenda paſſus eſt. Quem etiam multarum virtutum cultorem maximum fuiſſe, & præſertim inſignis temperantiæ narrat Sophronius, ſive auctor Prati Spiritualis

Elias poſt Saluſtium Hieroſolym. Epiſcopus ordinatur.

apud Cotelér. monumenta eccl Græ. tom. 3. pag. 262.

Eliæ Hieroſoly. Epiſc. vitæ breviarium.

Euthymii vita n. 95. Cotel. tom. 2. pag. 279.

Jesu Chr. an. 494. tualis cap. 35. *Dicebat Abbas Policronius de Abbate Elia Archiepiſcopo Hieroſolymorum, quod vinum non biberit monachus cum eſſet, nec poſtquam factus eſt Patriarcha, ſed eamdem ſervaverit regulam.* Sed de Elia hactenus, de quo inferius ſermo redibit.

JESU CHRISTI an. 495. Gelasii Papæ 4.
Anastasii Imp. 5. Theodorici Italiæ Regis 3. et 7.
Coss. Viatore, Absque collega.

Gelaſii Papæ epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ.

tom. 4. concil. pag. 1199.

1. Hoc Chriſti anno 495. Viatoris conſulatu, ut in faſtis Caſſiodori, ac Marcellini, Gelaſius Papa alteram ad Dardaniæ Epiſcopos epiſtolam dedit, ut Orientales Epiſcopos ſedi Apoſtolicæ communicantes in officio contineret, eoſque ab ineunda cum Euphemio CP. Epiſcopo communione revocaret; cum etenim obſtinatus in Acacii communione perſiſteret Euphemius, ejuſque nomen in dypticis retineret, multa in vulgus ad conflandum adverſus Rom. eccleſiam, & Gelaſium Pontificem ſpargere non ceſſabat, quaſi injuſte Acacius damnatus fuiſſet. Quare ne iis commoverentur, Dardaniæ Epiſcopos, unaque cum iis ceteros Orientalis Imperii. Epiſtola ſua admonuit Gelaſius his verbis: *Valde mirati ſumus, quod dilectio veſtra, quaſi novam ac difficilem quæſtionem, & adhuc tanquam inauditum quidpiam noſſe deſiderat, quod Eutychianæ peſtilentiæ communicatores, non habentes, quod pro ſuæ perditionis obſtinatione reſpondeant, frequenti jam ratione convicti.* Aliis ſcilicet litteris a Felice deceſſore ſuo, & a ſe ipſo ſcriptis. Quia vero id præcipue Euphemius, ceterique Acacii patrocinatores regerebant, *Acacium non jure damnatum; quod non ſpeciali ſynodo videatur fuiſſe dejectum*; hinc quamplurimos, abſque ſynodo, ab Apoſtolica ſede reſtitutos olim fuiſſe Gelaſius demonſtrat, exemplisque confirmat, quos Synodus Orientalis dejecerat: ex his Joannem Chriſoſtomum, quem CPolitana Synodus damnaverat, ſedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſerat, abſolvit. His addit geſta in cauſa Flaviani, quem etiam ab Orientalibus Epiſcopis damnatum, ſola ſedes Apoſtolica ſuæ ſedi reſtituit. *Potiuſque, qui illic receptus fuerat, Dioſcorum ſecundæ ſedis Præſulem, ſua auctori-*

ritate damnavit, & impiam Synodum non conſentiendo ſubmovit: ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decrevit, in qua Pontificibus innumeris, qui Latrocinio corruerant Epheſino, veniam poſcentibus ſola conceſſit, & in ſua perfidia permanentes nihilominus ſua auctoritate proſtravit: quam congregatio, quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, eſt ſecuta. Quoniam ſicut id, quod prima ſedes non probaverat, conſtare non potuit, ſic quod illa cenſuit judicandum, Eccleſia ſuſcepit &c. Hæc, atque alia Gelaſius, illa adducens exempla, quæ non in angulis facta eſſent, ſed in ſummis cauſis, toto Orbi perſpicuis, omniumque ſententia comprobatis. Poſt nonnulla rejicit, quod ab Euphemio ſtulte admodum inculcatum fuerat, dum ratione regiæ dignitatis prærogativas ſedium expenderet, atque ſibi primatum ſupra Orientales Eccleſias vindicaret, quod Regia Urbs CP. eſſet. Unde: *Riſimus autem* (inquit) *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ Civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros, multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquid nam harum urbium ſacerdotes, ultra menſuram ſibimet antiquitus deputatam, quidpiam ſuis dogmatibus uſurparunt*, & ut Euphemii ſuperbiam deprimeret, vix inter Metropolitanos CP. Epiſcopum recenſeri poſſe adnotat. *Si certe de dignitate agitur civitatum, ſecundæ ſedis, & tertiæ major eſt dignitas Sacerdotum*, Alexandrinæ ſcilicet, & Antiochenæ, *quam ejus civitatis, quæ non ſolum inter ſedes minime numeratur; ſed nec inter Metropolitanorum jura cenſetur*. Denique anathemate eos damnat, qui ab Acacii communione recedere recuſabant, ac ut ceteris per Orientem Epiſcopis hæc nota redderentur, Dardaniæ Epiſcopos rogat. *Recte autem faciet veſtra dilectio*, ait Gelaſius, *ut iſta quæ ſcribimus, pariter catholicis, & contraria ſapientibus innoteſcant, quo & ſanis neceſſaria firmitas, & male ſanis competens medicina præbeatur. Data Kal. Febr. Viatore VC. Coſſ.* Hæc, & alia Gelaſius omnium eccleſiarum ſollicitudinem gerens, quæ etſi ſuum nequaquam ſortita ſint felicem exitum, muneri tamen ſuo S. Pontifex non defuit. Euphemius vero Felici, & Gelaſio Pontificibus obſtinate reſiſtens, ac in Acacii communione perſeverans, Anaſtaſii Imp juſſu, exilio mulctatus, obſtinationis ſuæ pœnas dedit, ut infra dicturi ſumus. Nunc cetera a Gelaſio Pontifice geſta perſequimur.

Jesu Chr. an. 495.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 495. Rom. ſynodus Miſenum abſolvit.

2. Hoc quippe anno, tertio idus Maii, Gelaſius Papa Romæ ſynodum habuit, qua Miſeni Epiſcopi, qui alias, cum legationem pro ſede Apoſtolica, una cum Vitale, obiiſſet, cum Acacio communicaverat, ob idque ſua ſede dejectus ac excommunicatus cum Vitale fuerat; Miſeni inquam cauſa agitata eſt, ac in ſuam ſedem, eccleſiæque communionem, reſtitutus fuit, ut ejuſdem ſynodi acta teſtantur, quorum hæc ſumma eſt. Aderant ſynodo Epiſcopi quinquaginta quinque, ſi titulo fides habenda ſit; at trium & quadraginta nomina tantum leguntur. Aderant & Presbyteri 58. nec non Diaconi, qui ſolito more ſtabant. Libellum obtulerat Miſenus Cumanus Antiſtes, qui ad citandum Acacium a Felice miſſus fuerat, hæc complectentem. *Datum a famulo veſtro Miſeno, die Octavo Iduum Martiarum, Viatore V. C. Coſ. Quantum ad me pertinet infelicitatis, errori meo qualibet ratione contracto definio non eſſe parcendum.* Pontificis nihilominus clementiam his verbis imploravit: *Duo ſunt, quæ me ad hoc ſuppliciter implorandum venire conſtringunt; ne vel ego deſperatione magis perpetuis cruciatibus ſim dignus addici, Judæ prævaricatoris exemplo, & quia tanta eſt ineffabilis illa clementia, quæ Apoſtolica poteſtate univerſum facinus poſſit abſolvere. Hanc igitur ſolam meo negotio, Papa venerabilis, vocem miſerandus effundo: parce proſtrato, porrige manum jacenti.* Ubi libellus ab Anaſtaſio Diacono lectus eſt, Miſenum Gelaſius adeſſe juſſit. Poſtquam ingreſſus eſt, proſtratus in terram, ſupplicem libellum obtulit datum 14. Idus Martias, in quo verba hæc continebantur: *Toto orbe, atque ore proteſtor, ſub divinæ contemplationis intuitu, me omnes quidem hæreſes, & quidquid inimicum eſt Catholicæ & Apoſtolicæ fidei, communioniſque ſinceræ, propria mente refutare, tum præcipue Eutychianam hæreſim, cum ſuo ſcilicet auctore Eutychete, & ejus ſectatore Dioſcoro, vel ſucceſſoribus ejus, atque communicatoribus, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio CP., Petro Antiocheno, cunctiſque eorum complicibus, & communicatoribus reſpuere, damnare, & anathematizare perpetuo.* Lecto libello, dixit Gelaſius: *Quid videtur fraternitati veſtræ ſtatuendum, veſtri quoque conſilii participatione deſideramus agnoſcere. Tum levaverunt ſe omnes Epiſcopi, & Presbyteri, rogantes & dicentes: Exaudi Chriſte, Gelaſio vita, dictum vicies. Quod vobis Deus dedit in poteſtate, præſtate, dictum duode-*

pag. 1269.

Digitized by Google

decies &c. Abſolutionis ergo ſententiam dixit Pontifex. *Profeſſus ergo Miſenus regulariter ſe omnes hæreſes, Eutychianam præcipue cum Eutychete, Dioſcoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio CP., Petroque Antiocheno, vel cunctis eorum ſucceſſoribus, ſectatatoribus, & communicatoribus deteſtari, eoſque anathemate ferire perpetuo, communionis Apoſtolicæ, & Sacerdotalis gratiam, quam catholica traditione percepit, recipiet dignitatis.* Sententia pronunciata, omnes Epiſcopi, & Presbyteri clamaverunt: *Exaudi Chriſte, Gelaſio vita, dictum quindecies; Domine Petre, tu illum ſerva, dictum duodecies &c.* Si quæratur, cur eadem indulgentia Vitalem Gelaſius non fuerit proſecutus; ratio eſt, quod naturæ jam ſatisfecerat, teſte Gelaſii ad Synodum oratione: *Tulerit Vitalis ſortem divini judicii, cui etiam cum magnopere vellemus, non potuit ſubveniri: huic ſaltem proſint, dum copia viventis admittit.*

Jesu Chr. an. 495.

3. Interea hoc eodem anno Euphemius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, etſi Romanæ eccleſiæ communionem hactenus reſpuiſſet, & in Acacii defenſione obſtinatiſſime perſeveraſſet, ejus nomen in dypticis retinens, ab Anaſtaſio tamen Imperatore *Accuſatus atque damnatus in exilium ductus eſt*, ait Marcellinus ad hunc annum, in cujus locum Macedonius ordinatus eſt. Euphemius quidem, ſi ab Acacii communione receſſiſſet, ejuſque nomen e dypticis eradi juſſiſſet, ut eidem ſuadere conatus eſt Gelaſius Papa, innocens ſane, & catholicus fuiſſet, cum ſynodum Chalcedonenſem veneraretur, quam etiam habita ſynodo confirmaverat, ut narrat Victor Tunonenſis in chronico ad annum 492. his verbis: *Euphemius CP. Epiſcopus Anaſtaſii Imp. calliditate prævisa, ſynodum congregat, ac Synodi Chalcedonenſis decreta confirmat.* At Iſauricum bellum, quod fervebat, graves indignationis cauſas, ſeu potius prætextus, adveſus Euphemium Anaſtaſio Imp. dedit, quas ſingulatim Theodorus lector commemorat. Cum etenim Imperator tanti belli moleſtiis pertæſus, Euphemio juſſiſſet, ut una cum Epiſcopis, qui in urbe regia erant, pro Iſauris intercederent, ut honeſtam cum iis pacem facere poſſet, *Euphemius vero verba Anaſtaſii retulit Joanni Patricio, qui ſocer erat Athenodori, unius ex Principibus Iſaurorum. Ille confeſtim accurrens, cuncta Imperatori nunciavit. Ea res Anaſtaſium Euphemio*

Euphemius CP Epiſc. in exilium ejicitur;

Theodor. lib. 2. pag. 517.

JESU CHR. AN. 495. mio *infenſum reddidit*. Hinc apertæ adverſus Euphemium ſtruuntur inſidiæ, ita ut, miſſo ſicario, caput eidem amputari juſſerit Imperator. Verum Paulus defenſor eccleſiæ, vulnus pro Euphemio excipiens, periculum ſubiit, ac Sicarium vir quidam eccleſiaſticus interfecit. Quare Anaſtaſius Imperator congregavit Epiſcopos, *qui tum CPoli morabantur. Illi cum Imperatori gratificari ſtuderent, excommunicationis, ac depoſitionis ſententiam in Euphemium tulerunt; Imperator vero Macedonium quemdam CP. eccleſiæ Presbyterum, & vaſorum cuſtodem, ad Epiſcopatum promovit, & populus quidem Euphemii gratia ſeditionem excitavit. Poſtea etiam ſupplicando cucurrit ad Circum. Verum nihil hoc eis profuit.* Vicit enim Imperatoris pertinacia, ait Theodorus, eademque Theophanes in chronico. Sacerdotalibus itaque veſtimentis exutus Euphemius, Ancyram Galatiæ exulare cogitur, ubi uſque ad annum 515. vitam retinuit, uti narrat Victor in chronico.

pag. 518.

Macedonius in Euphemii locum CP. Epiſc. ordinatus quis eſſet. *Theodor. pag. 518.* *Bar. 495. n. 24.*

3. In Euphemii locum Macedonius ordinatus eſt, qui eodem Theodoro teſtante, *Imperatoris ſuaſu, ſubſcripſit Zenonis Henotico, ideſt unitivo edicto*; quem etiam ſummæ abſtinentiæ, & ſanctitatis virum fuiſſe addit, ac Gennadii CP. Epiſcopi nepotem. Hunc quidem Zenonis Henotico ſubſcripſiſſe negat Baronius, ac falſi poſtulat Theodorum, eo quod in vita S. Sabæ narret Cyrillus, catholicam fidem eum ſervaſſe, cum quo etiam Elias Hieroſolymorum Epiſcopus communionem iniit; at non ſatis diſtinxit Annalium Parens, plurimos hoc tempore viros, eoſque in eccleſia Orientali celeberrimos, & catholicam fidem prædicaſſe, & œconomia quadam uſos, aut Zenonis Henotico ſubſcripſiſſe, aut Chalcedonenſem etiam ſynodum ſilentio præteriiſſe. Ceterum Macedonium Henotico, ſeu unitivo decreto ſubſcripſiſſe, non ſolum Theodorus lector adnotavit; ſed etiam Evagrius, & Liberatus idem indicant. Rogatus etenim Macedonius a Xenaja hæreticorum perditiſſimo, & ſociis, ut fidei libellum ſibi daret, ille eam quidem expoſuit: *Affirmans ſe trecentorum, & octodecim SS. Patrum, & 150. fidem ſolam noſſe; Neſtorium vero, & Eutychen anathemati ſubjiciens, eoſque, qui duos filios, aut duos Chriſtos aſſerunt, aut qui naturas dividunt, nulla tamen mentione facta nec Epheſinæ Synodi, quæ Neſtorium depoſuit, nec Chalcedonenſis, in qua depoſitus eſt Eutyches. Quod cum ægre ferrent monaſteria, quæ*

Evag. lib. 3. 31.

erant

erant circa CPolim, a communione Macedonii Epiſcopi deſciverunt; quibus ſane conſtat dubiæ ſaltem fidei fuiſſe Macedonium. Liberatus etiam de Joanne Machiota Alex. Epiſcopo Eutychiano narrat, quod cum ab Imperatore rogatus eſſet, ut cum Macedonio CP. Epiſcopo communionem iniret, reſpondit Joannes, ſibi non ſufficere, quod unitivo decreto ſubſcripſiſſet; *cum non anathematizaret ſynodum*, ideſt Calcedonenſem. Tractu autem temporis, ab Imperatoris quoque gratia excidit Macedonius, ſuaque ſede pulſus eſt, uti anno 511., Felice & Secundino Coſſ. dicturi ſumus.

JESU CHR. AN. 495. *Liber. brev. cap. 18., pag. 128.*

JESU CHRISTI AN. 496. ANASTASII PAPÆ 1.
ANASTASII IMP. 6. THEODORICI REGIS 4. ET 8.
COSS. PAULO ABSQUE COLLEGA.

1. Hoc Chriſti anno, Gelaſius Papa, cum annos quatuor menſes octo dies 28. Romanam eccleſiam adminiſtraſſet, 13. Kal. Decemb. vivere deſiit, ac undecimo Kal. ſepultus eſt, ut veteres Rom. Pontificum catalogi indicant. Antequam vero moreretur, quam hactenus pro catholica fide tuenda, ac eccleſiæ diſciplina ſarcta tectaque ſervanda, ſollicitudinem geſſerat, illuſtriori adhuc facinore comprobavit; nam congregata Romæ ſynodo Epiſcoporum ſeptuaginta, eccleſiaſticorum librorum, quos Romana eccleſia, aut tanquam canonicos, aut ad fovendam pietatem utiles vel recipiebat, vel reſpuebat, pretioſum a vili ſecernens, decretum vulgavit, in quo poſt recenſitos Canonicos libros, tam veteris, quam novi teſtamenti, de primatu Romanæ Eccleſiæ, & aliarum Patriarchalium Eccleſiarum juribus, ad reprimendam Conſtantinopolitanorum Antiſtitum præſumptionem, & audaciam infringendam, qua ſe Acacius adverſus Romanam Eccleſiam proterve nimis erexerat, iſta ſubjecit: *Poſt Propheticas*, inquit, *Evangelicas, atque Apoſtolicas ſcripturas, quibus Eccleſia catholica per gratiam Dei fundata eſt, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis univerſæ per Orbem Catholicæ Eccleſiæ unus thalamus Chriſti ſit: Sancta tamen Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, nullis Synodicis conſtitutis, cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquientis, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adver-*

Concilium Rom. & decretum Gelaſii de libris quos eccleſia recipiebat, vel reſpuebat.

Hieron. 15.

ſus

Digitized by Google

 ſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Cui data eſt etiam ſocietas beatiſſimi Pauli Apoſtoli vaſis electionis: qui non diverſo (ſicuti hæretici garriunt), ſed uno tempore, uno eodemque die, glorioſa morte cum Petro in urbe Roma, ſub Cæſare Nerone agonizans, coronatus eſt. Secunda autem ſedes apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco ejus diſcipulo & Evangeliſta conſecrata eſt. Tertia apud Antiochiam ejuſdem beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis, ubi etiam primo nomen Chriſtianorum exortum eſt. Quatuor deinde Oecumenicas ſynodos, Nicænam ſcilicet contra Arium, CPolitanam, qua damnatus eſt Macedonius, Epheſinam, & Chalcedonenſem contra Neſtorium, & Euthychetem habitas, ſumma cum veneratione ſuſcipiendas eſſe jubet. Ad finem vero damnationem inſerit omnium hæreſiarcharum, & ſchiſmaticorum nomen, inter quos adnumerat recentiores hæreticos poſt Eutychetem, atque Dioſcorum, duos Petros, Alexandrinum, & Antiochenum, atque ad poſtremum recenſet Acacium eadem anathematis ſententia ligatum: quæ ſane hoc anno, in Romana ſynodo Gelaſium vulgaſſe, Pagius, aliique adnotant; non vero anno 494. ut in vulgatis conciliorum editionibus legitur, ubi hoc Rom. concilium, conſulatu Aſteri, & Præſidii notatum eſt: quam notam aliena manu inſertam fuiſſe, multis conjecturis nota 6. & 7. ad dictum annum confirmat Pagius, cui Baſnagius ſubſcribit.

Gelaſiani decreti veritas vindicatur.

2. Gelaſiani decreti antiquiſſimum exemplar ex Florentino Codice vulgavit Joſeph Blanchini Oratorii Rom. Presbyter. An autem celeberrimum Gelaſii decretum eidem inſcribi debeat, eruditorum plurimi dubitant, cum in veteribus Codicibus, aut Damaſo, aut Gelaſio, aliquando etiam Hormiſdæ inſcriptus legatur, neque apud coævos auctores mentio occurrat. Quamobrem tanquam de re dubia librorum canonicorum, eccleſiaſticorum, & Apocryphorum indicem in ſynodo ſeptuaginta Epiſcoporum, Gelaſium ediſſe vulgo creditur, ait Natalis Alex. ſeculo quinto capite ſecundo, articulo decimo. Illud tamen, aut Gelaſium vulgaſſe, aut Damaſum Papam poſt auctum etiam confirmaſſe, adnotat Dupinius in Gelaſio Papa, ſeculo quinto pag. 649. Et ſane, quæ ad convellendam Gelaſiani decreti auctoritatem a Pearſonio, Caveo, aliiſque proferuntur, tanti non ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ut huic opinioni, quæ vulgatum de libris recipiendis, vel rejiciendis decretum Gelaſio ab antiquis temporibus, ac a ſeculo ſaltem octavo inſcribitur, fidem elevare poſſint, quin litem de eo decreto motam ſe facile dirimere poſſe ſcribit Pagius, apud quem plura lector videre poteſt, ad annum 494, nota 2, & ſeqq. ad 8. JESU CHR. AN. 496.

3. Gelaſii Papæ ſcripta recenſens Gennadius, hæc adnotat: *Gelaſius urbis Romæ Epiſcopus ſcripſit adverſus Eutychetem, & Neſtorium grande & præclarum volumen, & tractatus diverſarum ſcripturarum, & ſacramentorum limato ſermone, & adverſus Petrum, & Acacium ſcripſit epiſtolas, quæ hodie in eccleſia tenentur catholica: Fecit hymnos in ſimilitudinem Ambroſii Epiſcopi*. Alia etiam extat epiſtola, ſive tractatus, in quo Simplicii, & Felicis prædeceſſorum ſuorum auctoritate & exemplo, jure meritoque Timotheum Elurum, & Petrum Alex. Epiſcopos hæreticos damnatos fuiſſe probat, ejuſdemque argumenti eſt epiſtola altera ad Orientales, qua ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate, & conſenſu, Acacium abſolvi non potuiſſe demonſtrat. His decem epiſtolarum fragmenta ſubuectuntur, in quibus varia pertractantur argumenta; deinde tria Gelaſii opuſcula ſequuntur, quorum primo de Anathematis vinculo agit, atque cur Chalcedonenſis ſynodi decretum, quo CP. Epiſcopus ſupra ceteros poſt Romanum Pontificem evehebatur, Apoſtolica & Rom. ſedes non reciperet, rationem reddit; nec tamen ſynodi auctoritatem, inde minui demonſtrat, dum ſarcta tectaque ea ſervabantur, quæ circa fidem ſtatuta fuerant; præterea Acacium, ob hæreticorum defenſionem ab Apoſtolica ſede damnatum, & in ſua ſententia defunctum, a nemine abſolvi potuiſſe probat.

De aliis Gelaſii ſcriptis. *Gennad. de vir. Illuſt. cap.* 14.

pag. 1217.

tom. 4. *pag.* 1227. *& ſeqq.*

4. Alter extat Gelaſii liber adverſus Andromacum Senatorem, ceteroſque Romanos, qui Lupercalia Ethnicorum more celebranda eſſe dicebant, eoque Lupercalium ſuperſtitionem damnat, ac Romanas clades non ex Lupercalium intermiſſione accidiſſe probat; ſed ex continuata potius Ethnicorum ſuperſtitione, aliiſque vitiis Romanæ gentis; ad id vero, quod a quamplurimis addebatur, a Gelaſii Prædeceſſoribus, aliiſque Pontificibus, Lupercales ludos Romæ toleratos fuiſſe, hæc appoſite fortiterque Gelaſius adnotat: *Numquidnam, quia ſub primis Præſulibus chriſtianæ religionis ebla-*

Gelaſii liber adverſus Andromacum *pag.* 1234.

tom. 4. *pag.* 1239.

Jasu Chr. an. 496.

ablata non ſunt, ideo ſub eorum ſucceſſoribus tolli minime debuerant? Multa ſunt quæ a ſingulis Pontificibus diverſo tempore ſublata ſunt noxia, vel abjecta. Non enim ſimul omnes in corpore curat medicina languores, ſed quod periculoſius conſpicit imminere, ne aut materia corporis non ſufficiat medicinæ, uta pro conditione mortali, ſimul omnia non poſſit avertere &c. Poſt aliqua: *Ego certe abſolvam conſcientiam meam: ipſi videant, qui juſtis admonitionibus obedire neglexerint: quod etiam prædeceſſores meos forſitan feciſſe non ambigo, & apud Imperiales aures hæc ſubmovenda tentaſſe: & quia auditos eſſe non conſtat, dum hæc mala hodieque perdurant, ideo hæc ipſa imperia defecerunt, ideo etiam nomen Romanorum, non remotis etiam Lupercalibus, uſque ad extrema quæque pervenit. Et ideo nunc ea removenda ſuadeo, quæ cum nihil profuiſſe cognoſco, tamquam contraria veræ religioni, noxia potius extitiſſe pronuntio. Poſtremo, ſi de meorum perſona præſcribendum æſtimas prædeceſſorum; unuſquiſque noſtrorum adminiſtrationis ſuæ redditurus eſt rationem, ſicut etiam in publicis dignitatibus fieri providetis. Ego negligentiam accuſare non audeo Prædeceſſorum, cum magis credam fortaſſe tentaſſe eos, ut hæc pravitas tolleretur, & quaſdam extitiſſe cauſas, & contrarias voluntates, quæ eorum intentionibus præpedirent; ſicut ne nunc quidem vos iſtos abſtinere, inſanis conatibus velle perpenditis.* Tertio demum opuſculo Pelagianam hæreſim, quam epiſtolis ſuis, ut ſupra diximus, ex Dalmatia, & Picena provincia abigere conatus fuerat, ſingulari etiam tractatu confutavit; ac homines ſine omni prorſus peccato vivere non poſſe probat; explicatque locum Apoſtoli: *Vir infidelis ſanctificatur per mulierem fidelem*, myſteriumque Reſſurrectionis declarat.

pag. 1240. *ad Corint. epiſt. 1. 7.*

De Gelaſii libro de duabus naturis, an eidem ſit inſcribendus. *Bar. an. 496. n. 1. ad 8. Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 10. Nat. Alex. diſſert. ſecul. 5. cap. 3. articulo 19.*

5. Inter Gelaſii tractatus nullus celebrior eſt, tum ob argumenti dignitatem, cum ob eruditorum de eo quæſtiones, quam liber de duabus naturis, de quo imprimis magna inter eruditos lis eſt, num Gelaſio Papæ, an alteri Gelaſio, ſive Cæſarienſi, aut Ciziceno ſit inſcribendus. Baronius quidem, Bellarminus, Nat. Alexander, aliique plurimi Gelaſio Ciziceno id opus inſcribendum eſſe dixerunt, conjecturiſque plurimis probare conati ſunt, quod ſcilicet grande volumen, & præclarum contra Eutychianos ſcripſiſſe Gelaſium Papam narrat Gennadius in libro de viris Illuſtribus, quæ ſane libro Gelaſii Papæ nomine in-

inſcripto aptari non poſſunt, eo quod liber paucis paginis conſtet; at grande volumen non magnitudine molis, ſed rationum auctoritatumque præſtantia, quibus duas in Chriſto naturas integras, & inconfuſas probabat, dicere potuit Gennadius. Objiciunt etiam Gelaſium eo in opuſculo, ſi Damaſum Pontificem, & Ambroſium excipias, Græcorum Patrum teſtimonia tantum proferre, Euſebii etiam Cæſarienſis auctoritate uti, cujus opera in ſuo de libris recipiendis, vel rejiciendis decreto inter Apocrypha relegaverat: quod Hyppolitum Epiſcopum, & martyrem, Metropolis Arabiæ fuiſſe dixerit, quem Rom. Pontifex ignorare vix poterat, Portuenſem Epiſcopum fuiſſe. At leviora hæc eſſe Sirmondus, Pagius, Dupinius, aliique cenſent, ac auctoritate S. Fulgentii in libro de quinque quæſtionibus ad Ferrandum confirmant, quo hæc leguntur quæſt. 18. *Hoc etiam Beatæ memoriæ Papa Gelaſius . . . , duas naturas in Chriſto inconfuſas, atque inſeparabiles eſſe confirmat*, ac quatuor loca affert, quæ totidem verbis in Gelaſiano opuſculo continentur. Fulgentium vero Gelaſio coævum, paucis poſt eum annis Epiſcopum Ruſpenſem ordinatum, in ejuſdem libri auctore nominis ſimilitudine deceptum; & Cizicenum Gelaſium Græcum ſcriptorem in Africa vix, ac ne vix cognitum, in Gelaſium Rom. Pontificem commutaſſe credi vix poteſt. Ioannes etiam Rom. Pontifex in epiſtola ad Avienum, ceteroſque Senatores, qua fidem de Chriſti Divinitate, & Incarnatione adſtruit, variiſque teſtimoniis confirmat, Gelaſii locum referens, ſubdit: *Hic igitur evidenter oſtenſum eſt, illuſtres & magnifici filii, quid ſperaverit Imperator, quid Romana ſequatur, & colat eccleſia*. Porro etſi hunc Gelaſium Rom. Pontificem non dixerit, in aperto tamen eſt eum ipſum indicaſſe, cujus opuſcula in Archivio Rom. eccleſiæ ſervata fuiſſe narrat liber Pontificalis, ſeu auctor vitarum Rom. Pontificum apud Anaſtaſium: Gelaſius *fecit libros*, inquit, *adverſus Eutychem, & Neſtorium, qui hodie in bibliotheca, & eccleſiæ archivio reconditi tenentur*. In eam porro opinionem, ut opuſculum illud Gelaſio Romano Pontifici abjudicarent, eo proniores fuerunt eruditi viri, quod ſcirent hetherodoxos Lutheranos, & Calvinianos eo Gelaſii opuſculo abuti, ut tranſubſtantiationem in Euchariſtiæ Sacramento negarent. Hæc tamen tanti non ſunt, ut opus illud Romani Pontificis indignum judicemus,

Jesu Chr. an. 496.
Biblioth. SS. Patrum tom. 8. pag. 700.
Biblioth. PP. tom. 9. pag. 187. Fulgentii op. pag.
Labb. concil. tom. 4. pag. 1753.

Jasu Chr. an. 495.

Bar. 494. n. 8. ad 19. Nat. Alex. ſec. 5. cap. 4. art. 23 §. 2.

De Sacramentario Gelaſii Papæ.

cemus. Nam Baronius, etſi opus illud Gelaſio Pontifici abjudicaverit, hetherodoxorum tamen erroribus nequaquam favere aperte, copioſeque demonſtrat, quod etiam Natalis Alexander, ut ceteros prætereamus, apprime demonſtrat.

6. Codicem quoque ſacramentorum ſcripſiſſe Gelaſium, quo ſacramentorum, & orationum ordinem digeſſerat, auctor eſt Anaſtaſius in ejus vita, quod etiam Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni confirmat, dum addit, Gregorium Gelaſii ſacramentorum ordinem in compendium redegiſſe his verbis lib. 2. capite 2. *Sed & Gelaſianum Codicem de Miſſarum ſolemniis, multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit.* Gelaſii, & Gregorii Magni Miſſalia ſeparatim extabant anno Domini 831. in Abbatia Centulenſi, ſive ſancti Richerii, ut animadvertit eruditiſſimus Bona lib. 1. rerum liturgicarum cap. 25. §. 10. At temporis lapſu Gelaſianus cum Gregoriano confuſus remanſit. Hic vero ab Ugone Menardo primum editus eſt; alter vero, ideſt Gelaſianus, Tomaſii tandem in lucem opera prodiit Romæ anno 1680. Cum vero Joſeph Blanchinius Veronenſis, & Romanæ Congregationis Oratorii Presbyter, ex Veronenſi Codice antiquiſſimum Sacramentarium edidiſſet, illud Leoni Magno inſcripſit, eique revera reſtituendum eſſe, ſingulari diſſertatione demonſtrare conatus eſt Jacobus Acamius Romæ edita 1748. quos conſulat lector.

Anaſtaſius Papa Gelaſio ſuccedit.

7. His geſtis Gelaſius Papa 13. Kal. Decemb. vivere deſiit, cui poſt paucos dies Anaſtaſius ſecundus, *natione Romanus, & patre Petro de regione quinta* in ejus locum ordinatus eſt die 25. Decembris, ſeu die natalis Domini, quod Anaſtaſii Papæ verba ad Clodoveum indicant: *Tuum, glorioſe fili, in chriſtiana fide cum exordio noſtro in Pontificatu contigiſſe gratulamur.* Chriſtianum porro Clodovei natale cum die 25. Decembris hoc anno concurrebat, quæ etiam cum Dominica die conveniebat, ad Epiſcoporum ordinationem aptiſſima. Anaſtaſii autem Pontificatus brevis fuit, quem biennio poſt anno 498. obiiſſe videbimus.

Clodoveus Rex chriſtianam fidem ſuſcipit.

8. In tanto autem catholicæ eccleſiæ luctu, tantoque periculo, cum nullus hoc tempore in toto orbe Catholicus Princeps eſſet; ac Anaſtaſius Imperator, qui ſub catholico nomine Imperium obtinuerat, hæreticorum manifeſtus eſſet

eſſet propugnator, catholicorumque perſecutor; Clodoveus, Francorum Rex, qui hactenus in barbarorum ſuperſtitione, & Idolatria perſeveraverat, Chriſto nomen, ſuſcepto baptiſmate, hoc anno dedit, atque ita chriſtianiſſimorum Regum ſeries uſque ad noſtram ætatem perſeveravit, ad ſeculorum finem, ut ſperare juvat, perſeveratura. In quam rem adnotat merito Baronius, Deum docere mortales, non hominum arbitrio, & humanæ prudentiæ inniti, ſed divino Eccleſiam regi, erigique ſecundum illud propheticum de Domino dictum: *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, ut rurſum adveniat.* Etenim hoc ipſo anno (quis credat?) quo tam denſæ tenebræ ubique terram operiebant, & caligo populos, in Galliis plane divinitus novæ lucis fulgidum ſidus apparuit, cum videlicet Clodoveus ille magnus Francorum Rex, de cujus regni exordio plura ſuperius dicta ſunt, illuſtratione ſacri baptiſmatis filius lucis efficitur: hoc ipſo, inquam, anno, qui ejus regni numeratur decimus quintus, a ſancto Remigio Rhemenſi Epiſcopo ipſum eſſe baptizatum, qui res ab eo geſtas ſunt proſecuti, teſtantur. Quomodo autem Deus, qui de tenebris fecit ſplendeſcere lumen ſuum, ipſe illuxit in corde Francorum Regis, ad illuſtrationem Catholicæ fidei, antiquior ceteris hiſtoricis Gregorius Turonenſis narrat.

9. Nullum tempus Chrotildis Clodovei uxor, nullas præteribat curas, ut Clodoveum ad Chriſti fidem amplectendam excitaret; at fruſtra hactenus vota ejus ceſſerant. Tandem advenit tempus, cum Chriſti favorem, & potentiam expertus, pertinaciam ſuam depoſuit. Ad Tolbiacum in Ubiis cum Alemannis bellum gerebat Clodoveus, cujus exercitus hoſtibus cedere coactus, internecioni jam propior erat. In iis anguſtiis redactus Clodoveus, cum lacrymis, ut ſibi adeſſet, Chriſtum invocavit. *Te nunc*, inquit, *Chriſte invoco, & tibi credere deſidero, tantum ut eruar ab adverſariis meis*; vix hæc dixerat, cum hoſtes terga vertunt, interfectoque Rege ſuo, Chlodovei ditioni ſe ſe ſubjiciunt. Hinc lætus domum reverſus, victoriam ſe, Chriſto invocato, tuliſſe Clothildi narravit; at illa clam Remigium jubet accerſiri, qui pietatis notitia Regem inſtrueret: Remigius autem Regem admonuit, ut relictis numinibus, & lapidibus, quos venerabatur, Orbis Conditorem adoraret. Cui etſi facilem Rex aſſenſum præbuiſſet, quominus tamen baptiſmum ſuſciperet, id unum reſtabat

Clodoveus cum gente ſua baptizatur

Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 30. & ſeqq.

Digitized by Google

 bat, ut Francis ſuperſtitionis ſuæ tenacibus Dei religio infunderetur. Quod præter ſpem facillimum fuit, nam cum ad eos verba Clodoveus feciſſet, Dei præveniente gratia, una voce, & mente clamarunt: *Mortales Deos abigimus, pie Rex, & Deum, quem Remigius prædicat Immortalem, ſequi parati ſumus*. Hæc autem ut Remigio nunciata ſunt, quæ ad ſolemne baptiſmum neceſſaria erant, ſtatim parare juſſit. Quamobrem *Velis depictis adumbrantur plateæ, Eccleſiæ cortinis albentibus adornantur, Baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque Templum Baptiſterii divino reſpergitur ab odore*. Ubi Rex baptiſmum flagitavit, ingreſſo dixit Pontifex: *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendiſti, incende quod adoraſti*. Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, *baptizatus eſt in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, delibutuſque ſacro Chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti*. Tria quoque millia Francorum militum cum ipſo baptiſmate abluta ſunt, una cum ejuſdem Regis ſorore Aboſled, Lanthildis vero ſororum altera, in Arianorum errores delapſa erat; at cum eodem tempore catholicam fidem confeſſa eſſet, ſacro Chriſmate perfunditur. Subita hæc Francorum ad Criſti fidem acceſſio eorum mores eouſque non immutavit, ut antiquæ ſuperſtitionis plurima non retinerent. Nam ſi Procopio fides, hoſtiis adhuc utebantur humanis, vaticiniis ſtudebant, occiſorum corpora, ſeu belli primilias in flumen jacebant, Samaritanorum ſimiles facti, qui vero Deo, & Numinibus ſuis una ſerviebant. Neque falſa Procopius prædicaſſe videtur, cum Gregorius Papa anno 597. ad Brunichildem ſcripſerit de Francis, det operam, *ut Idolis non immolent, cultores arborum non exiſtant &c.*

Gregor. epiſt. lib.

Quo anno, & die, Clodoveus Baptizatus fuerit.

10. Quo anno, & die Clodoveus baptiſmum ſuſceperit, non una eruditorum opinio eſt; nam Baronius, aliique anno 499. id contigiſſe narrant, labenti tamen 496. id factum fuiſſe probat annus decimuſquintus Regni ejus, cumque anno 482. Childerico Clodoveus ſucceſſerit, ultra hunc annum ejus baptiſmus differri non poteſt: quod etiam gratulatoria Anaſtaſii Pontificis epiſtola, ad eum anno ſequenti data, confirmat, cui ſane anno 499. ſcribere non potuiſſet, cum anno 498. e vivis ereptus fuerit. Hæc de anno, quo baptizatus eſt Clodoveus. De die vero adnotamus, Sabbato Sancto in per-

pervigilio Paſchatis eum baptizatum fuiſſe a nonnullis tradi. Hinc in capitularibus Caroli Calvi legimus: *Dominus Ludovicus Pius, Imperator Auguſtus, ex progenie Ludovici Regis Francorum inclyti, per B. Remigii Francorum Apoſtoli Catholicam prædicationem, cum integra gente converſi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis, & mulieribus, vigilia Sancti Paſchæ in Remenſi Metropoli baptizati, & cœlitus ſumpto Chriſmate, unde adhuc habemus, peruncti, & in Regem ſacrati &c.* Verba hæc ſunt Hincmari Metenſis in Eccleſia publice pronuntiata, cum Carolus coronaretur, anno 869. Quibus duo extra dubium Hincmarus ponit, ſcilicet, Paſchatis vigilia Aprilis 13. Clodoveum bapiiſmate conſecratum fuiſſe, & allato divinitus chriſmate delibutum. At non Paſchatis vigilia, ſed Natalis Clodoveum ſalutaribus aquis ablutum, ſacroque chriſmate delibutum, nos docet Alcimus Avitus, in ſua ad Clodoveum epiſtola his verbis: *Cujus ſplendorem*, inquit, *congrue Redemptoris noſtri nativitas inchoavit, ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum redemptionis ſuæ Cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri, qui vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo, in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis.* Ex ea quoque Aviti epiſtola ſcimus complures Epiſcopos baptiſmo Clodovei iuterfuiſſe, *Conferebamus, nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cum adunatorum numerum Pontificum manus ſancti ambitione ſervitii membra regia undis vitalibus confoveret.* Ac ad cæremoniam præſentia ſua illuſtrandam, ſe etiam vocatum fuiſſe, Avitus indicare videtur: *Cujus miniſteriis, etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc regionibus noſtris divina pietas gratulationis adjecit, ut ante baptiſmum veſtrum, ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuncius perveniret &c.* Nec præteriri debet ingens miraculum ab Aimonio, & Hincmaro Rhemenſi Epiſcopo relatum, ampullam ſcilicet chriſmatis Colombæ ore cœlitus advenientis allatam fuiſſe, quo tum fons ipſe, quam Clodoveus delibutus fuit, cujus exemplo, reliqui Francorum Reges inungi conſueverunt. Miraculum ampullæ in Clodovei baptiſmate a columba delatæ, ex inſtituto confutat Chifletius libro de ampulla Rhemenſi, Antuerpiæ anno 1651. edito. Pro ejuſ-

Capitul. Reg. Franc. lib. 2. pag. 220.

JESU CHR. AN. 496.

ejuſdem veritate econtra Gallorum plurimi certant, præter alios vide apud Vertot Memoires de l'Academ. des inſcript. e belles lettres tom. 4. pag. 350. Diſſidentes tamen inter ſe ſcriptores componi facile poſſunt, ſi dicamus, id non ex miraculo, ſed ex induſtria Rhemigii Epiſcopi contigiſſe, ut columba quædam ſive vera, aut artefacta, de lacunari Templi dimiſſa, vaſculum oleo plenum afferret, quo Rex Clodoveus in baptiſmate ſuſcipiendo inungendus erat, idque ſive ad feſti ſolemnitatem augendam factum fuerit, aut ad admirationem, majoremque venerationem in animo Neophiti Regis excitandam, nihil ad rem pertinet. Id ſane mirum eſt, quod Gregorius Turonenſis in miraculorum narratione tam diligens, ac in præſtanda iis fide tam facilis, hujus non meminerit, etſi de Clodovei converſione, ac baptiſmate plnribus agat. Ex hac autem Clodovei ad Chriſti fidem converſione, in Francorum Reges titulum Regum chriſtianiſſimorum, & Primogenitorum eccleſiæ derivatum eſſe paſſim Galli ſcriptores tradunt; at de titulo Chriſtianiſſimi vide diſſertationem Abbatis de Camps Journal des Scavans 1720. pag. 243. & 448. 536. Memoire de l'Academie des inſcriptions tom. 20. pag. 466.

Avit. epiſt. 41. Anaſtaſii Papæ, & Theodorici Regis gratulatoriæ epiſt ad Clodoveum. *Concil. tom. 4. pag. 1282.*

11. Id certius eſt, anno proximo ad Clodoveum Regem gratulatorias epiſtolas Anaſtaſium Papam dediſſe, quibus, ut in ſuſcepta fide perſeveraret, hortatus eſt. *Tuum, glorioſe fili, in chriſtiana fide cum exordio noſtro in Pontificatu contigiſſe gloriamur. Quippe ſedes Petri in tanta occaſione non poteſt non lætari, cum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum ſpatia repleri ſagenam, quam in altum juſſus eſt mittere idem piſcator hominum, & cæleſtis Jeruſalem beatus claviger. Quod ſerenitati tuæ inſinuare voluimus per Eumerium presbyterum, ut cum audiveris lætitiam patris, in bonis operibus impleas gaudium noſtrum, & ſis corona noſtra, gaudeatque mater Eccleſia de tanti regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Lætifica ergo, glorioſe & illuſtris fili, matrem tuam, & eſto illi in columnam ferream. Nam refrigeſcit caritas multorum, & malorum hominum verſutia, navicula noſtra feris fluctibus agitatur, & deſpumantibus undis pertunditur. Sed ſperamus in ſpem contra ſpem, & Dominum collaudamus, qui eruit te de poteſtate tenebrarum, & in tanto principe providit Eccleſiæ, qui*

qui poſſit eam tueri, & contra occurrentes peſtiferorum conatus galeam ſalutis induere. Perge igitur, dilecte & glorioſe fili, ut Deus omnipotens ſerenitatem tuam, & regnum cæleſti protectione proſequatur, & Angelis ſuis mandet, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, & det tibi in circuitu de inimicis tuis victoriam. Hæc Anaſtaſius Papa ad Clodoveum anno proximo, ad quem Teodoricus quoque Italiæ Rex pro Alemannica victoria gratulatorias litteras dedit, Legatoſque ſuos ea de cauſa miſit, quibus inter cetera: *Glorioſa quidem veſtræ virtutis affinitate gratulamur, quod gentem Francorum priſca ætate reſidem, feliciter in nova prælia concitaſtis, & Alemannicos populos cauſis fortioribus inclinatos, victrici dextra ſubdidiſtis*; atque ut moderate victoria uteretur, ſupplicibus præcipue parcens, admonet, cui etiam Citharædum miſit, qui *ore, manibuſque conſona voce cantando, gloriam veſtræ poteſtatis oblectet &c.* At de Clodovei geſtis hoc anno, ejuſque baptiſmate hactenus, quæ ſane tanto ei glorioſiora fuere, ac toti Eccleſiæ lætiora, cum eo tempore acciderint, quo toto per Orbem ceteri Principes hæreſibus mancipati eſſent. Anaſtaſius quippe, cui totus parebat Oriens, Eutychianis, ut diximus, favebat; in Occidente vero Ariani Principes undique dominabantur, Gundebaldus ſcilicet in Burgundia, Alaricus in Aquitania, Theodoricus in Italia, Guntabundus in Africa, Svevorum Principes in Hiſpania.

Epiphanii Ticinenſis Epiſc. legatio altera ad Theodoricum, ejuſque obitus.

12. Hoc eodem anno, nempe biennio poſt a ſuſcepta legatione ad Gundebaldum Burgundionum Regem, Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus, alteram ad Theodoricum Regem pro Liguriæ populis legationem ſuſcepit, ut eos a tributorum acerbitate ſublevaret, qua obita, Ticinum vix reverſus, paulo poſt obiit, ut in ejus vita narrat Ennodius. Inter cetera, ubi Ravennam pervenit, ac ad Principem ingreſſus eſt, cum multa dixiſſet, addidit: *Concede immunitatem anni præſentis Liguriæ &c.* cui Princeps: *Licet nos*, inquit, *immanium expenſarum pondus inlicitet, & pro ipſorum quiete legatis indeſinenter munera largiamur; tamen vis meritorum tuorum tractatibus noſtris reverenter intervenit. Opus eſt fieri quidquid injunxeris &c. Duas tamen præſentis Indictionis fiſcalis calculi partes cedemus, tertiam tantummodo ſuſcepturi: ne aut ærarii noſtri anguſtia Romanis pariat majora diſpendia, aut ſupplicatio tua expectatæ patriæ gaudia* non

Bolland. die 21. Januarii.

JESU CHR. AN. 497. *non reportet. Taliter præfato Regi egit gratias ſummus Antiſtes; a quo, valedicens, abſceſſit &c.* Hæc Ennodius de legatione ultima Epiphanii, qui (ut idem auctor ait) regreſſurus in Patriam, Parmæ ægrotare cœpit, ac Ticinum perveniens, ſeptimo die deceſſit, anno ætatis ſuæ 58. cum Ticinenſem eccleſiam per annos 30. ſanctiſſime adminiſtraſſet; de quo hæc etiam in fine vitæ ejuſdem addit Ennodius: *Illud ſilentio præterire non debeo, quod ejus ſanctæ Reliquiæ uſque in diem tertium, quo cum ſumma veneratione reconditæ dignoſcuntur, tanto lumine ac decore veſtitæ cunctorum viſæ ſunt oculis, ut ſplendorem vitæ vultus ſignaret defuncti*; cujus memoria die 21. Januarii Martyrologio Rom. recolitur.

Gundabundus Vandalorum Rex moritur. *Pag. not. 6. ad an. 495. Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 21.*

13. Hoc etiam anno Gundabundus Vandalorum in Africa Rex vivere deſiit, ut ad annum Baronii proximum adnotavit Pagius, quod etiam doctiſſimus confirmat Noriſius ex veteri Auguſtano fragmento, cujus hæc ſunt verba: *Ex die ſeptima idus Febr. uſque ad decimum annum Gundabundi, in diem 4. Idus Auguſti completi ſunt anni decem, menſes ſex . . . . Qui memoratus Gundabundus Rex poſtmodum vixit annos duos, menſem unum.* Obiit 24. Septembris, cum annos regnaſſet undecim, menſes novem, dies XI. Mitiſſimum Orthodoxis Gundabundi regnum fuit, quibus Eccleſias aperuit, revocatis ad Eugenii Carthaginenſis preces exilio ſuo Antiſtitibus, quos etiam Sedibus reſtituit ſuis, ut non ſine veritatis injuria perſecutoribus apponatur. Thraſimondus defuncto ſucceſſit, qui ſopitos perſecutionis ignes paulo poſt ſuſcitavit, ut infra ſuo loco dicturi ſumus.

JESU CHRISTI AN. 497. ANASTASII II. PAPÆ 2. ANASTASII IMP. 7. THEODORICI ITALIÆ REG. 7. ET 9. COSS. ANASTASIO AUG. II. SINE COLLEGA.

Anaſtaſii Papæ epiſt. ad Anaſtaſium Imp.

1. Clodoveum gratulatoriis epiſtolis adiiſſe Anaſtaſium Papam, ut eum in ſuſcepta fide confirmaret, ac ad eccleſiæ tutelam excitaret, anno proximo diximus. Hoc autem anno, ut pacem Orientalem inter, & Occidentalem eccleſiam, Acaciani nominis cauſa interruptam, renovaret, ad Anaſtaſium Imp. idem Pontifex Creſconium Tiburtinum Epiſcopum, Germanumque Capuanum legatos cum litteris ſuis miſit, quarum hoc eſt initium: *Exordium Pontificatus mei, primitus oblata popu-*

tom. 4. pag. 1278.

by Google

populis pace pronuncians , & conſequenter pro fide Catholica humilis pietatis tuæ precator occurro. Rogat enixe, obſecratque, ne *propter unum mortuum diutius illa tunica Salvatoris deſuper contexta per totum, malæ ſortis patiatur incertum*. Epiſtolæ Anaſtaſii octo ſunt capita, quorum ſumma hæc eſt. 1. Quod pro Chriſto fungatur legatione, dum pro pace precatur eccleſiæ. 2. Quod non ſit temere judicandum de his, qui ad Dominum migraverunt. 3. Ut ſpecialiter in eccleſia nomen taceatur Acacii. 4. Quod magnopere contentio ſit cavenda. 5. Ut Alexandrinis Imperator jubeat, ut ad fidem ſinceram, & ad pacem redeant Catholicam. 6. Moneatur Imperator, ut Conſtitutis Apoſtolicæ Sedis obtemperet. 7. Quod ii, quos poſt damnationem ſuam vel baptizavit, vel ordinavit Acacius, nullam porſus læſionem patiantur. 8. Quod mali bona miniſtrando ſibi tantummodo noceant, nec eccleſiæ ſacramenta commaculant. In irritum tamen hanc quoque legationem ceſſiſſe, nec Acacii nomen e dypticis deletum fuiſſe, ex dicendis inferius patebit. Jesu Chr. An. 497.

2. Cum Creſconio, & Germano Epiſcopis, Anaſtaſii Papæ legatis ad Anaſtaſium Imp., Feſtum quoque Patricium legationis ſocium fuiſſe, multis conſtat argumentis, quem etiam *ob civilia quædam negotia ad Anaſtaſium Imp.* miſſum fuiſſe narrat Theodorus lector, atque Theophanes confirmat; Anonymus vero Valeſianus ad repetenda Imperialis Palatii ornamenta, quæ Odoacer, inſtante bello, CPolim miſerat, deſtinatum fuiſſe his verbis adnotat: *Facta pace cum Anaſtaſio Imp. per Feſtum de præſumptione Regni*, quod ſcilicet abſque Anaſtaſii Imp. conſenſu Theodoricus regalia ornamenta induiſſet; *Omnia ornamenta Palatii, quæ Odoacer CPolim tranſmiſerat, remmittit. Eodem tempore contentio orta eſt in urbe Roma*, (ideſt ſchiſma) *inter Symmachum, & Laurentium*, de quibus anno ſequenti.

Feſtus Senator alteram CP. legationem ſuſcipit; *Theodor. lib. 2. n. 16. pag. 518.*

3. Cum porro per Orientem vulgatum eſt, ab Apoſtolica ſede legatos CPolim miſſos fuiſſe, ut eccleſiarum pacem cum Romana, & Occidentalibus conciliarent; Apocryſarii Alex. eccleſiæ cum legatis Roma miſſis egerunt, ut Alex. eccleſia cum Romana reconciliaretur, libellumque Feſto Patricio, ac Creſconio, & Germano Epiſcopis ob eam rem obtulerunt, cujus hæc erat inſcriptio: *Glorioſiſſimo atque excellentiſſimo Patricio Feſto, & Venerabilibus Epiſcopis*

Libellus eccleſiæ Alex. ad legatos Rom. ſedis. *tom. 4. Concil. pag. 1283.*

JESU CHR. AN. 497. *pis Creſconio, & Germano ſimul cum ejus poteſtate directis in legatione ab urbe Roma ad Clementiſſimum, & Chriſto amabilem Imp. Anaſtaſium, Alexandrinæ venerabilis eccleſiæ Dioſcorus Presbyter, & Chremon lector, reſponſis ejuſdem eccleſiæ ſervientes*. In eo libello narrant Romanos Pontifices cum Alexandriuis, & fidei, & charitatis vinculo ſemper fuiſſe concordes; Eutychetis vero temporibus, Leonis epiſtolam ad Chalcedonenſe concilium directam, ab iis in Græcum fuiſſe transfuſam, qui Neſtorianam hæreſim ſectabantur, ob quam cauſam Alexandrinos tantum indignationis ex ea epiſtola concepiſſe, ut ab Eccleſia Romana disjungerentur, Romanum vero Pontificem econtra, Alexandrinos adverſus Apoſtolicam fidem conſpiraſſe putantem, eoſdem a ſua communione rejeciſſe. Verum cum poſtea didiciſſent ex Photino Diacono eccleſiæ Theſſalonicenſis, qui ad Anaſtaſium Pontificem miſſus fuerat, ea, quæ in Leonis Papæ epiſtola Alexandrinos offenderant, ex hæreticorum translatione in Græcum addita fuiſſe, cum ſibi ſatisfactum in ea re fuiſſet, rogabant, ut fidei ſuæ Confeſſionem ſumerent, ut ſublatis ſcandalis, ſciſſa Eccleſia ad concordiam rediret. Profiteri ſe Chriſtum Conſubſtantialem eſſe Patri ſecundum Divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, eamdemque fidem Dioſcorum, Timotheum, & Petrum tenuiſſe dixerunt. Quamobrem petebant, ut hanc ipſorum chartulam, Alex. eccleſiæ nomine, Anaſtaſio Pontifici offerrent. At cum non ſolum Acacii nomen in dypticis retinendum cenſerent, ſed etiam Dioſcori, Timothei Eluri, & Petri Moggi Alexandrinorum Patriarcharum, qui Eutychianæ hæreſi aperte pertinaciterque patrocinati fuerant, non ſolum pax firmari non potuit, ſed etiam diſſenſionis incendium magis magiſque exarſit.

Feſtum Apoſt. Petri & Pauli CP ſolemnius celebratur;

4. Hoc ad Romanæ eccleſiæ decus ex Feſti Patricii legatione obtinuit Anaſtaſius Papa, ut Feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod CP. remiſſius peragebatur, majori cum pompa & ſplendore inpoſterum celebraretur, ut narrat Theodorus lector in excerptis. Imprudenti tamen temerarioque conſilio Rom. eccleſiæ cauſam Feſtus prodidit, ac ne pax & communio cum Macedonio CP. Epiſcopo firmaretur, prohibuit; nam ut idem Theodorus lector narrat: *Macedonius ſynodicas litteras ad Anaſtaſium Rom. Urbis Epiſcopum per hunc ipſum Feſtum mittere decreverat. Sed ne id fieret prohibi-*

Theodor. lib. 2. n. 16. pag. 518.

hibitus eſt ab Imperatore. Porro Feſtus occulte, ut ajunt, Imperatori ſuggeſſerat, ut Rom. Epiſcopo perſuaderet, ut Zenonis Henotico ſubſcriberet, ſed cum Romam veniſſet, Anaſtaſium Epiſcopum jam mortuum reperit. Quare operam dedit, ut per ſchiſma promotus, Laurentius ſcilicet, *Edicto illo ſubſcriberet*. Sed de his anno ſequenti, quo Anaſtaſius Papa obiit, eique poſt Symmachi electionem a ſchiſmaticis Laurentius contra Symmachum Rom. Pontifex eſt ordinatus.

Synodus CPoli a Macedonio celebratur.

5. Ad hunc annum, Anaſtaſio ſcilicet Aug. Coſſ., CPoli a Macedonio Epiſcopo ſynodum celebratam fuiſſe narrat Victor Tunonenſis in chronico, qua *Macedonius CP. Epiſcopus condemnat eos, qui Chalcedonenſis decreta ſynodi ſuſcipiunt, & eos, qui Neſtorii & Eutychis defendunt* (dogmata ſcilicet). Rem vero paulo aliter narrat libellus ſynodicus: *Macedonius in ſuam ſedem reſtitutus, ſimplici convocata ſynodo, decreta quidem Chalcedonenſia ſcripto confirmavit; Henoticum vero Zenonis metu Anaſtaſii ſilentio præteriit*. Quid geſſerit Macedonius, qui Deo, & hominibus placere ſatagebat, diſſidentibus ſcriptoribus, ignoramus: hujus etiam, aliarumque ſynodorum, quæ CP. ſub Macedonio habitæ ſunt, obſcura eſt chronologia, cujus ad annum 512. meminit Baronius, nos in re obſcura, Victoris auctoritate ad hunc annum revocavimus. Hoc unum ſcimus Macedonium hac ſua œconomia, & fallaci prudentia, quæ carnis eſt, pacem in Orientalibus eccleſiis nequaquam firmaſſe, ſed diſſenſiones magis excitaſſe; nam ut narrat Evagrius ex litteris monachorum Palæſtinæ ad Alciſonem, Monaſteria quæ circa CPolim erant, ægre tulerunt Macedonium in ſua fidei profeſſione, Epheſinam, & Chalcedonenſem ſynodum ſilentio obruiſſe, cujus cauſa ab ejuſdem communione ſe ſe disjunxerunt. Ex altera autem parte Iſauri, & qui Xenajæ adhærebant, *Flaviani quidem, & Macedonii communione ſe ſe abrumpunt, cum aliis vero, qui libello ſuo ſubſcripſiſſent ſocietatem ineunt, ſicque in dies creſcentibus diſſidiis tætrior triſtiorque Orientalis eccleſiæ ſtatus evadebat*.

De Xenaja Hieropolitano Epiſc. diſcordiarum incentore.

Evagr. ut ſup.

6. Inter eos, qui Orientalis eccleſiæ diſſidia fovebant, Xenajas recenſetur, vir turbulentiſſimus, & ad excitanda fovendaque in eccleſiis diſſidia natus, quem etiam CP. ſynodo cauſam dediſſe non obſcure Evagrius indicat. Hic porro Xenajas natione Perſa erat, conditione ſervus, qui ſub Calendionis Epiſcopatu, cum ab hero ſuo fugiſſet, ad eccle-

ſiam

Digitized by Google

 ſiam acceſſit, pro clerico ſe venditans, licet divino regenerationis lavacro nondum initiatus eſſet. At Calendio, qui malitiæ ſigna in eo multa deprehenderat, illum ab Eccleſia expulerat. Cum vero Calendioni Petrus ſucceſſit Gnapheus, receptum Xenajam, nec dum ſacris undis purgatum, Hierapolis Epiſcopum ordinavit, ac ex Xenaja Philoxenum vocavit. Cum autem Gnapheus intellexit baptiſmi expertem fuiſſe Philoxenum, dixiſſe fertur: *Sufficere ei baptiſmi conſecrationem*. Anno circiter 485. Philoxenus Hierapolitanæ eccleſiæ præfectus eſt. Imaginum uſui infenſiſſimus erat Xenajas, ut ex Nicæna ſecunda ſynodo conſtat, in Flavianum vero Antiochenum Epiſcopum innumeras hoc tempore ſtruxit inſidias; cumque Flavianus Neſtorium, & ejus dogmata condemnaſſet, Xenajas relicto Neſtorio, ad Theodorum, Theodoritum, Ibam, Cyrum, Eleutherium, Joannem tranſgreſſus; *Hos*, ajebat, *omnes Neſtoriani dogmatis aſſertores niſi anathematizaveris, Neſtorianus es, licet Neſtorium millies cum doctrina ipſius anathemate ferias*. Scriptis etiam ad fautores Dioſcori, & Eutychetis litteris ſuaſit, ut ſibi adverſus Flavianum auxilio eſſent, exigerentque ab eo, non quidem, ut ipſam Synodum Chalcedonenſem, ſed nominatos viros damnarent. Diu multumque reſtitit Flavianus: poſt ubi in ſe Eleuſinius Cappadociæ ſecundæ Epiſcopus, Nicias Laodiceæ Syriæ, & ex aliis locis alii inſurrexere, illi contentioni ceſſit, quieturos arbitratus, ſcriptoque in præfatos Epiſcopos anathema torquens, libellum Imperatori ſuum miſit. At Xenajas, iterum a Flaviano flagitabat, ut Synodum ipſam, & eos, qui duas in Chriſto naturas prædicaverant, alteram carnis, alteram Deitatis, anathemati ſubjiceret. Quod cum facere recuſaſſet, iterum tanquam Neſtorianus accuſatur. Quare cum alteram fidei expoſitionem edidiſſet, in qua Synodum Chalcedonenſem, Neſtorii, & Eutychetis abdicationem quod attinet, ſuſcipere ſe profitebatur, minime vero quantum ad fidei doctrinam, rurſum illum tanquam Neſtoriano dogmati occulte faventem inſimulatus eſt. Quare cum ſemel, & iterum cum hæreticis, & Chalcedonenſis ſynodi hoſtibus communionem iniſſet Flavianus, ut Antiochenam ſedem retinere poſſet, inter fidei deſertores recenſeri poteſt, ut pluribus narrat Evagrius lib. 3. cap. 31. De Xenaja hæreticorum perditiſſimo plura apud Aſemannum videri poſſunt in bibliotheca Orientali tom. 2. cap. 2. pag. 10.

7. Hoc

Google

7. Hoc quoque tempore Athanaſius Eutychianorum Alex. Epiſcopus vivere deſiit, ac Joannem ſui ſimilem ſucceſſorem habuit, ut narrat Liberatus. *Athanaſio hæretico tempus ſui Epiſcopatus complente, poſt eum ordinatur Epiſcopus Alex. Joannes cognomento Mela, qui & ipſe ſecutus Petrum, & Athanaſium præceſſores, & in edicto unitivo communicavit aliis ſedibus, ideſt CPolitanæ, & Antiochenæ, & Alexandrinæ, in cujus Præſulatu, dum Alex. eccleſia diviſionem habuiſſet Dioſcoritarum propter Petrum Moggum, quaſi communicaſſet ſynodo, etiam ipſe defunctus eſt tempore Macedonii CP. Epiſcopi*, ait Liberatus; de quo cetera vide apud Renadotium hiſt. Patriarcharum Alex. cap. 29. pag. 125. Jesu Chr. an. 497. Athanaſii Alex Epiſc. obitus cui ſuccedit Joannes.

8. Ad Conſulatum Anaſtaſii Imp. 2., ideſt hoc anno, Anaſtaſii de Iſauris victoriam refert Marcellinus in chronico, ac ſexennio bellum perduraſſe ad annum 492. adnotat. De quo, cum plura hiſtorici referant, hoc uno Evagrii loco contenti erimus, narrato belli exordio a Longino Zenonis conſanguineo excitati, de ejuſdem exitu: *Iſauri quidem, qui una cum Longino militaverant, omnes ad internecionem cæſi. Longini vero, ac Theodori capita, ab Joanne Scbita CP. miſſa ſunt*, & ad ſpectaculum expoſita, quod civibus gratiſſimum fuit, *ob mala, quæ a Zenone, & ab Iſauris perpeſſi fuerant*. Eamdem ſortem experti ſunt Longinus alter, Selinuntius dictus, & Indes inter Iſauros præcipui, atque ex eo tempore munera, quæ vocabantur Iſaurica, ideſt auri libræ quinque millia, quæ Iſauris per ſingulos annos pendebantur, in Principis ærarium tranſiere. Anaſtaſius vero ab Iſaurico bello expeditus, majori perfidia adverſus catholicam fidem bellum; & incendium excitavit, ut ex hiſtoria hujus temporis patebit. Anaſtaſii Imp. de Iſauris victoria.

9. His conſulibus: *Zeno Imp. in Inſula, quæ Panormum dicitur, Pelagii gulam laqueo frangi præcepit*, ait Marcellinus in chronico, & cum eo chronicon Alex., aliique. Pelagius porro vir erat, & nobilitate generis, & prudentia, animique magnitudine clariſſimus, qui ſolus inter innumeros aulicos adulatores dicendi libertatem ſibi ſumens, *Zenonis nefunda facinora palam inceſſebat*, ut ait Cedrenus. Quare in arguendo Principe, Joannem Baptiſtam imitatus, in Zenone Imp. alterum Herodem invenit, idemque cum Baptiſta ſupplicium promeruit. Crudele facinus cunctis bonis diſplicuit. Pelagius a Zenone Imp. interficitur cum aliis pluribus.

Ne-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 498. Neque Arcadius Præfectus Prætorio ſibi temperare potuit, quominus ob id duris verbis Imperatorem argueret. Quibus commotus Zeno, ſimulac Regiam ingrederetur, Arcadium occidi juſſit. At Arcadius hæc prævidens, ad eccleſiam confugiens ibique manens, acerba morte liberatus eſt. Cedrenus tamen cum Pelagio, Arcadium quoque Præfectum, & Zoſimum Rhetorem Gazæum, ab Zenone morti traditos fuiſſe narrat.

JESU CHRISTI AN. 498. SYMMACHI PAPÆ 1.
ANASTASII IMP. 8. THEODORICI REGIS 6.
COSS. JOANNE SCHYTA, ET PAULINO DECIO.

Anaſtaſii Papæ obitus.

1. Inſequens Chriſti annus quadrigenteſimus nonageſimus octavus, Conſulibus Joanne Schita, & Paulino Decio, Romanæ Eccleſiæ infauſtus fuit, tum ob Anaſtaſii Pontificis obitum, cum ob Schiſma in ejus Succeſſore eligendo excitato, quod Romanam diu vexavit Eccleſiam. Dum itaque totus in eo eſſet Anaſtaſius, ut Orientalem eccleſiam cum Occidentali reconciliaret, ut anno proximo diximus, immatura morte e vivis ereptus eſt, cum ſediſſet, ut habet Anaſtaſius, *Annum unum, menſes XI. dies XXIV.* deinde: *Hic fecit confeſſionem B. Laurentii Martyris ex argento, quæ penſabat libras* 100. S. Pontificem divino nutu percuſſum narrat idem Auctor his verbis: *Eodem tempore multi Preſbyteri, & Clerici ſe a communione ipſius erexerunt, eo quod communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum, vel Preſbyterorum, vel Cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino, qui communionis erat Acacio, vel Acacii, & quia voluit occulte revocare Acacium, & non potuit, qui nutu divino percuſſus eſt.* Hæc ibidem. Sed hæc per calumniam de Anaſtaſio Papa a Schiſmaticis vulgata fuiſſe, adnotant viri docti. Quomodo enim fieri potuit, ut Acacium revocare voluerit is, qui anno ſuperiori ad Imperatorem ſcripſerat, reticito Acacii nomine pacem eſſe firmandam? Confirmantur hæc ex iis, quæ habet Theodorus Lector: *Feſtus vero (ſicuti fertur) Imperatori clanculo pollicitus eſt, perſuaſurum ſe Romano Epiſcopo, ut concordiæ Zenonis ſubſcriberet, cum autem Romam veniſſet, Anaſtaſium Epiſcopum mortuum reperit*; ſicque e vivis ereptus eſt, antequam tentaretur a Feſto.

2. Huic

2. Ut hanc de Anaſtaſio opinionem inducerent Schiſmatici, occaſionem fortaſſe habuerunt ex conſuetudine, quam idem Pontifex habuit cum Photino Theſſalonicenſis Eccleſiæ Diacono, qui cum Acacii memoria communicabat, ut habetur in libello Ægyptiorum Germano, & Creſconio Anaſtaſii Legatis Conſtantinopoli oblato, in quo hæc leguntur: *Quia vero non ante multum temporis Photinus religioſus Diaconus Sanctæ Theſſalonicenſis Eccleſiæ, nobiſcum de pace Eccleſiarum verba conſeruit, dixitque, ſe ante ſpatium parvi temporis deſtinatum a Sanctiſſimo Archiepiſcopo Andrea Theſſalonicenſi Eccleſiæ ad Romanum Pontificem Anaſtaſium, & affirmabat de his, quæ nos vehementer offendunt, in translatione epiſtolæ ſibi ſatisfactum fuiſſe a ſupradicto Præſule Romanæ Eccleſiæ, quod ſcilicet in Epiſtolæ translatione comprobarentur errores: ipſam vero latinam epiſtolam juxta fidem trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum editam conſtitiſſe.* Ex his autem quiſquis intelligit ibidem de Acacii memoria non agi, ſed de Epiſtola S. Leonis Papæ ad Flavianum, quam Interpretes corruperant. Ceterum ſi quis contentioſe nimis aſſerere vellet, Anaſtaſium propenſiorem fuiſſe in reſtituendo in dypticis Acacii nomine, & morte præventum id præſtare non valuiſſe: *Noſcat ex his* (habet Annalium Parens) *Deo Romanam Eccleſiam curæ eſſe, nec dormitare, qui cuſtodit Iſrael.*

Unde in Anaſtaſium Papam ortæ ſint ſuſpiciones.

Concil. tom. 4. pag. 1284.

Bar. ann. 591. num. 28.

3. Vindicata autem ab obtrectatoribus S. Anaſtaſii Pontificis fama, ejus funus proſequimur. *Qui ſepultus eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli XIII. Calend. Decembris, & ceſſavit Epiſcopatus dies IV.* Ejus nomine apud Gratianum decretum legitur, deſumptum ex ejus epiſtola, cujus eſt exordium: *Sane Theſſalonicenſes Epiſcopi*; ſed cum in ea mentio fiat Timothei Conſtantinopolitani Epiſcopi, nec non & Dioſcori Junioris Alexandrini, qui mortuo Anaſtaſio eas ſedes tenuerunt; ex hoc uno capite, ut cætera omittamus, manifeſto patet eam epiſtolam Anaſtaſio falſo adſcribi, proindeque in Conciliorum Editionibus locum non habet, ſed tantummodo Decretum, quod apud Gratianum legebatur.

De epiſtola Anaſtaſio ſuppoſita.

ut ſupra tom. 4. pag. 1286.

4. Quarto die ab Anaſtaſii morte, decimo Kal. Decembris, in Baſilica Conſtantiniana a majori parte Cleri Symmachus Romanus Pontifex electus eſt; at eadem die in Baſilica B. Mariæ ab aliis Laurentius Romanæ Eccleſiæ Presbyter eſt ordinatus. Hinc funeſti ſchiſmatis initium, quod magno Fi-

Symmachus, & Laurentius eadem die Pontifices electi.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 498. delibus ſcandalo, & plurimorum civium ſanguine inquinatum fuit. Non enim tantum Clerus, ſed Senatus quoque Romanus ea de cauſa inter ſe mutuis diſcordiis certavit. Schiſmatis vero auctorem fuiſſe Feſtum, vix dubitari poteſt. Cum enim is promiſiſſet Anaſtaſio Imp. facturum ſe, ut Anaſtaſius Pontifex Zenonis Henuotico ſubſcriberet, Romam rediens iis diebus, quibus Romana ſedes vacabat, multis pecunia corruptis, curavit, ut Laurentius Romanus Pontifex ordinaretur, a quo obtenturum ſperabat, quod Imperatori ſpoponderat. Totam tragœdiæ ſeriem paucis verbis deſcribit Theophanes: *Hoc tempore Feſtus Romam abiturus Anaſtaſium Papam, ut Zenonis concordiam probaret, ſe verbis effecturum Anaſtaſio Imperatori pollicitus eſt: eum vero non amplius vivum comperit. Quare, plerisque pecuniarum vi corruptis, Laurentium quemdam præter Romanorum jura promoveri curavit Epiſcopum, qui etiam Sacra initiatus eſt ordinatione ab adverſantium ſibi parte altera. Qui rectiorem tuebantur fidem, ab eis diviſi, Symmachum e Diaconorum grege quemdam in Pontificem conſecrant: Unde deinceps tumultus, cædes, rapinæ Urbem triennio divexarunt; donec Theodoricus Afer Roma potitus, licet Arianorum infectus tabe, Provincialem Synodum coegit, & Symmacho in Epiſcopum Romanum confirmato, Laurentium Nuceriæ Præſulem inſtituit. Laurentius quietis impatiens, & ciens tumultus, a Symmacho dignitate movetur, mittiturque in exilium; ex quo tempeſtas omnis ſedata.* Eadem leguntur apud Theodorum.

Feſtus ſchiſmatis auctor.

Theoph p. 123.

Theodor. hiſt. lib. 2.

5. Mala autem hinc ſequuta Paulus Diaconus ſic refert: *Eodem tempore Romæ Symmachus, & Laurentius diſcordantibus inter ſe civibus electi, & ex utriſque partibus innumeræ ſtrages, & rapinæ patratæ ſunt: plerique ex Sacerdotali numero, multi etiam Clericorum, plures Civium Romanorum extincti ſunt per tres circiter annos; uſque quo videlicet Theodoricus Princeps veniens, tunc Romam tenens, quamquam Arianus eſſet, Synodo celebrata, locari Symmachum quidem Epiſcopum Romæ firmavit, Laurentium in Luceria civitate locare Epiſcopum præcepit. Qui tamen nullo pacto quieſcens, ſed ſeditiones commovens, a Symmacho deponitur, & ita ſimultas ceſſavit.* Hæc Paulus Diaconus de Schiſmatis origine, progreſſu, & extinctione, quæ ſuo loco fuſius narrabuntur.

Strages & cædes in urbe ſchiſmatis cauſa patratæ.

Paull diac. hiſt. lib. 15. Apud Murat. tom. 1. ſcript. Ital. pag. 101.

6. Schiſ-

Digitized by Google

6. Schiſmati ſedando nulla aptior via erat, quam coacto Concilio ex Italiæ Epiſcopis, de Symmachi, ac Laurentii electione ab iis agi; ſed importuna, legumque neſcia neceſſitas id non permiſit. Ad ſedandum itaque repentinum incendium, quo Urbs tota ardebat, ſanguineque civium fœdebatur, promptiſſimo opus erat auxilio, quod ex Theodorici Regis decreto affuturum ſperabatur, ad quem cum provocaſſent litigantes, æquiſſimam hanc tulit ſententiam; ut ſcilicet is Pontifex eſſet, qui primo ordinatus, vel a majori parte electus eſſet, cumque Symmachum plures elegiſſent, is Laurentio prælatus eſt, ac Pontifex declaratus, ut narrat auctor Pontificalis: *Facta contentione, hoc conſtituerunt Partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici, qui dum ambo introiſſent in Ravennam, hoc judicium æquitatis invenit, ut qui prius ordinatus fuiſſet, vel ubi pars maxima cognoſceretur favere, ipſe ſederet in ſede Apoſtolica. Quod tandem æquitatis in Symmacho invenit cognitionem veritatis, & factus eſt Præſul Symmachus*. Hæc ibi.

Jesu Chr. an. 498. Theodoricus Italiæ Rex pro ſchiſmatis extinctione laborat.

Symmachus verus Pontifex declaratur.

7. Inter Clericos, qui Laurentio contra Symmachum favebant, Paſchaſius Diaconus recenſetur, de quo hæc narrat S. Gregorius: *Cum eſſem adhuc juvenculus, atque in laico habitu conſtitutus, narrari a majoribus, atque ſcientibus audivi, quod Paſchaſius hujus Apoſtolicæ Sedis Diaconus, cujus apud nos doctiſſimi, & luculenti de Sancto ſpiritu libri extant, miræ ſanctitatis vir fuerit, eleemoſinarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui. Sed hic in ea contentione, quæ inardeſcente zelo fidelium, inter Symmachum, atque Laurentium facta eſt, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & poſt omnium unanimitate ſuperatus, in ſua tamen ſententia uſque ad diem ſui exitus perſtitit, illum amando, atque præferendo, quem Epiſcoporum judicio præeſſe ſibi Eccleſia refutavit. Hic itaque cum temporibus Symmachi Apoſtolicæ Sedis Præſulis eſſet defunctus, ejus Dalmaticam feretro ſuperpoſitam demoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt. Poſt multum vero temporis Germano Capuano Epiſcopo (cujus ſuperius memoriam feci) medici pro corporis ſalute dictaverant, ut in Angulanis thermis lavari debuiſſet. Qui ingreſſus eaſdem thermas, prædictum Paſchaſium Diaconum ſtantem, & obſequentem in caloribus invenit. Quo viſo vehementer extimuit, quid illic tantus vir faceret, inquiſivit. Cui ille re-*

De Paſchaſio Diacono Purgatorii pœnis addicto. S. Greg. Dial. lib. 4. cap. 40.

Quomodo Paſchaſius veniam obtinuit.

JESU CHR. AN. 498. *ſpondit: Pro nulla alia cauſa in hoc pœnali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentii contra Symmachum ſenſi. Sed quæſo, te pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognoſces, quod exauditus ſis, ſi huc rediens, me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus, ſe in precibus ſtrinxit, & poſt paucos dies rediit, ſed jam dictum Paſchaſium in loco eodem non invenit. Quia non malitiæ, ſed ignorantiæ errore peccaverat, purgari poſt mortem a peccato potuit. Quod tamen credendum eſt, quia ex illa eleemoſinarum ſuarum largitate hoc obtinuit, ut tunc poſſet promerere veniam, cum jam nihil amplius poſſet operari.* Hæc Gregorius.

Symmachus quis eſſet. *apud Anaſt. ibidem.*

8. De Symmacho autem Romano Pontifice narrat Anaſtaſius, quod is natione Romanus fuit, ex Patre Fortunato, ac in Idolorum ſuperſtitione educatus, cum chriſtianam Fidem ſuſcepiſſet; Romanæ eccleſiæ Diaconus ordinatus fuerat, unde in Apologia adverſus Anaſtaſium Auguſtum de ſe ipſo ſcribebat: *Roma mihi teſtis eſt, & ſcrinia teſtimonium perhibent, utrum a Fide Catholica, quam in Sede B. Petri Apoſtoli veniens ex Paganitate ſuſcepi, aliqua ex parte deviarim.* Per annos fere ſexdecim Pontificatum tenuit; quid in eo egerit ſingulis annis adnotabimus.

Epiſt. 6. tom. 4. Lab. pag. 1129.

Flavianus Epiſcopus Antiochiæ poſt Palladium. *Theoph. in Cron. pag. 124.*

9. Hoc anno Palladius Antiochenus Epiſcopus, qui Fulloni anno 488. ſucceſſerat, obiit, poſtquam ſediſſet per decem annos. Theophanes etiam anno ſecundum Alexandrinos 491., qui currenti reſpondet, hæc habet: *Palladio Antiochiæ Præſule defuncto, Imperator Flavianum Presbyterum ejuſdem Eccleſiæ miſſum, in mortui locum deſignavit.* Hunc vero Flavianum Chalcedonenſibus decretis adverſarium fuiſſe addit. At hæc de Flaviano per famam (quæ ſæpe fallit) falſo vulgata fuiſſe, ait Pagius, ac cum Baronio Catholicum eum fuiſſe, ac Chalcedonenſis concilii fidem tenuiſſe probare conatur. At hæc vix fidem habent; nam hoc tempore Legatus erat Palladii Antiocheni Epiſcopi, & quidem apud Anaſtaſium Imperatorem, qui una cum Palladio totis viribus Chalcedonenſem fidem evertere conabatur. Dignus propterea, ut ab Imperatore Hæretico ad eam tenendam Sedem deſignaretur, quem in eadem cum Imperatore opinione fuiſſe, vix dubium eſt; quem etiam fidem Concilii Chalcedonenſis reſpuiſſe, teſtantur Theophanes, Evagrius, Anaſtaſius, & Victor Tunonenſis. De eo Evagrius: *Porro Palladio*

Pag. not. 9., & 10. an. 491. Bar. n. 6. ejuſdem anni.

Theoph. ut ſupra. Evag. lib. 3. cap. 23.

dio Epiſcopo Antiochiæ morte extincto, & Flaviano in ejus locum ſuffecto, Salomon Presbyter Antiochiæ mittitur ab illo Alexandriam cum litteris de communicando inter ipſos mutuo ad Joannem, illiuſque reſponſum per litteras a Flaviano requirit. Quæ ſi vera ſunt, ſicuti par eſt credere, quis rectæ fidei eſſe dicet eum, qui Joannis, Alexandriæ Epiſcopi, infenſiſſimi Concilio Chalcedonenſi communionem exquiſivit, ſuamque ultro obtulit. Confirmantur hæc ex iis, quæ habet Victor Tunonenſis de Concilio Conſtantinopoli habito anno ſequenti ſub Gibbi Conſulatu, cui Flavianus præfuit, in quo duas in Chriſto naturas fuiſſe negatum eſt, ut narrat Tunonenſis: *Gibbo VC. Coſſ. Anaſtaſio Imp., Flaviano Antiocheno, & Philoxeno Hieropolitano Præſulibus, Conſtantinopoli Synodum congregat, contra Diodorum Tarſenſem, Theodorum Mopſueſtenum, cum ſcriptis Theodoriti Cyri, Ibam Edeſſenum, Andream, Eucherium, Quirum, & Joannem Epiſcopos, ceteroſque alios, qui in Chriſto duas prædicabant naturas, duaſque formas, & qui non confiterentur unum de Trinitate Crucifixum, una cum Leone Epiſcopo Romano, & ejus tomo, atque Chalcedonenſi Synodo inferre anathema perſuaſit.* Eademque fere ex Theophane de Flaviano adnotat Anaſtaſius, addens, Flavianum Hennotico Zenonis ſubſcripſiſſe.

Victor. Tunon. pag. 30. edit. Canis.

De Concilio Conſtantinopolitano, Præſide Flaviano Antiocheno Epiſcopo.

Anaſt. hiſt. pag. 50. edit. Byzant.

Flavianus Antiochenus Epiſcopus, Catholicus necne fuerit.

10. Ex hactenus dictis de Flaviano ſatis conſtat, non falſo rumore vulgatum fuiſſe, eum hoc tempore Chalcedonenſis Concilii Decreta reſpuiſſe; ſed ſuis actibus famæ de ſe ſparſæ cauſam dediſſe, tum ſilentio præteriens concilium Chalcedonenſe, cum Hennotico Zenonis ſubſcribens. Ea tamen agendi ratione, nec Catholicis placuit, nec Hæreticis; nam eum Catholici ſuſpectæ fidei habuerunt, Hæretici vero, quia anathema aperte Concilio Chalcedonenſi dicere recuſabat, tamquam Neſtorianæ parti addictum ſua ſede privarunt. Hinc factum eſt, ut adnotavit Goarius in notis ad Theophanem: *Diſcriminis haud exigui Theophanem inter, & Evagrium Flaviani Epiſcopi Antiocheni fides, ſubjectum, & materia, hoc eam integram perſeveraſſe, illo corruptam penitus, & extinctam aſſerente.* Poſt plurima: *Utri fides adhibenda, Evagrio Flaviani temporibus viciniori, an poſteriori Theophani! Auctoribus ſuis innititur Theophanes: Teſtes juratos ſenes, cum quibus de Flaviano diſſeruit, exceptione majores adducit Evagrius. Hæreticus, an Orthodoxus; Sanctus, an impius Flavianus?*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 498. nus? *Decidant alii. Sanctum prædicabo, quem Theophanes ut impium damnat; Hæreticum aſſeram, quem veritatis, & fidei aſſertorem fidelis hiſtoricus Evagrius celebrat? Utrumque abhorret animus*. Pagius econtra a rigidioribus tantum Catholicis ejus æconomiam damnatam fuiſſe, ait, etſi integram fidem ſervaſſet. In hac opinionum varietate, media via ineundum cenſemus, ſicque nec inſontem abire ſinimus, nec omnino hæreticum condemnamus, ſed potius tempora diſtinguenda eſſe cenſemus, itaut, dum Conſtantinopoli Palladii Apocryſarium ageret, ac ab Imperatore Anaſtaſio eidem ſucceſſor deſtinatus eſt, Hæreticis favens, Chalcedonenſe Concilium ſilentio damnabat, ac Hæreticorum communione ſociatus; quo ſane tempore ſuſpectæ merito fidei, & proditæ dici potuit, ſed temporis progreſſu, cum ab Hæreticis, & ab ipſo Imperatore, quibus plus æquo placere, ac gratificari ſtuduerat, cum inquam, ad ſummum impietatis faſtigium impelleretur, ut ſcilicet palam, & publice anathema diceret concilio Chalcedonenſi, tunc e letargico quodam morbo, quo eum impulerat nimium Imperatori, cæteriſque hæreticis placendi ſtudium, prævaricationis ſuæ pœnituit, ac e ſomno exurgens, & pro Chalcedonenſi concilio adverſus Imperatorem forti animo ſtetit; hinc meruit pro ejuſdem Concilii, & rectæ Fidei defenſione, una cum aliis Fidei Confeſſoribus in exilium mitti; unde tanquam Orthodoxus, & zelator Fidei a quamplurimis laudatus eſt, de cujus fide hæc habet Cyrillus: *Poſtquam autem Flavianus quoque, qui poſt mortem Palladii Antiochenæ præfuit Eccleſiæ, eadem, quæ ii*, nempe Elias Hieroſolymitanus, & Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, *ſentiebat, & in recta, veraque ratione ingrediebatur: non poterat amplius contineri ira Imperatoris, qui adverſus pietatem ſolum erat fortiſſimus, nec ferre poterat eorum concordiam; ſed efferatur, acri ira percitus utroſque damnat exilio*. At hæc longe poſtea contigerunt.

Pag. not. 8., & 10. an. 491.

Macedonii cura pro Concilio Chalcedenſi, & pace monaſteriis firmanda.

11. Si ſuſpectæ fidei tunc temporis fuit Flavianus Antiochenus Epiſcopus, integerrimæ erat Macedonius Conſtantinopolitanus, qui omnem movebat lapidem, ut concilium Chalcedonenſe ab omnibus reciperetur, ejuſque ſollicitudinis teſtis eſt Theophanes, dum refert: *Hoc anno*, inquit, *Macedonius Imperatoris conſilio Monaſteria urbis, ac præcipue Eccleſiæ communione ob Zenonis Concordiæ Sanctionem ſe dirimentia*

mentia ſtuduit reconciliare. At cum propoſitum non poſſet exequi, de convocandis in unum per Urbem peregrinantibus Epiſcopis, deque ſcripto firmandis, quæ Chalcedonenſis Synodus recte decreverat, Imperatori auctor fuit, quod per actum ſcripturæ conſignatum poſtea factum eſt. Adhortabatur ſubinde ad pacem, & concordiam Monaſteriu, Dii maxime, & Baſſiani, & Inſomnium, atque Matronæ, quæ ab iis, qui unionis ſanctionem admiſerant, cetus Eccleſiaſticos ſeparatim agere propoſuerant, aut potius exilia quæque ſponte, alacriter tolerare &c. JESU CHR. AN. 499.

12. Matronæ Monaſterium, Fœminarum fuit, ita appellatum a ſancta Matrona Pergenſi, quæ in eo aliquandiu vixit, obiitque, cujus vitam exhibet Surius ex Metaphraſte. Hæc autem Macedonii cura, pro ſtabilienda concordia cum Monaſteriis Urbis, irrita fuit; nam monachi, æque ac monachæ Monaſteriorum Dii, Baſſiani, Inſomnium, atque Matronæ, qui inter Catholicos rigidiores erant, ab eorum communione ſe abſtinebant, qui Hennotico Zenonis ſubſcripſerant. Ob quam cauſam Macedonii quoque communionem refugiebant, qui unionis Decreto adhærebat, in quo ſi laudandus fortaſſe non erat, ex eo ſaltem laudem meretur, quod manſuetudini, ac lenitati adeo ſtudebat, ut illos potius ſuæ concedere voluntati voluit, quam duriorem in eos perſecutionem movere. Multa tamen pertulit tam Matrona, quam Sophia, dum Diaconus Griſaorius eas cogere voluit, ut cum Macedonio communicarent, ut ibidem narrat Theophanes.

De Monaſterio Matronæ.

die 8. Novembris.

Tillem. Not. 4. in vitam Maced. tom. 16. hiſt. pag. 808.

JESU CHRISTI AN. 499. SYMMACHI PAPÆ 2.
ANASTASII IMP. 9. THEODORICI REGIS 7.
COSS. GIBBO ABSQUE COLLEGA.

1. Annus inſequens quadrigenteſimus nonageſimus nonus, Gibbi Conſulatu notatus eſt, cui nonnulli Aſclepium addunt, cujus nomen una cum Joanne Gibbo in duabus legibus Codicis Juſtinianei legitur, at in Faſtis ubique ſolus Gibbus conſul legitur. Apud Occidentales hic annus poſt Conſ. Paulini inſcriptus eſt, ut in Concilio Romano a Symmacho ſui Pontificatus initio habito. Poſtquam igitur Theodorici Regis judicio Symmachi Papæ electio, & ordinatio probata fuit, Synodum Romæ Symmachus congregavit, qua eorum teme-

De Rom. ſynodo a Symmacho Papa congregata.

Murat. hoc ann. l. 25. de Excuſat. tut.

ESU CHR. AN. 499. temeritatem repreſſit, qui fraudibus aut vi Rom. ſedem invadere conati eſſent. Tempus, locuſque Synodi ex Præfatione, quàm coram Pontifice Fulgentius Diaconus recitavit, indicatur, qua hæc leguntur: *Poſt Conſulatum Paulini VC. die Kalend. Martiarum in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, Synodo Præſidente Beatiſſimo Papa Symmacho, Fulgentius Archidiaconus dixit: Beatitudo veſtra, directis antehac per provincias auctoritatibus, frequentem Italiæ Sacerdotum Synodum convocavit, quorum præſentia in veſtris videtur oculis conſtituta; nunc Beatitudo veſtra, quæ ad Eccleſiaſticas indemnitates, vel ad pacem totius Eccleſiæ pertinent, ſive concordiam dignetur tractabiliter ordinare.* His ab Archidiacono recitatis, fauſtæ acclamationes ab Epiſcopis: & Presbyteris Symmacho ſunt repetitæ hoc modo: *Exaudi Chriſte: Symmacho vita, dictum eſt decies. Cujus Sedem, & annos dictum eſt novies. Ut facias, rogamus, dictum eſt decies.* Tum Pontifex ad Synodum converſus: *Concilium dilectionis veſtræ, neglecta hyemis aſperitate, ſollicitudo noſtra pro Eccleſiaſtica indemnitate ſpecialiter congregavit, ut Epiſcopalem ambitum, & confuſionis incertum, vel popularem tumultum, quem per ſurreptionem Diaboli uſurpatione aliquorum tempore ordinationis meæ conſtat exortum, communicato pariter tractatu, in futurum poſſimus robuſte, ac vivaciter amputare, atque ideo caveamus in poſterum, ne ſubverſio diſciplinæ, aut audacia præſumentium geſtiat tentare ſimilia: & pari adunatione tractemus, expreſſis ſcilicet ſententiis ſancientes, quid circa Romani Epiſcopi ordinationem debeat cuſtodiri. Univerſi Epiſcopi, vel Presbyteri dixerunt: ut fiat, rogamus. Dictum eſt decies. Ut ſcandala amputentur, rogamus. Dictum eſt novies. Ut ambitus extinguantur, rogamus. Dictum eſt duodecies. Exaudi Chriſte: Symmacho vita. Dictum eſt ſexies: Cujus ſedem, & annos. Dictum eſt quinquies. Ut de præſenti fiat. Dictum eſt decies. Symmachus Epiſcopus dixit: Quoniam Fraternitas veſtra curam proviſionis noſtræ ſuis exhortationibus incitavit, & parilem circa Eccleſiæ tranquillitatem Dei noſtri contemplatione animum præſtat, ſicut præfati ſumus, deliberatione in præſenti habita, quid placeat ex omnibus veſtris informate ſententiis, quæ in hoc venerabili Concilio per Eccleſiaſtica recitentur officia. Cumque ſurrexiſſent, & paulo poſt iterum conſediſſent, Æmilianus Notarius Synodi decreta vulgavit.*

Labb. tom 4. Concil. pag. 1312.

2. Pri-

Digitized by Google

Jesu Chr.
An. 409.

Ambientes Pontificatum aut de Succeſſore tractantes, vivo Pontifice, communione privantur.

2. Primo: Ut ſi quis, Papa ſuperſtite, pro Romano Pontificatu, cuique quolibet modo favorem præſtare præſumpſerit, loco ſuo excidat. Deinde, ut ſi Presbyter, Diaconus, aut Clericus, Papa incolumi, & eo inconſulto, aut ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pitacia promittere, aut ſacramentum præbere tentaverint, aut aliquod certe ſuffragium polliceri, vel privatis conventiculis deliberare, atque decernere, loci ſui dignitate, atque communione privetur &c. Eademque anathematis ſententia is plectitur, qui, Pontifice vivo, quolibet modo ambiiſſe convictus fuerit.

A majori parte electus pro Pontifice habeatur.

3. Si vero tranſitus Papæ inopinatus evenerit, ut de ſui electione ſucceſſoris non potuerit ante decernere, ſi in unum totius inclinaverit Eccleſiaſtici ordinis electio, is conſecretur Epiſcopus. Si autem (ut fieri ſolet) ſtudia cœperint eſſe diverſa, vincat ſententia plurimorum. Propter occultas autem fraudes, & conjurationum ſecretas inſidias, hæc etiam ſynodali ſententia ſtatuta ſunt: Si quis ad Eccleſiaſticam pertulerit notitiam conſilia eorum, qui contra hanc Synodum de Pontificali egerint ambitu, & rationabili probatione convicerit, particeps actionis hujuſmodi non ſolum purgatus ab omni culpa ſit, ſed etiam remuneratione congrua ſublevetur. Quibus dictis ſurgens univerſa Synodus, Symmacho iterum fauſta precata eſt, confirmatiſque decretis ſubſcripſerunt Epiſcopi ſeptuaginta tres; omnium primus Pontifex hoc modo: *Cælius Symmachus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romanæ, his Synodalibus conſtitutis, a me probatis, atque firmatis ſubſcripſi*. Aliorum deinde Epiſcoporum ſequuntur ſubſcriptiones, quas Labbeana editio exhibet, ſicuti & Presbyterorum Romanæ Eccleſiæ numero LXVII., & Diaconorum quinque. Inter Presbyteros primus ſubſcripſit: *Cælius Laurentius Archipresbyter Tituli Sanctæ Praxedis his ſubſcripſi, & conſenſi Synodalibus conſtitutis, atque in hac me profiteor manere ſententia*. Hunc eumdem Laurentium fuiſſe, qui cum Symmacho de Pontificatu contenderat, Baronius, aliique tradunt, quem poſtea Nuceriæ Epiſcopum ordinatum fuiſſe, narrant Hiſtorici, atque in hac Romana Synodo id contigiſſe, adnotat Anaſtaſius, his verbis: *Eodem tempore Papa Symmachus congregavit Synodum, & conſtituit Laurentium in Nuceriam Civitatem Epiſcopum intuitu miſericordiæ*.

Jesu Chr. an. 499. Symmachi epiſt. ad Eonium Epiſcopum Arelatenſem.

4. Poſtquam Romanæ Synodi auctoritate ſchiſma, in electionem Symmachi Papæ excitatum, extinctum fuit, Symmachus, nullo repugnante, Romanam Sedem adeptus eſt, & Paſtoralis Officii munera exercens, ad Eonium Arelatenſem Epiſcopum litteras hoc anno dedit tertio Kal. Novemb., quibus Eonium admonet, ut Legatos ſuos ad Apoſtolicam Sedem mittat, ut ſi quid ſub Præceſſore ſuo juribus ſuis ab Avito Viennenſi Epiſcopo detractum fuerat, uti Eonius conqueſtus fuerat, revocaretur; ob quam cauſam, Avito quoque eadem ſe juſſiſſe, addit. Unde poſt plurima ſubdit: *Ne facile alterius partis abſentia præjudicabiliter videremur aliqua decreviſſe, id magis duximus ordinandum, ut Fraternitas tua competenti tempore, de Eccleſiaſtico ordine inſtructum non moretur de omni cauſa dirigere, qui apud nos veritatem cauſæ competenter alleget; quatenus pertractatis omnibus, quod ſtatuendum eſt, ſub deliberationis robore ſanciatur. Illud etiam dilectionem tuam facere debere præcipimus, ut fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Viennenſis Urbis Antiſtitem, miſſo nuntio, & ſcriptura commoneat, ut conſtitutis diebus, is quoque hominem proprium dirigat, qui partis ejus allegationes competenter inſinuet: ut depromptis ab utraque parte ſuggeſtionibus, ſecurius quæ in perpetuum ſervanda ſint, diſponantur. Quia ſemper ſuſpectus judicat, qui ſub unius, quod videtur, eligit deploratione ſancire: Dominus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data ſub die 3. Kalendas Novembris poſt Conſulatum Paulini viri clariſſimi.* Quem finem hæc diſſidia habuerint, ſequentibus annis dicemus.

Tom 4. concil. pag. 1292.

Symmachi epiſt. ad Ziberium.

5. Alteram hoc anno Epiſtolam Symmachus dedit ad Ziberium Patricium de electo Aquilejenſi Epiſcopo, cui electioni conſenſum ſe præbere teſtatur. Unde inter cætera: *Jungo & ego ampliſſime partibus veſtris (ſive Patribus veſtris) pro modulo exiguitatis propriæ, vobis Cælo obſequente, conſenſum: & quod mirabile inter homines habetur, conſideratione veſtri attrahor ad amorem.* Ceterum Symmachi ſit nec ne hæc epiſtola, dubitari poteſt, cum inter Ennodii epiſtolas reperiatur prima libri quinti; ne dicamus ab Ennodio Pontificis nomine ſcriptam fuiſſe, cujus rei quam plurima extant exempla.

Anaſtaſius Imperator abrogat tributum Chryſagyrum.

6. Imperii res nunc breviter attingamus, eaque in primis narremus, quæ Anaſtaſio Imperatori ſummam laudem per-

Digitized by Google

pepererunt, ob remiſſionem Tributi, quod Chryſargyrum vocabatur, exigebaturque ab iis, qui ſtipe collatitia victitabant, a mulierculis quoque, quæ corpore quæſtum faciebant, quodque deterius erat, etiam a maſculis, qui naturam, ac Rempublicam fœdabant; hocque tributo licitum cuique erat, in omnem volutari libidinem. Illud Alexander Severus ærario ſuo inferri prohibuit; quod etiam lege lata 8. *idus Decemb. anno* 439. ſuſtulerat Theodoſius Imperator. At quid non facit auri fames, & cupiditas? paulatim in priſtinum reſtitutum fuerat. Quare Anaſtaſius Imperator, ut tantæ fœditatis memoriam aboleret, conquiſitis undique chartis, quæ idem tributum ſpectabant, ignibus tradidit, ac ultra exigi prohibuit. Unde S. Sabas gratias agens, ad Anaſtaſium Imp. anno 512. ajebat: *Univerſa Romanorum Reſpublica veſtræ Serenitati gratiat, quod jam ante treſdecim annos ab iniquiſſimo Chryſargyri vectigali liberata fuerit.* Theophanes tamen anno 501. id contigiſſe adnotat. Sed Reipublicæ lætitia ob vectigal ſublatum Bulgarorum irruptione in luctum converſa eſt. Rem geſtam ſic narrat Marcellinus: *Ariſtus Illyricianæ Ductor Militiæ cum XV. millibus armatorum, & cum DXX. plauſtris, ad prœliandum neceſſariis, oneratis contra Bulgares Thraciam profectus eſt: Bellum juxta Fluvium Zuriam conſertum, ubi pluſquam quatuor millia noſtrorum, aut in fuga, aut in præcipitio ripæ Fluminis interempta ſunt, ibique Illyriciana virtus militum periit, Nicoſtrato, Innocentio, & Aquilino Comitibus interfectis.* Calamitates alias, eodem Gibbo Conſule, Pontica regio paſſa eſt, prout refert idem Auctor, ſcilicet: *Ingens Terræmotus Ponticam concuſſit Provinciam.* Bulgarorum incurſiones in Thraciam refert Theophanes *anno* 501., aitque tum primum eorum nomen auditum; verum ſi Auctori Miſcellæ fides habenda, jam decem ab hinc annis, Theodoricus Italiam petens, cum Buſa Bulgarorum Rege pugnavit, eumque vicit.

Lamprid. in Alex. cap. 24.
Novell. tit. 18.
Vita S. Sabæ cap. 54.
Theoph. pag. 123.
Bulgari Thraciam depopulantur.
Marcellin. in Chron.
Theoph. pag. 123.
Hiſt. Miſcell. apud Murat. tom. 1. rerum Italicarum.

JESU CHRISTI AN. 500. SYMMACHI PAPÆ 3. ANASTASII IMP. 10. THEODORICI REGIS 8. COSS. SPATIO ET PATRICIO.

1. Redemptionis adeſt annus quingenteſimus, Conſulibus Spatio, ac Patricio, quo Theodoricus cum magna Senatus,

Theodorici Regis adventus Romam.

AN. 500. natus, Populique lætitia Romæ exceptus eſt, in cujus adventu Imperatorum triumphantium memoria renovata eſt. *Hoc anno Rex Theodoricus Romam cunctorum votis expetitus advenit, & Senatum ſuum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donavit annonas, atque admirandis mœnibus, deputata per annos ſingulos maxima pecuniæ quantitate, ſubvenit, ſub cujus felici Imperio plurimæ renovantur Urbes, munitiſſima Caſtella conduntur, conſurgunt admiranda Palatia, magniſque ejus operibus antiqua miracula ſuperantur*. Hæc Caſſiodorus, eademque fuſiori ſtylo narrantur ab Anonymo Valeſiano, qui addit: *Facta pace in Urbe Eccleſiæ, ambulavit Rex Theodoricus Romam, & occurrit B. Petro devotiſſimus, ac ſi Catholicus. Cui Papa Symmachus, & cuncti Senatus, vel Populus Romanus, communi gaudio extra Urbem occurrentes: deinde veniens ingreſſus Urbem, venit ad Senatum, & ad Palmam Populo adlocutus, ſe omnia, Deo juvante, quod retro Principes Romani ordinaverunt, inviolabiliter ſervaturum promittit. Per Tricennalem* (*legendum Decennalem*) *triumphans Populo ingreſſus Palatium exhibens Romanis Ludos Circenſium. Donavitque Populo Romano, & pauperibus annonas ſingulis annis centum viginti millia modios, & ad reſtaurationem Palatii, ſeu vel recuperationem mœniorum Civitatis ſingulis annis libras ducentas de Arca vinaria dari præcepit. Item Amalafrigda germana ſua in Matrimonium tradens Regi Vandalorum Tranſimundo &c. Deinde ſexto menſe revertens Ravennam, alia Germana* (*ſeu neptis ſua*) *Herminifrido Regi Toringorum: & ſic ſibi per circuitum placuit omnibus Gentibus &c.*

Caſſiod. in Chron. tom. 1. pag. 395. edit. Gareſii.

Theodoricus Apoſtolorum limina veneratur.

2. Inter ceteros, qui triumphali pompæ Theodorici adfuerunt, S. Fulgentius numeratur, de cujus genere, & ſtudiis uſque ab hunc annum nonnulla prænotamus, quem Auguſtini diſcipulum, & in tuenda Catholica Fide æmulatorem ſtrenuum fuiſſe, dicenda inferius monſtrabunt. Illuſtris itaque vir præclaros habuit Progenitores ex Senatorio Ordine Carthaginenſi, cujus avus Gordianus. Cum Genſericus Vandalorum Rex Senatores plurimos, ammiſſis omnibus bonis, ad Italiam navigare compuliſſet, inter ceteros etiam ipſe Gordianus peregrinationem libenti voluntate ſuſcepit, volens ſaltem facultatibus perditis, non perdere libertatem, aut Catholicam Fidem. Poſt patris obitum, duo ex filiis ejus, ſpe

Fulgentii vitæ compendium ad hunc annum.

Vita S. Fulgentii pag. 16. n. 4. edit. noviſſ.

Fulgentii origo, ac ſtudia.

ſpe recuperandæ hæreditatis, Africanam Provinciam repetentes, manere tamen intra Carthaginem minime potuerunt, domo propria donata ſacerdotibus Arianis. Sed poſſeſſionibus ſuis ex parte per anctoritatem Regiam recuperatis, Bizacium perrexerunt, ibique in Tellepte civitate unus eorum, nomine Claudius, ex conjuge Mariana nomine, chriſtiana, & honeſta fœmina, hunc, cui tanta gloria debebatur, ideſt Fulgentium, genuit, anno ſcilicet 468. ideoque labenti annum trigeſimum ſecundum agebat. A primæva autem ætate Latinis, Græciſque litteris matris cura eruditus, nam Patrem adhuc infans amiſit, eos brevi progreſſus fecit, ut omnium judicio litteratiſſimus haberetur. Paulo poſt ad Reipublicæ adminiſtrationem Procurator electus eſt, qua poteſtate accepta, dum neminem lædere pro ingenita ſibi pietate deſideraret, atque in exigendis penſionibus crudelitatem cogeretur exercere, ſæcularium negotiorum gravem ſarcinam ſentire cœpit, & ſpiritalis vitæ deſiderio æſtuans, monaſteriorum ſuaviſſimos greges frequentius viſitabat, ſervorum Dei mores propoſitumque imitari ſtatuit, ac ut in ejus vita narrat Ferrandus Diaconus, Beati Auguſtini exponentis trigeſimum ſextum Pſalmum lectione commotus, ſeculo renuncians, monachorum inſtitutum amplexus eſt.

Jesu Chr. an. 500.

3. Ut ergo voti ſui compos fieret, Fauſtum Epiſcopum adiit, qui ab Hunnerico relegatus, monaſterium in exilio ædificaverat, ibique vix receptus, ut a propoſito revocaret, ad eum mater ejus convolavit, ac ad Monaſterii januas adſtans, ad Fauſtum ajebat: *Redde filium matri, redde dominum ſervis. Sacerdotes ſemper multa beneficia viduis præſtant, quare nunc domus viduæ per te perit; ſed cum nihil proficeret, itant ne eum videndi facultas daretur: ſciens illa quantum diligeretur a filio, magnis ante januam monaſterii clamoribus ejulabat, & Fulgentii nomen frequentius inclamans, ſolationem ſuam miſerabiliter allegabat*. At fulgentius matrem, quam ſemper amaverat, etſi Ingentem ſuis auribus audiret, *corde tamen ſurſum poſitus audiebat, & non audiebat, nec illius preces advertere dignum putabat, quia pietatem ſolitam religioſa crudelitate vincebat*. Abſtinentiæ vero ſic deditus erat, *ut inediæ magnitudo ſiccatam corporis cutem, fatiſcere diverſis ulceribus cogeret; ac ſuperinducta, quam dicunt, impetigine, delicati corporis pulcritudo fœdare-*

Fulgentius fit Monachus.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 500. *daretur*. Quam ob cauſam putabant plurimi eum a propoſito receſſurum; ſed Dei auxilio fretus, in priſtinam rediit ſanitatem. Cum autem perſequutio per Traſamundum mota adhuc vigeret, ac Fauſtus Epiſcopus latere cupiens, locum ſæpe mutaret, ne de loco in locum peregrinari Fulgentius cogeretur, vicinum adiit monaſterium, cui Felix quidam præerat, ubi cum gaudio ſuſceptus, una cum Felice Monachorum Congregationi præeſſe compulſus eſt. Non multo tamen poſt loca mutare iterum cogitur, nam cum ob Barbarorum incurſionem tota Provincia turbata eſſet, in Sicciuenſi provincia ſedem figere cum Felice ſtatuit. At ibi duriora, quam a Barbaris pati poterat, expertus eſt.

Felix, & Fulgentius ab Ariano Felice Flagellari jubentur.

4. Felix enim quidam Presbyter Arianus natione barbarus, moribus ſævus, & Catholicorum acerrimus perſequutor, qui in Fundo Garbadilla degebat, ut B. Fulgentii nomen inclareſcere cognovit, Presbyterum ſub Monachali habitu eum fuiſſe ſuſpicatus; inſani furoris ſtimulis agitatus, Servos Dei perſequi ſtatuit, ac ad ſe perduci per vim juſſit, quibus ore terribili violentus Presbyter dixit: *Cur e veſtris regionibus occulte veniſtis Chriſtianos greges evertere? Illis ad hæc veraciſſimæ reſponſionis verba parentibus, inferri præcepit verbera*. Hæc videns Felix, de fratris magis, quam de ſua ſalute ſollicitus: *Parcite*, ait, *Fulgentio fratri, qui non poteſt tormenta perferre. Nolite iſtum cædere, inter veſtras manus forſitan moriturum. Convertatur in me veſtra crudelitas, ego ſcio quid confitear, in me eſt omnis cauſa. Tunc dilectionis admiratione ſtupefactus, removeri pauliſper B. Fulgentium jubet, atque illum gravius cædi miniſtris ſæviſſimis imperat. Tunc hilari animo Felix Abbas verberibus ſubditur, dolorem quippe cum gaudio ſuſtinebat, quia B. Fulgentium nihil adhuc pati videbat*. Dilatus tamen, non ereptus flagellis Fulgentius fuit; nam poſt Felicem, Fulgentius quoque, ut idem auctor vitæ Fulgentii, ejuſque diſcipulus narrat, *violentos impetus fuſtium, repentini doloris acerbitate creſcente, vix tolerans, ſicut ipſe nobis poſtea referebat, cogitavit Presbyteri furentis inſaniam vel mollire ſi poſſet, vel certe paululum, donec recrudeſceret, avocare: quo facilius inter ipſas moras inveniret ſpatium reſpirandi, ne continuata pœna omnino intollerabilis fieret. Dico aliquid, ſi loquendi poteſtas tribuitur, dum cæderetur, exclamat. Tunc Presbyter putans, eum con-*

S. Fulgentius flagellatur.

Digitized by Google

confiteri velle, jubet quieſcere cædentes, & ſic adhuc ad flagella ſuſpenſum, loqui præcipit, quod volebat. Ubi vero B. Fulgentius vitæ ſuæ hiſtoriam narrare aggreſſus eſt, etſi Arianum Presbyterum attonitum, ac verborum ſuavitate delinitum reddidiſſet, flagellis iterum Fulgentium ſubdidit, ac tandem deformiter decalvatos, ablatis etiam omnibus veſtimentis, ex domo ſua nudos, ſpoliatoſque projecit. Ii vero, ideſt Felix, & Fulgentius, Apoſtolorum exemplo, ad Fratres reverſi ſunt, gaudentes, eo quod pro Nomine Jeſu, & Fide Catholica contumelias, & flagella paſſi eſſent. Ubi vero crudeliſſimi facti Carthaginem fama pervenit, Arianorum Epiſcopus mactatum gravi cæde B. Fulgentium doluit. Et quia parentes ejus cognitos habebat, eumque cum adhuc laicus eſſet, quammaxime dilexerat, adverſus Presbyterum ſuæ religionis, & Parochiæ, qui cædis auctor extiterat, graviter commotus, vindicare B. Fulgentium paratus erat. At B. Fulgentius, multis ut hoc faceret ſuadentibus: *Non licet, ait, in hoc ſæculo vindictam quærere Chriſtiano. Novit Dominus, quomodo ſervorum ſuorum defendat injurias*.

S. Fulgentius in Siciliam, deinde Romam venit.

5. Cum tantam itaque ab Ariano Presbytero accepiſſet injuriam, inde recedens, Barbaros magis, quam Arianos vicinos habere cupiens, in altero monaſterio aliquandiu moratus eſt Fulgentius; at ex lectione Inſtitutionum & collationum Caſſiani edoctus, quanta cum vitæ ſanctitate, & auſteritate Monachi in Ægypto viverent, illuc migrare decreverat: ob quam cauſam cum Redempto peregrinationis ſocio, Carthaginem rediit, ibique navem Alexandriam petiturus conſcendit, ventiſque proſperis Siracuſam appulit. Regebat eam Eccleſiam Beatus Eulalius eximiæ ſanctitatis, ac hoſpitalitatis cultor, ad quem Beatus Fulgentius veniens, benigne exceptus eſt. Eulalius vero Fulgentii conſuetudine delectatus, cur ex Africa diſceſſiſſet, diligenter inquirit: *Ille metuens arrogantiæ notam, ſi deſiderium ſuum fateretur: Parentes, inquit, inquiro, quos illis in partibus vivere peregrinos audivi. Vere enim parentes ſuos requirebat, quorum ſuaviſſimos mores imitari cupiebat*. At Epiſcopo, reſponſi ambiguitate detecta, curioſius inquirenti, Fulgentius aperte confitetur, ſe ad ultimam Thebaidæ Regionis eremum ire, ut illic Mundo mortuus viveret. At Eulalius: *Recte facis*, reſpondit, *cupiens meliora ſectari, ſed ſcis quoniam Deo ſine fide impoſſibile eſt placere*.

Ter-

JESU CHR. AN. 500. *Terras, ad quas pergere concupiſcis, a communione B. Petri perfida diſſenſio ſeparavit. Omnes illi Monachi, quorum prædicatur mirabilis abſtinentia, non habebunt tecum Altaris Sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere jejuniis corpus, ubi ſolatiis ſpiritalibus indigebit anima, quæ multo melior eſt corpore? Revertere Fili, ne vitæ melioris intuitu periculum rectæ Fidei patiaris*. Quare his motus rationibus Fulgentius, Ægyptiacæ peregrinationis propoſitum depoſuit, ac apud Syracuſam paucis menſibus cum Eulalio exegit; & Vere adveniente Rufinianum Epiſcopum, qui perſecutionem fugiens ex Africa in Siciliam tranſierat, Fulgentius adiit, a quo etiam ab Ægyptiaco itinere deterritus, ad proprium monaſterium, viſitata prius Apoſtolorum memoria, redire ſtatuit.

S. Fulgentius Romæ in Theodorici triumpho cæleſtem gloriam contemplatur.

6. Romam vero eo tempore advenit, quo Theodoricus Rex aderat. *Unde contigit, ut B. Fulgentius, cui mundus olim fuerat crucifixus, poſtquam ſacra Martyrum loca circuivit, omnes ſervos Dei, quorum in brevi capere notitiam potuit, humili obſequio ſalutavit. In loco, qui palma aurea dicitur, memorato Theodorico Rege concionem faciente Romanæ Curiæ nobilitatem, decus, ordinemque diſtinctis decoratam gradibus adſpectaret, & favores liberi Populi caſtis auribus audiens, qualis eſſet hujus ſæculi glorioſa pompa cognoſceret. Neque tamen in hoc ſpectaculo aliquid libenter intuetur, nec nugis illis ſæcularibus ſuperflua illectus delectatione conſenſit: ſed inde potius ad illam ſupernæ Civitatis Hieruſalem deſiderandam felicitatem vehementer exarſit; ſalubri diſputatione præſentes ſic admonens fratres: Quam ſpecioſa poteſt eſſe Hieruſalem cæleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris? & ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor, & gloria, & pax præſtabitur Sanctis contemplantibus veritatem? Multa his ſimilia beatus Fulgentius illo die ſalubriter diſputavit, & jam toto corde monaſterium reviſere cupiens, ad Africam velociter per Sardiniam navigavit.* Reverſus in Africam monaſticam, ut antea, vitam egit, & vigente pace ſub Traſamundo Rege, in alios etiam latius propagavit. Quomodo autem poſt annos aliquot, Ruſpenſis Eccleſiæ Epiſcopus ordinatus fuerit, ſuo loco dicemus.

7. Hoc anno, ſi fides habenda auctori Pontificalis apud

Digitized by Google

Anaſt. tom. 3. pag. 214.

apud Anaſtaſium, Romæ a Symmacho concilium celebratur: *Beatus Symmachus* (ſic legitur) *congregavit Epiſcopos CXV. & facta Synodo purgatur a crimine falſo, & damnatur Petrus Altinus invaſor Sedis Apoſtolicæ, & Laurentius Nucerinus, quia vivo Epiſcopo Symmacho pervaſerunt Sedem ejus. Tunc ab omnibus Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & Clero, vel plebe reintegratur Sedi Apoſtolicæ B. Symmachus, ut cum gloria apud B. Petrum ſederet Præſul.* Hæc ex Anaſtaſio, cujus auctoritate Conciliorum Editores, aliique hoc concilium hoc anno alligarunt. At ſuppoſititium hoc concilium eſſe, vix dubitandi locus remanet, nam ſcimus, Eccleſiam Romanam, adveniente Theodorico, in ſumma pace hoc anno fuiſſe. Adde, quod ſi unquam in rerum natura fuiſſet hoc Concilium, Ennodius ſane in Apologia pro Palmari Synodo, & Symmachi innocentia edita, hujus mentionem feciſſet, cum alioquin tanti eſſe poterat momenti, ut hoc ſolo argumento Symmachi innocentia demonſtrari potuiſſet. Cur judicium CXV. Epiſcoporum, qui eum ut verum Pontificem declararunt, ſilentio præteriit? cum alioqnin quæcumque ejus cauſam juvare poterant, ſumma diligentia collegit, ac majori qua potuit eloquentia exageravit; nil mirum itaque, ſi in quamplurimis manuſcriptis codicibus de hac Synodo nulla mentio fiat, & de ea loquens Labbeus, non ſine dubitatione ait: *Si quæ tamen ante Synodum tertiam ſequentem alia* Romæ eſt habita; eam itaque uti ſuppoſititiam habuerunt quamplurimi doctrina celeberrimi, inter eos non ſine laude nominandus Card. Orſi, qui de hac Synodo in ſua hiſtoria ne verbum fecit. Igitur hæc Synodus diſtingui non debet ab ea, qua Symmachus eſt abſolutus, cujus acta extant, & de qua ſequenti anno verba facturi ſumus.

Pag. not. 7. ann. 500.

tom. 4. Concil pag. 1322. Baſnag. ann. 500. n ult. Dupin. Sæcul. 6. p. 339.

Symmachi epiſtola ad Æonium Arelatenſem.

8. Cum inter ſe Arelatenſis, & Viennenſis Epiſcopi Æonius, & Avitus jamdiu diſſiderent, ſuperiori anno ſcripſerat Symmachus ad Æonium, ut ad Romanam Sedem legatos ſuos mitteret, qui cauſam apud ſe agerent. Quid pro tuendis Eccleſiæ ſuæ juribus egerit Avitus, ignoratur; adeſt tamen Symmachi epiſtola ad Æonium, qua Anaſtaſii deceſſoris ſui judicium revocat, ac Epiſcoporum ordinationes juxta antiquam conſuetudinem fieri jubet; epiſtola autem ſua Symmachus Papa Æonio narrat, ex litteris ejus didiciſſe eum cum Arelatenſi Epiſcopo ob Epiſcoporum ordinationes diſſi-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 500. dere; idque eveniſſe, eo quod: *Deceſſor noſter ſanctæ recordationis Anaſtaſius, tractans confuſionem Provinciæ, aliqua contra veterem conſuetudinem juſſerit obſervari, Deceſſorum ſuorum videlicet ordinationem (quod non oportebat) ſub qua libet neceſſitate tranſgrediens. Nam dum ad Trinitatis inſtar, cujus eſt una, atque individua poteſtas, unum ſit per diverſos Antiſtites Sacerdotium; quemadmodum priorum ſtatuta a Sequentibus non convenit &c.* Quare poſt aliqua: *Relegentes ergo veterum Antiſtitum ſuper hac cauſa ordinationes, quibus eccleſiaſticum gravatur ſcrinium, dilectionem tuam enixiſſime commonemus, ut in ordinandis per ſingulas urbes Sacerdotibus cana, & reverenda ſervetur antiquitas, nec novella conſtitutio vetuſtæ ſanctionis robur imminuat, quia non aliter inter vos poterit ſervari concordia, niſi novis cupiditatibus antiquitatis reverentia modus prudentiori adhibeatur conſilio: Dominus te incolumen cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Kalendas Octobris, iterum poſt Conſulatum Paulini junioris viri clariſſimi.*

Bellum Gundobaldi cum Godegeſilo fratre. *Greg. Tur lib. 3. cap. 22.*

9. Graviora diſſidia inter Clodoveum Francorum, & Gundobaldum Regem Burgondiorum vigebant; nam Godegeſilus fraterno inhians Regno, Gundobaldo inſidias molitus eſt, ut narrat Marius Aventicenſis. *Gundobaldus, & Godegiſilus Fratres Regnum circa Rhodanum, Ararim cum Maſſilienſi provincia retinebant. Cumque ſe invicem impugnarent, audiens Godegeſilus Clodovei Regis victorias, miſit ad eum occulte legationem, dicens: ſi mihi ad perſequendum Fratrem meum præbueris auxilium, ut eum bello interficere, aut de regno ejicere poſſim, tributum tibi, quale tu ipſe velis injungere, annis ſingulis diſſolvam.* Godegeſili promiſſis accenſus Clodoveus, qui dilatandi regni ſui impotenti libidine tenebatur, Gundobaldo bellum indixit, cui ſuſtinendo, cum impar eſſet Gundobaldus, Fratris Godegeſili auxilium imploravit, ut junctis viribus paternum tueretur Regnum. Commiſſa pugna, ut Gregorius Turonenſis, & Marius Aventicenſis narrant, inter Francos, & Burgundiones, Godegeſilus cum ſuis adverſus Fratrem dimicavit, & fugato fratre ſuo Gundobaldo, Regnum ipſius pauliſper obtinuit. At Gundobaldus reſumptis viribus Viennam cum exercitu circumdedit, captaque civitate fratrem Godegeſilum interfecit, pluresque Seniores, & Burgundiones, qui cum ipſo erant, multis, exqui-

Digitized by Google

quiſiiſque tormentis morte damnavit. Hæc breviter Marius, quæ fuſiori ſtylo a Gregorio Turonenſi narrantur; ſicque juſto Dei judicio factum eſt, ut Godegiſilus in fratrem perduellis, dum totius Burgundiæ Regnum occupare tentavit, cum Regno vitam quoque amitteret. Jesu Chr. an. 500.

10. Quo tempore Clodoveus Gundobaldum Lugdunenſis Burgundiæ Regem armis inſectabatur, aliud ſpiritale bellum eidem Regi a catholicis Epiſcopis oblatum eſt, ut eum ejuſque ſubditos ab Ariana hæreſi ad Catholicam Fidem perducerent. Inter primos, ſi non ætate, vel dignitate, ſcientia tamen, & pietate eminebat Avitus Viennenſis Epiſcopus. Is nullo labori pepercit, ut Gundobaldum Regem ad Catholicam fidem adduceret, ut Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus in libro contra legem Gundobaldi pluribus perſequitur. Nam cum eo frequenter de fide diſputans, *dialogos in præſenti conficiens, & epiſtolas abſenti ſcribens, plura & clara ingenii ſui, & virtutis opera reliquit*. Ex iis Dialogis unum Avitus ipſe proponit ad Sigiſmundum Gundobaldi filium epiſtola 21. Gregorius vero Turonenſis teſtatur, Avitum, regnante Gundobaldo Rege, ſcripſiſſe contra hæreſim Arianam, eorumque blaſphæmiam qua dicebant: *Nihil Divinitatis habuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, atque hæc Aviti adverſus Arianos diſputatio in epiſtola 28. ad Gundobaldum Regem legitur. Inſuper eodem ſuadente Rege, Eutychianorum, Neſtorianorum, Photinianorum, & Donaſiachorum hæreſes confutavit, ut ex Epiſtola Aviti ſecunda, & tertia ad eumdem Regem data conſtat. At Arianam hæreſim præcipue, quæ in aula graſſabatur, libris ſuis, & epiſtolis profligavit. Unde Sigebertus in Chronico anno 490. de eo hæc habet: *Avitus Viennenſis Epiſcopus claruit, qui Gallias ab Ariana hæreſi defendit*.

S. Avitus Viennenſis Epiſcopus Gundobaldum ad Fidem Catholicam perducere tentat.

Greg. Tur. lib. 2. cap. 34.

11. Celebris interea inter Catholicos, & Arianos Epiſcopos coram ipſo Rege Gundobaldo Collatio habita eſt, cujus Gregorius Turonenſis meminit, eamque in lucem edidit Dacherius in ſuo Specilegio, extatque etiam apud Sirmondum inter Aviti opera, & in conciliorum editionibus. Præter Avitum, qui in hoc conflictu primas partes egit, adfuerunt Æonius Arelatenſis, Maſſilienſis, & plures alii omnes catholicæ Profeſſionis, & laudabilis vitæ Epiſcopi. *Quod ut melius fieret; videreturque id non conſilio accidiſſe, ſed occaſione, Dominus Stephanus Lugdunenſis Epiſcopus ſcripſit ad Epiſcopos multos*

De collatione Aviti cum Arianis.

Greg. Tur. lib. 2. cap. 33. Dachery tom. 5. Specileg. pag. 110. Tom. 4. Concil. Lab. p. 1318.

Jesu Chr. *tos, & invitavit illos ad Feſtivitatem S. Juſti, quæ inſtabat.*
an. 500. S. Juſti Epiſcopi Lugdunenſis ſolemnitas 14. Nonas Septembris celebratur. Sarbiniacum itaque cum ad ſalutandum Regem Epiſcopi profecti eſſent, poſt ſalutationem, Avitus ad Regem dixit, ſe poſſe demonſtrare perſpicue Fidem, quam colebant, eſſe rectiſſimam, eamque econtra, quam ipſe Rex profitebatur, *non eſſe ſecundum Deum, & Eccleſiam*. Tunc Rex: *Si fides veſtra eſt vera, quare Epiſcopi veſtri non impediunt Regem Francorum, qui bellum indixit, & ſe cum inimicis meis ſociavit, ut me deſtruerent*. Ex hac Regis querela ſcimus, hoc, vel altero anno hanc collationem habitam; nam ut ſupra diximus, ſub hujus anni Conſulibus, Marius Aventicenſis, Gundobaldum a Clodoveo in bello vexatum fuiſſe, ſcribit. Sed collationis acta proſequimur. Tunc humiliter reſpondit Avitus: *Ignoramus, o Rex, quo conſilio, & qua de cauſa Rex Francorum facit, quod dicitis, ſed Scriptura nos docet, quod propter derelictionem legis Dei ſæpe ſubvertuntur Regna, & ſuſcitantur inimici omni ex parte illis, qui ſe inimicos adverſus Deum conſtituunt. Sed redite cum Populo veſtro ad Legem Dei, & ipſe dabit pacem in finibus veſtris &c. Rex: nonne legem Dei profiteor? Sed quia nolo tres Deos, dicitis quia non profiteor Legem Dei. In Scriptura Sancta non legi, plures eſſe Deos, ſed unum. Ad quæ Dominus Avitus: Abſit, o Rex, ut plures Deos colamus: Unus eſt Deus tuus o Iſrael, ſed ille Unus Deus in eſſentia, eſt Trinus in Perſonis; & Filius, & Spiritus Sanctus non ſunt alii Dei, ſed unus Deus, cujus Prima Perſona eſt Pater, Secunda Filius, Tertia Spiritus Sanctus: Sed Patri non eſt alia ſubſtantia, quam Filio, & Spiritui Sancto non eſt alia, quam Patri, & Filio: & ille Deus, qui olim locutus eſt per Prophetas, noviſſime locutus eſt in Filio, & adhuc quotidie loquitur in Spiritu Sancto, & quamvis olim per Prophetas, mox per Filium, nunc per Spiritum Sanctum unus, idemque Deus loquitur; ſed ſic dicitur ad diſtinctionem Perſonarum, cum revera ſint æternæ & conſubſtantiales. Hoc profitemur, & parati ſumus oſtendere*. Et cum videret Regem pacifice audientem, alia plura addidit in ejuſdem argumenti confirmationem, & procidens ad pedes Regis, & amplectens eos flebat amare, quod & ceteri Epiſcopi fecerunt; unde Rex commotus, & inclinans ſe eos erexit, dicens, ſe reſponſum daturum. Craſtina autem die Rex

Digitized by Google

Rex Lugdunum rediens, miſit ad Stephanum, & Avitum, ut venirent apud illum, qui cum veniſſent, Rex dixit: *Habetis quod poſtulatis, nam Sacerdotes mei parati ſunt vobis oſtendere, quod nullus poteſt eſſe coæternus, & conſubſtantialis Deo. Sed nolo ut id fiat coram omni Populo, ne turbæ excitentur: ſed tantum coram Senatoribus meis, & aliis, quos eligam, ſicut vos eligetis ex veſtris, quos volueritis, ſed non in magno numero, & id fiet die craſtina in hoc loco.* JESU CHR. AN. 500.

12. Itaque ſalutato Rege diſceſſerunt Epiſcopi, ut ſe ad diſputationem præpararent, & totam noctem ob ſolemnitatem S. Juſti in orationibus tranſierunt. Die autem facto, Regem iterum convenerunt Epiſcopi cum multis Sacerdotibus, & Diaconibus, & quibuſdam Catholicis, inter quos erant Placidus, & Lucanus, qui erant de præcipuis Militiæ Regis. Venerunt etiam Ariani cum ſuis. Cum ergò ſediſſent coram Rege, Avitus pro Catholicis, Bonifacius pro Arianis, ſermonem habuerunt. Poſtquam vero Avitus Catholicam propoſuit Fidem, ac teſtimoniis ſacræ Scripturæ confirmavit, conſternatio cecidit ſuper Arianos, ita ut Bonifacius nihil omnino reſpondere poſſet, ſed tantum quæſtiones difficiles proponebat, quibus videbatur velle Regem fatigare; cumque ab Avito urgeretur, ut reſponderet ad antedicta, cum rationibus Avito reſpondere non poſſet, conviciis reſpondit, dicens: *Catholicos eſſe Præſtigiatores, & colere multitudinem Deorum.* Quod ſolum cum diceret: *videretque Rex confuſionem ſuæ ſectæ, ſurrexit de ſua ſede dicens, quod in craſtinum reſponderet Bonifacius.*

Nocturnæ vigiliæ, & Orationes.

13. Sequenti vero die iterum ad Regem profecti, invenerunt Aredium, qui eis perſuadere volebat, ut regrederentur. Dicebat enim, quod tales rixæ exaſperabant animos multitudinis, & quod non poterat aliquid boni ex eis provenire. Sed Stephanus Epiſcopus reſpondit, nullatenus timendum eſſe, ut rixæ ex inquiſitione veritatis excitarentur, imo nihil eſſe utilius ad jungendos animos in ſancta amicitia, quam cognoſcere apud quos eſſet veritas. Addidit inſuper, omnes ſecundum juſſionem regis adveniſſe. Ingreſſis itaque, cum Rex eos vidiſſet, ſurrexit in occurſum eorum, mediuſque inter Stephanum, & Avitum adhuc multa locutus eſt contra Francorum Regem, quem dicebat ſollicitare Fratrem ſuum contra ſe. Sed cum reſponderent præfati Epiſcopi,

Secunda cum Arianis diſceptatio.

Digitized by Google

pi, vix aliam ineundæ pacis rationem eſſe, quam cum eamdem catholicam fidem omnes profiterentur, & operam ſuam ſi gratum haberet, pollicerentur pro tam ſancto fœdere conciliando, nihil amplius locutus eſt Rex, ſed unuſquiſque locum, quem præcedenti die tenuerat, occupavit. Et cum ſediſſent, Avitus diſerte probavit, a Catholicis non plures Deos adorari. Poſtquam vero conticuit, ut locum daret reſponſionibus Bonifacii, nihil aliud potuit ille dicere, quam quod præcedenti die fecerat, & conviciis addens convicia, tanto impetu clamabat, ut præ rancitate non poſſet amplius loqui, & quaſi ſuffocaretur. Hæc autem ut Rex vidit, tandem ſurrexit, vultu indignationem prætendens contra Bonifacium. Avitus autem ad Regem dixit:

Avitus Catholicam Fidem miraculo comprobandam proponit.

14. *Si veſtri non poſſunt reſpondere rationibus noſtris, quid obſtat, cur non omnes ſimul conveniamus in eadem Fide*: Tunc murmurantibus illis, de ſua fide ſecurus Avitus addidit: *Si rationes noſtræ Arianos vincere non poſſunt, non dubito, quin Deus fidem noſtram miraculo confirmet. Jubeat ſublimitas veſtra, ut tam illi, quam nos eamus ad ſepulchrum hominis Dei Juſti, & interrogemus illum de noſtra Fide, ſimiliter & Bonifacius de ſua, & Dominus pronunciabit per os Servi ſui, in quibus complaceat. Rex attonitus annuere videbatur. Sed inclamare cæperunt Ariani, & dicere ſe, pro fide ſua manifeſtanda, facere nolle, ut fecerat Saul, & ideo maledictus fuerat; aut recurrere ad incantationes, & illicita, ſufficere ſibi, ſe habere Scripturam, quæ ſit fortior omnibus præſtigiis. Deinde Rex, qui jam ſurrexerat, accipiens per manus Domnum Stephanum, & Domnum Avitum, duxit eos ad cubiculum ſuum, & cum intraret, amplexus eſt eos, dicens, ut orarent pro eo. Cognoverunt quidem illi perplexitatem, & anguſtias cordis ejus, ſed quia Pater eum non traxerat, non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur: Non eſt volentis, neque feſtinantis, ſed miſerentis Dei.* (Rom. 9.) Ex ea die plurimi *Ariani ad pænitentiam venerunt, & poſt aliquot dies baptizati fuerunt: & magnificavit Dominus Fidem noſtram per interceſſionem Domni Juſti in conſpectu omnium.* Hunc itaque finem habuit Collatio Epiſcoporum Catholicæ Eccleſiæ cum Arianis, quorum plurimi etſi convicti, tamen in errore perſeverarunt. Rex ipſe Gundobaldus præ ceteris Aviti rationibus adeo commotus eſt, ut teſte Gregorio Turonenſi, corde Chriſtianus erat, ſed

Greg. Tur. lib. 2. cap. 34.

ſed vano terrore perterritus, Fidem Catholicam, Arianorum inſidias timens, & perfidiam, non eſt auſus profiteri. JESU CHR. AN. 501.

JESU CHRISTI AN. 501. SYMMACHI PAPÆ 4.
ANASTASII IMP. 11. THEODORICI REGIS 9.
COSS. AVIENO, ET POMPEJO.

1. Seculi ſexti, cujus hiſtoriam auſpicamur, conſpectum, veluti in tabula lectoribus exhibentes, nonniſi luctuoſa offerimus, & ut funeſtum prætereamus ſchiſma, quod jamdiu ob Acacii nomen inter Orientalem, & Occidentalem eccleſiam vigebat, quodque ad tempora Juſtini ſenioris, ideſt uſque ad annum 525. perſeveravit, cum, deleto e dypticis Acacii nomine, inter utramque eccleſiam pax & communio reſtaurata eſt, tot adhuc inter Orientales eccleſias ſerpebant hæreticorum ſectæ, ut ſola Eutychianiſtarum factio, plura quam Gidra capita, ſortita ſit nomina, ſcilicet *Acephalorum*, *Severianorum*, *Theodoſianorum*, *Jacobitarum*, *Theopaſchitarum*, *Triteitarum*, *Apthardocitarum*, *Corrupticolarum*, *Agnoetarum*. Nec mirum altas adeo hanc peſtem radices in Oriente fixiſſe, ramoſque undique extendiſſe, ut pluribus in præfatione ab bibliothecam Orientalem perſequitur eruditiſſimus Aſemannus, cum eorum toto ſui Imperii tempore (quod triginta fere annorum fuit) Anaſtaſius Imp. patrocinium ſuſcepiſſet. Nec ſola Eutychianiſtarum factio Orientales hoc ſeculo vexavit eccleſias, ſed vigebant adhuc antiquorum hæreſum reliquiæ, Neſtorianorum, qui in varias provincias diſperſi, variaſque diviſi ſectas reperiebantur: Manichæorum, Arianorum aliorumque, qui quidem etſi ſub Juſtino, ejuſque nepote Juſtiniano Imperatoribus repreſſi fuerint, e cineribus nihilominus non ſemel excitabantur, & in ſcenam redibant. Quin ipſe Juſtinianus Imperator, dum hæreticorum acerrimus hoſtis videri voluit, immoderato in eos raptus zelo Theologorum partes agere præſumens, in hæreſim Corrupticolarum incidit, & Orientalem æque ac Occidentalem turbavit eccleſiam, cum in Quinta ſynodo trium capitulorum condemnationem fieri præcepit, iiſque invitum fere Vigilium Pontificem ſubſcribere coegit. Unde lites contentioneſque innumeræ excitatæ ſunt, ut in hiſtoria hujuſce ſeculi videbimus. Conſpectus ſeculi Sexti & Orientalis eccleſiæ ſtatus.

2. Oc-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 501. Occidentalis eccleſiæ ſtatus.

2. Occidentalis autem eccleſia, etſi catholicam fidem firmius retinuerit, ac in petræ ſoliditate, divino auxilio munita inconcuſſa ſteterit; innumeras tamen toto ſeculo calamitates ſuſtinuit, ac pericula ſubiit. Nam ipſa Romana eccleſia omnium Mater, & Magiſtra, ad quam propter Principalitatem, ut verbis utar Cypriani, ceteras eccleſias convenire decet, in ipſo ſeculi ingreſſu, ob ſchiſma in ordinatione Symmachi Pontificis exortum, iterum turbata eſt, quod tandem Palmaris ſynodus extinxit; gravius vero ineunte ſeculo ob tria capitula, inter Epiſcopos Iſtriæ, Venetiarum, aliarumque finitimarum exortum eſt, quod ultra hoc ſeculum perſeveravit: luctuoſum vero Occidentalis eccleſiæ ſtatum hoc ſeculo reddebant Ariani Principes, qui Occidentales provincias ſeculo elapſo inter ſe partiti fuerant; ita ut ſi Clodoveum Francorum Regem excipias, qui, deſinente ſeculo proximo, abdicato Idolorum cultu, chriſtianam fidem cum gente ſua ſuſceperat, undique Ariani Principes in Africa, in Hiſpania, in Burgundia, in Italia dominabantur; unde fiebat, ut Arianorum vexationibus, diriſque etiam perſecutionibus, in Africa præcipue, catholica fides, ac catholicæ fidei ſectatores ſubjicerentur. Juſtinianus quidem tum Vandalorum in Africa, cum Gothorum in Italia medio ineunte ſeculo Narſete Duce Regnum evertit; at vix meliora tempora ſecuta ſunt, nam paulo poſt, Longobardi Alboino Duce in Italiam circa annum 570. irrumpentes, Græcorum iterum in ea Regnum extinxerunt; miſeramque Italiam cædibus, incendiis, direptionibuſque contriverunt, quod nunc oratione perſequi non juvat. Hoc unum addimus, quod in tantis Eccleſiæ, & Imperii calamitatibus, eccleſia catholica divino innixa præſidio non ſolum inconcuſſa in Occidente adverſus tot hoſtes ſtetit, ſed etiam miris adaucta eſt incrementis; nam poſtquam Clodoveus in Galliis chriſtianam fidem ſuſceperat, inter eas gentes chriſtiana religio mirifice propagata eſt, ſicuti etiam inter Longobardos, ita ut Theodolinda eorum Regina deſinente ſeculo catholicam fidem profiteretur, in qua filium quoque Odoaldum baptizari, ac educari præcepit. Quid plura? notiſſima eſt Anglorum ad fidem chriſtianam, hoc eodem deſinente ſeculo, converſio. Nam ut paucis rem complectamur, non defuerunt hoc ſeculo præſtantes eruditione, & pietate viri, qui chriſtianam Religionem

Digitized by Google

nem illuſtrarunt, & ut Epiſcopos, monachoſque plures prætereamus, quorum in ſeculi excurſu memoria fiet, inter Romanos Pontifices unus Gregorius præceteris, deſinente ſeculo, eruditione, pietate, fidei zelo adeo excelluit, ut & Magnus merito, & Anglorum Apoſtolus dici meruerit, eo quod Anglorum gentem ex Idolorum cultu ad chriſtianam fidem revocaverit, uſus opera Monachorum Sancti Benedicti, ex quibus quadraginta circiter, ac inter eos Auguſtinum in Angliam miſit. Hinc Benedictinæ familiæ ortum, progreſſum, & incrementa inter beneficia a Deo eccleſiæ ſuæ collata adnumerare poſſumus. Nam etſi ſeculo ineunte quarto, pluribus in locis monaſtica vita in uſu eſſet, tot tamen incrementa hoc ſexto ſeculo; poſtquam Benedictus ſuam fundavit congregationem, monachorum vita habuit, ut undique in Italia, in Sicilia, in Galliis, in Hiſpania, in Africa propagaretur; atque inde uberes, & innumeri in eccleſia catholica derivati ſunt fructus. Contrahenda tamen oratio eſt, ac ad primum hujus ſeculi annum transferenda.

Jesu Chr. an. 501.

3. Hoc Chriſti anno 501. Conſulibus Avieno, & Pompejo, Romana eccleſia iterum per Fauſtum, & Probinum inteſtinis diſſidiis turbata eſt, & ſchiſmatis incendium in electione Symmachi, & Laurentii excitatum, quod extinctum videbatur, in immenſum iterum crevit, ita ut neceſſe fuerit a Theodorico Rege Viſitatorem dari Eccleſiæ Romanæ, cujus inſcitia, ſive improbitate, cum vulnus magis exacerbatum eſſet, Epiſcopos ex tota fere Italia iterum congregati ſunt, ut infauſto Schiſmati finem imponerent, de qua acturi, nonnulla primum de ſynodi tempore, & nomine adnotamus.

Romæ ſchiſma reviviſcit.

4. Palmarem hanc ſynodum veteres appellarunt, cur hoc nomine dicta ſit, in dubio eſt; probabilior ea ſententia videtur, qua traditur, hanc Synodum Palmarem dictam, eo quod, cum ob Schiſmaticorum petulantiam, in Eccleſia celebrari non potuerit, eamdem in Domo Regia, ſive Curia congregata eſt, quæ *Palma aurea* dicebatur, in qua teſte Fulgentio anno ſuperiori Theodoricus ad Senatum, & Populum orationem habuit: *In loco*, inquit, *qui Palma aurea dicitur, memorato Theodorico Rege concionem faciente*. De Palmata domo apud Theodoricum in epiſtola ad Albinum Patricium mentio occurrit his verbis: *Porrecta itaque ſupplicatione teſtatus eſt Curiæ Porticus, quæ juxta Domum Pal-*

Cur Palmaris hæc Synodus dicta ſit.

Digitized by Google

Jasu Chr. an. 501.

matam poſita, *Forum in morem Areæ decenter includit*, *ſuperimponendis Fabricis licentiam condonari*. Apud S. Petrum quoque Porticus erat, quæ *Palmaria* dicebatur, de qua Anaſtaſius in Honorio: *In Porticu B. Petri Apoſtoli*, *quæ Palmaria appellatur*. In uno itaque ex his locis hanc Synodum habitam fuiſſe vero propius eſt, hinc Palmaris dicta, ſed de nomine ſatis. De tempore, quo Synodus habita eſt, dubitari vix licet, cum conſularis nota, qua notantur acta, ad hunc pertinere nos doceat, mirumque ſit, eruditiſſimum virum, & de Hiſtoria Eccleſiaſtica tam benemeritum, Pagium dico, ad annum 503. hanc Synodum transtuliſſe, aliamque poſteriorem, de qua anno ſequenti, huic prætuliſſe, cum alioquin nota Conſularis, atque Theodorici Regis Epiſtolæ in hanc rem ſcriptæ, rerumque etiam geſtarum feries, hanc Palmarem Synodum hoc anno habitam fuiſſe manifeſte demonſtrent.

Vita S. Fulgentii cap.

Anaſt. tom. 4. pag.

Pag. not. 3. 4. an. 502., & 2., & 3. an. 503.

Romana Synodus Palmaris. *Anaſt. tom. 3. pag. 214., & 216.*

5. Ad rem propius accedimus. Anaſtaſius totam hujus tragœdiæ ſeriem breviter ſic narrat: *Poſt annos vero quatuor* (incompletos ſcilicet ab anno 498., quo ordinatus fuerat Simmachus, ad hunc annum 501., quo iterum calumniis impetitur) *zelo ducti aliqui ex Clero*, *& alii ex Senatu*, *maxime Feſtus*, *& Probinus*, *incriminarunt Symmachum*, *& ſubornaverunt teſtes falſos*, *quos miſerunt Ravennam ad Regem Theodoricum*, *accuſantes B. Symmachum*, *& occulte revocaverunt Laurentium poſt libellum Romæ factum* (quando ſcilicet anno 499. ſubſcripſit Synodo per Symmachum habitæ, & factus eſt Epiſcopus Nucerinus, ut ibidem diximus) *& fecerunt Schiſma*, *& diviſus eſt iterum Clerus*, *& alii communicabant Symmacho*, *alii Laurentio*. *Tunc Feſtus*, *& Probinus Senatores miſerunt relationem Regi*, *& cœperunt agere*, *ut Viſitatorem daret Rex Sedi Apoſtolicæ*. *Tunc Rex dedit Petrum Altinæ Civitatis Epiſcopum*, *quod Canones prohibebant*. Narrat deinde, Synodum Centum quindecim Epiſcoporum per Symmachum celebratam fuiſſe, quam anno ſuperiori fictitiam diximus. His addit flagitia a Schiſmaticis in Eccleſiis, & media Urbe patrata: *Eodem tempore Feſtus caput Senatus Exconſul*, *& Probinus Exconſul cœperunt intra Urbem Romam pugnare cum aliis Senatoribus*, *& maxime cum Fauſto Exconſule*, *& cædes*, *& homicidia in Clero ex invidia fiebant*. *Qui vero communicabant Beato Sym-*

De cladibus a Schiſmaticis in urbe patratis.

Symmacho juſte, publice qui inventi fuiſſent intra Urbem, gladio occidebantur. Etiam & Sanctimoniales mulieres, & Virgines deponentes de Monaſteriis, vel de habitaculis ſuis, denudantes ſexum fœmineum, cædibus plagarum afflictas vulnerabant, & omni die pugnas contra Eccleſiam in medio civitatis gerebant. Etiam multos Sacerdotes occiderunt, inter quos Digniſſimum, & Gordianum Presbyteros ad vincula S. Petri Apoſtoli, & ad Sanctos Joannem, & Paulum, quos fuſtibus, & gladio interfecerunt, & multos alios Chriſtianos, itaut nulli eſſet ſecuritas die, vel nocte de Clero in civitate ambulare. Solus autem Fauſtus Exconſul pro Eccleſia pugnabat.

Symmachus adulterii crimine accuſatur.

6. Plurimorum criminum reum Symmachum accuſabant Schiſmatici, præcipue adulterii, ut ex Ennodii Apologia conſtat; cum enim æquitate, ac juſtitia præeunte, ejus ordinatio legitima fuerit agnita, alia via ſanctum Pontificem ſchiſmatici aggreſſi ſunt, ut de Romana ſede exturbarent, quarum nulla facilior iis viſa eſt, quam eum de gravioribus delictis reum poſtulare. At his calumniis obnubilari quidem ad tempus potuit Symmachi innocentia, obrui tamen non potuit, quinimmo clarior evaſit, & calumniantium ora obſtructa ſunt, ita ut Laurentius, qui Nucerinæ Diœceſis anguſtias pati neſcivit, dum æmulum e Petri Sede dejicere tentat, quod habebat, etiam perdidit, ac e Nucerina Sede pulſus, in exilium miſſus eſt.

Theodoricus de Sede Apoſtolica benemeritus. *Bar. an.* 501. *num.* 2.

7. Antequam hujus Synodi acta referamus, quam aliqui tertiam, alii quartam inter Symmachi Synodos dicunt, nos vero ſecundam; ſua laude non eſt fraudandus Rex Theodoricus, qui *Non plus ſibi tribuens*, (ut habet Baronius) *ſed Regia incedens via*, & Urbis incolumitati conſuluit, & a Romani Pontificis judicio abſtinuit, ut acta ipſa teſtantur. *Res plane digna memoria, cum Barbarus, Gothus, alienigena, hæreticus, Arianus Princeps, licet importunis Schiſmaticorum ſtudiis, & illiberalibus eorumdem urgeretur inſtantiis, reveritus tamen culmen Apoſtolicæ Sedis, ejus ſe potius Protectorem, quam Perſecutorem exhibuit.* Ut itaque hoc ſchiſma, quod Urbi excidium minabatur extingueret, Epiſcopos e diverſis regionibus congregavit, ut Romæ coram ipſo Summo Pontifice tota lis finiretur; ſed audiamus ipſa acta, quorum hæc eſt inſcriptio: *Rufo magno, Fauſto Avie-*

 no

JESU CHR. AN. 501.

no viris clariſſimis Conſulibus (ſeu Conſule) ſub die Kalendas Novembris: Sancta Synodus apud Urbem Romam, ex præcepto glorioſiſſimi Regis Theodorici diverſis e regionibus congregata in Chriſti Nomine dixit. Cum audis per Theodoricum congregatam Synodum, ſcias, id approbante, & conſentiente Symmacho, factum fuiſſe, ut ipſe Theodoricus teſtatus eſt, cum etenim congregati Epiſcopi dixiſſent, ipſum Pontificem, *Qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convocare; ſcientes quia ejus Sedi primum Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus, deinde ſecuta juſſione Domini Conciliorum auctoritas ei ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio, in propoſitione ſimili facile forma teſtaretur. Sed Potentiſſimus Princeps ipſum quoque Papam, in colligenda Synodo, voluntatem ſuam litteris demonſtraſſe ſignificavit &c.*

Theodorici Regis epiſtola ad Epiſcopos Romæ congregatos.

8. Romam itaque advenientes Epiſcopi menſe Julio, eam Eccleſiam in tanto tumultu invenerunt, ut Epiſcopi de procuranda concordia deſperantes, Ravennam transferre Concilium decreverint. At eorum conſilium Rex improbavit, extatque ejuſdem Regis præceptio ad Epiſcopos, per Germanum, & Caroſum miſſa, qua jubet, ut cauſam Romæ tractarent, & ſi ejus præſentia neceſſaria eſſet, ipſum quantocius Romam ſe adfuturum eſſe dicebat. Kalendis itaque Septembris iterum convenire in unum Epiſcopos juſſit. Data eſt epiſtola V. idus Auguſti, qua poſt aliqua ſubdit: *Nam Ravennam, quemadmodum ſperatis, non putavimus revocandum eſſe Concilium, dum aliorum labore dierum permovemur ætate, parati, ut niſi ſecundo conventu cauſæ finem judicium Synodale poſuerit juxta deſiderium veſtrum, quos vos poſcitis eſſe præſentes, occupationibus noſtris Romæ quietis amore poſtpoſitis, nos potius Romam, Deo Auctore, veniamus, ut præſentibus ſaltem nobis, citra confuſionem, atque diſcordiam, ſecundum Dei timorem, tanta cauſa terminum ſortiatur. Ut non diutius Urbs regia turbarum tempeſtate fatigetur, ſed veſtri æquitate judicii redeat ad quietem &c.* Deinde die VI. Kal. Septembris altero reſcripto ſynodum admonuit, ut huic cauſæ finem imponerent, pacemque redderent Eccleſiæ Romanæ, ac Urbis tranquillitati conſulerent, & ad comprimendam Schiſmaticorum audaciam, Gudilam, & Bedulphum viros illuſtres, & majores domus, cum

Conza-

Conzatrierno miſit, qui juramentum, eodem Rege jubente, præſtabunt, facturos ſe, ut Symmachus abſque ulla injuria Concilio ſe ſiſteret. Unde poſt plurima, quæ brevitatis ſtudio prætarimus: *Ecce coram Deo, & Hominibus, arbitrio veſtro committentes univerſa, conſcientiam noſtram, ſicut decebat, abſolvimus, tantum eſt ſub juſta ordinatione rem fuiſſe finitam &c.* Deinde poſt aliqua: *Cum neceſſariam credideritis Symmachi in cognitione præſentiam, Gudilam, & Bedulphum ſublimes viros, majores domus noſtræ, quos de præſenti miſimus cum Conzatrierno. Ne quid dubitationis habeat juſſio noſtra, ſacramenta præſtabunt ſatisfacturi deſignante Epiſcopo, quemadmodum æſtimaverit ordinatio veſtra, ut vocatus ad Concilium citra Urbem, & moleſtiæ metu ſecurus occurrat. Orate pro me Domini Sancti, & venerabiles Patres. Datum ſub die VI. Kalendas Septembris. Ravennæ.*

Romanus Pontifex invitus ad Concilium adduci non poteſt.

9. Hoc accepto reſcripto, gratias plurimas Deo primum reddiderunt Epiſcopi, in cujus manu regum corda ſunt, deinde ipſo Regi: *Agimus*, inquiunt, *Deo gratias, qui Regum corda pietatis ſuæ manu, & gubernat, & temperat*; narrantque, Symmachum præſentiam ſuam merito negare, eo quod cum veniret, a Factioſis pene mactatus fuiſſet; nec ſe Pontificem invitum cogere poſſe, aut inauditum condemnare, teſtantur, cum novum prorſus, ac inauditum eſſet, Pontificem Romanum ab Epiſcopis judicari, cui per Canones, appellationes omnium Epiſcoporum reſervatæ erant. Hinc cauſam ſe Dei judicio committere addunt. *Juſſioni veſtræ parere voluimus, & ad Papam, qui impetebatur, quater Sacerdotes noſtros ex Sacroſancta Synodo direximus, ut judicium conveniret, ſed occurrere ſe audientiæ noſtræ penitus non poſſe, ſtatuit, mandans. Primo ad conventum veſtrum, quando Romæ veniſtis, ſine aliqua dubitatione properavi, & privilegia mea voluntati regiæ ſubmiſi, & auctoritati Synodi dedi, ſicut habet Eccleſiaſtica diſciplina. Deinde cum venirem cum Clero meo, crudeliter mactatus ſum, ulterius me veſtro examini non committo. In poteſtate Dei eſt, & domini Regis, quid de me deliberet ordinare. Quare nos*, addunt Epiſcopi, *nec in abſentem ferre ſententiam poſſumus, nec contumacem dicere. Qui ſe Judicibus occurriſſe proclamat, maxime quia cum nova res eſt, Pontificem Sedis iſtius apud nos adire.*

Ac

JESU CHR. AN. 501.

Ac fruſtra ſe hactenus pro pace Eccleſiæ, & Urbi reſtituendæ laboraſſe addunt, ac ut ad proprias Eccleſias redire iis permitteret, rogant.

Theodoricus inſtat utSchiſma tollatur.

10. His acceptis, Theodoricus, cui alto reſidebat animo Romanæ Eccleſiæ, & Urbis tranquillitati conſulere, Epiſcopis reſcripſit ſub die Kal. Octobris orans, obteſtanſque, ut omni modo pacem Senatui, Populoque Romano redderent, & ſive diſcuſſa, ſive indiſcuſſa cauſa, prout ipſis placuiſſet, ſententiam proferrent. Unde poſt plurima: *Nunc vero eadem, quæ dudum præſentibus intimamus oraculis, nos coram Deo, & hominibus abſolventes, ut cauſam Dei, quam veſtræ Congregationi commiſimus . . . . quemadmodum viſum vobis fuerit . . . . qualiter vultis ordinate, ſive diſcuſſa, ſive indiſcuſſa cauſa, proferte ſententiam, de qua eſtis rationem Deo reddituri: dummodo ſicuti ſæpe diximus, hoc deliberatio veſtra provideat, ut pax Senatui, Populoque Romano, ſubmota omni confuſione, reddatur, ne qua, quod abſit, poſt judicium turba, aut aliqua remaneat in Civitate diſcordia*. His plura in eamdem rem addit, quæ longum eſſet exſcribere.

Tom.4.Concil. pag. 1331.

Symmachi cauſa Dei judicio reſervatur.

11. Theodorici Regis ſtimulis excitati Epiſcopi, die X. Kal. Novembris iterum convenientes, cauſamque ex integro fere retractantes, funeſto Schiſmati tandem finem impoſuerunt. Narrant itaque Synodi acta, quod cum primum Romæ Epiſcopi congregati eſſent in Baſilica Julii, Symmachus Papa ingreſſus eſt, *Et de evocatione Synodali clementiſſimo Regi gratias retulit, & rem deſiderii ſui eveniſſe teſtatus eſt*; ſeque promptum fuiſſe teſtatus, Accuſatorum criminationibus reſpondere: *Si quæ per ſuggeſtiones inimicorum ſuorum amiſerat, ab honorabili Concilio ſibi redderentur, & tanti loci Præſul regulariter prius ſtatui priſtino redderetur*. Deinde coram Synodo queſtus eſt Symmachus de Petro Epiſcopo Altinati, quem, ut ſeditionibus occurreret, Viſitatorem Eccleſiæ Romanæ Theodoricus fecerat, eo quod *Contra Religionem, contra Statuta veterum, vel contra regulas majorum, præcipiti judicio*, ab Eccleſiæ adminiſtratione eum removerat, ſuiſque Bonis privaverat, inauditumque condemnaverat. In integrum ergo reſtitui Symmachus a Synodo poſtulavit, tuncque Adverſariorum objectis ſe reſponſurum pollicitus eſt, quod rationi conſentaneum eſſe Epiſcopi teſtati ſunt.

Actio Synodi in BaſilicaSeſſoriana.

12. Dum ergo Synodus iterum congregata eſſet: *In Hie-*

Digitized by Google

Hieruſalem Baſilica Seſſoriani Palati, aliquibus Sacerdotibus viſum eſt, ut libellus, quem Accuſatores paraverant, ſuſciperetur a Synodo. Duo autem præcipue accuſatorum Symmachi liber continebat. Primum, quod crimina Symmachi Papæ apud Regiam pervenerunt notitiam; quod falſum eſſe inde patebat, dum Synodo cauſam Rex commiſerat. Aliud, quod per ſervos de his, quæ objiciebant, ſe eum dicebant poſſe convincere. Petebant itaque, ut eccleſiæ mancipia traderentur; at hæc utpote canonibus, & ipſis publicis legibus contraria, quæ ſervos a fide facienda excludunt adnotatum eſt. Interea Symmachus Papa expoſuit, ſe cum ad ſynodum pergeret, cauſam ſuam dicturum, ab irruentibus turbis ita exceptum fuiſſe, ut multis presbyteris vulneratis, qui cum ipſo erant, in vitæ quoque diſcrimen ſe fuiſſe addidit, niſi vir illuſtris Comes Aligernus, & ſublimes viri Sudita, & Vedeulphus Majores Domus Regiæ tutati eſſent, ac eum ad B. Petri Apoſtoli ſepta perduxiſſent. JESU CHR. AN. 501.

13. Cum hæc ſynodo narraſſet Symmachus, viſum eſt Patribus Theodorico reſcribere, nunciantes, per Symmachum non ſtetiſſe, quominus ſynodo ſe iterum ſiſteret, niſi ab adverſariis violatus fuiſſet; quamobrem ad eos reſpondiſſe: *Regem habere, quod vellet jus faciendi, ſed interim juſtitiæ renitentes, ſtatutis Canonibus non poſſe compelli*. Ad hæc Theodoricus reſpondit: *In Synodali eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere, committens etiam poteſtati Pontificum, ut ſive propoſitum vellent audire negotium, ſive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo venerandi proviſione Concilii pax in Civitate Romana Chriſtianis omnibus redderetur*. Quare Synodus hanc tulit Sententiam: Symmachum ſcilicet ab objectis criminibus immunem eſſe, eumque jure ſuo uti poſſe, ac ut tamquam verus Pontifex haberetur, juſſit. De Clericis autem, qui adverſus eum rebellaverant, ac Schiſma fecerant, *decrevimus, ut eos ſatisfacientes Epiſcopo ſuo, miſericordia ſubſequatur, & Officiis Eccleſiaſticis ſe gaudeant reſtituti. Quiſquis Clericorum poſt hanc formam a nobis prolatam, quocumque ſacrato Deo loco in Eccleſia Romana Miſſas celebrare præſumpſerit, præter conſcientiam Papæ Symmachi, dum vivit ſtatutis canonicis velut Schiſmaticus percellatur*. Hactenus Sententia Patrum, quibus

Theodoricus Rex cauſam Symmachi Synodo dimittit.

Synodi ſententia in abſolutione Symmachi.

Quid indultum reſipiſcentibus.

bus Synodo finis datus eſt, cui ſubſcripſit primum Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, qui Synodo præfuit, deinde Petrus Eccleſiæ Ravennatis, cum aliis ſeptuaginta quinque ex tota Italia congregatis. Sicque tandem funeſto Schiſmati finis impoſitus, & Romanæ Eccleſiæ pax reddita eſt. Cum vero adverſus Synodum nonnulli obmurmurarent, contra eos Ennodius ſtylum acuit, edita pro Synodo Apologia, quæ anno ſequenti, ut aliquibus placet, in altera Romana Synodo lecta, & approbata fuit, ut ibidem dicemus. Nunc quæ ſunt reliqua hujus anni, proſequimur.

Symmachi epiſt. ad Avitum Epiſcopum Viennenſem.

14. Dum Symmachi Pontificis cauſa in ſynodo Romana ageretur, ad eum Avitus Viennenſis Epiſcopus ſcripſit, dolens maxime, eo quod Æonio Arelatenſi Epiſcopo, in diſſidio de ordinationibus Sacerdotum cauſam adjudicaſſet, ut diximus anno ſuperiori, dum ea, quæ Anaſtaſius, Symmachi Deceſſor, in Arelatenſis Eccleſiæ gratiam ſtatuerat, irrita declaraverat; quare ut Aviti dolorem mitigaret, III. Idus Octobris Avieno, & Pompejo Coſſ., hoc ſcilicet anno, hanc ad eum dedit Epiſtolam: *Non debuit caritatem tuam offendere, quod ad Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Æonium nuper reſcripſimus. Non enim juri tuo, dilectiſſime frater, præjudicatum fuit, cum nos, inaudita parte, & abſque competenti inſtructione non poſſe judicare reſpondemus. Unde Fraternitati tuæ ſalvum eſt allegare, quod putaverit allegandum, & proponere, quod viderit proponendum. Nam licet confuſionem Provinciæ a Prædeceſſore noſtro Anaſtaſio Epiſcopo, præter Eccleſiæ conſuetudinem, & antiqua Prædeceſſorum noſtrorum Statuta factam eſſe dixerimus, & non eſſe tolerandam; attamen ſi ea, quæ fecit, rationabiliter feciſſe, Fraternitas tua docuerit, gaudebimus, nihil eſſe ab eo contra Canones attentatum, quia quod ſit præter regulam, modo ſit ex juſta cauſa, non infringit regulam, quam ſola pervicacia, & antiquitatis contemptus lædit &c.*

Concil. Labb. tom. 4. pag. 1312.

Conſtantinopolis ſeditio oritur.

15. Hoc anno Conſtantinopoli pugnatum eſt, & quidem leviſſima de cauſa, unde Marcellinus: *Conſtantio Præfecto Urbis Ludos theatrales meridiano tempore ſpectante, pars in eodem ſpectaculo Cerealis parti diverſæ Cæruleæ occultas præparavit inſidias. Nam enſes, ſaxaque in vaſis incluſa fictilibus, eademque arma diverſis pomis deſuper cumulata, ſub Theatri portica, ritu vendentium ſtatuit. Dum reſi-*

dente

dente Conſtantio ex more civium concrepant voces, ante viſa quam audita arma excutiuntur, ſaxaque in incautos cives inſtar imbrium jaciuntur, enſeſque vibrantes in amicorum, inque vicinorum ſanguine obliti, ſuis cum percuſſoribus debacchantur. Nutat, & congemiſcit theatri cavea, & refugientium huc, atque illuc, ſuorum pedibus conculcata, occiſorumque fœdata cruore deplangit. Plus enim quam tria millia civium ſaxis, gladiiſque, compreſſionibus, & equis proſcenis amiſſos Urbs auguſta deflevit. Hæc Marcellinus. At lætiora videamus.

16. Hoc etiam anno ab Elia Hieroſolymorum Patriarcha dedicatio novæ Eccleſiæ a S. Saba Abbate conſtructæ in honorem beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ peracta eſt, de qua Cyrillus Scythopolitanus hæc habet in vita S. Sabæ: *Sabas primo quidem in Laura piſtrinum cum Noſocomio, atque deſuper ædificavit magnam eccleſiam celebratiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, quod illa adeo condita Eccleſia congregationem amplificatam coarctaret, multiplicatique eſſent Armeni, & parvo Oratorio anguſtarentur. In medio autem ambarum Eccleſiarum atrium fecit, ubi prius columna ignis ab eo viſa eſt. Fecit etiam receptacula magna in torrente aquarum . . . . Magna itaque Eccleſia ædificata, omnique ornatu decorata, in Lauram deſcendit prædictus Elias Archiepiſcopus, tum eam dedicavit, tum in eadem ſanctificatum defixit altare, menſe Julio primo die, nona indictione, agente magno Saba annum LXIII.*, die Dominico primo Julii currentis anni, ut indictio nona deſignat.

Dedicatio Eccleſiæ a S. Saba conſtructæ.

Cyrillus in vita Sabæ cap. 32. apud Boll. ecm.

JESU CHRISTI AN. 502. SYMMACHI PAPÆ 5. ANASTASII IMP. 12. THEODORICI REGIS 10.

1. Hoc Chriſti anno ſecundo ſupra quingenteſimum, cum Symmachum, ſynodali ſententia ab objectis criminibus abſolutum, & vindicatum, ejuſque cauſam ſoli Deo, qui cordium ſcrutator eſt, reſervatam fuiſſe viderent ejuſdem æmuli, ac obtrectatores, maledicis iterum linguis, & ſcriptis aggrediuntur. Quanta eorum calumniandi procacitas eſſet, ex fragmento vitæ Symmachi, quod ex Codice Veronenſi in lucem edidit Franciſcus Blanchinus, & iterum Joſeph Blanchinus Congregationis Oratorii Romani Presbyter, ac Franciſci nepos, mihique familiaritate conjunctus, conſtat, a quo hæc le-

Schiſmatici contra Synodum obmurmurant.

JESU CHR. AN. 502. leguntur: *Symmachus ſedit annos quindecim, menſes ſeptem, dies viginti & ſeptem. Cum hoc autem fuerat Laurentius Romanæ Eccleſiæ Presbyter ordinatus Epiſcopus; tantaque Clerum, ac Populum diſcordia feralis invaſerat, ut nec divina conſideratio, nec metus regius, partes a propria conliſione cohiberet. Tunc conguntur utrique: Symmachus ſcilicet, & Laurentius, Regium ſubitari judicium, petere comitatum. Ibi Symmachus multis pecuniis obtinet: Laurentius ad gubernandam Eccleſiam Nucerinam, Campaniæ Civitatem, plurimis coactus minis, promiſſionibuſque dirigitur. Poſt aliquot autem annos pro multis criminibus apud Regem Symmachus accuſatur &c.* Deinde narrat, Symmachum adulterii crimine accuſatum, ac fere convictum, declinato Regis judicio, clam aufugiſſe, ac Romam rediiſſe, ubi cum juſſu Regis Synodus congregata eſſet, ſynodo ſe ſiſtere eum recuſaſſe. Quam ob cauſam revocatus quoque in Urbem Laurentius, cum duo ſimul Romanam Eccleſiam adminiſtrarent, ob eamque cauſam civile bellum in Urbe vigeret, ac cædes fierent, tandem Laurentius ſponte diſceſſit, ac in pace quievit. Symmachus vero uſque ad obitum in ſchiſmate perſeveravit, ait idem auctor, quem certe ex ſchiſmaticorum numero fuiſſe ſcimus, ac quæ anno proximo diximus confirmant; quæ hoc loco repetere ſuperfluum judicamus.

Schiſmaticorum adverſus Symmachum objectiones. 2. Quæ autem Schiſmatici in Synodum, quæ Symmachum abſolverat, objicerent, Ennodius Ticinenſis Diaconus refert, qui ad obſtruenda ora loquentium mendacia, ſtilum, & calamum acuit, edita pro Synodo apologia. Integram non exſcribimus, ne brevitatis metas excedamus, ſed tantummodo, quæ huic cauſæ illuſtrandæ aptiora ſunt. Impugnandæ ergo ſententiæ abſolutionis Symmachi, in libello, quem ſparſerant, has afferebant rationes: 1. *Non omnes Sacerdotes Regis ad Concilium adſcivit auctoritas, nec omnes in judicatione ſenſerunt.* 2. *Adverſarios Papæ Romani dici non debuiſſe, qui prædictum prolatis petitionibus accuſabant, eoſque ad Synodum non admiſſos fuiſſe. Teſtis eſt Romana Civitas,* addebant, *ſi omnes Epiſcopi ſenes, & debiles convenerunt, deinde impugnatores Summi Pontificis non admiſſos, qui cœleſtis mandati memores, partem ſuam a conſortio adulteri ſubduxerunt*; hoc quippe adulterii crimine præcipue Symmachus Papa poſtulabatur. His vero hæc etiam addebant: *Cur*

apud Sirmond. tom. 1. pag. 1615.

Digitized by Google

Cur ad Principem conveniſtis, ſi audiri non licebat impetitum? Et ſi vera eſt Epiſcoporum aſſertio, Sedis Apoſtolicæ Præſulem minorum nunquam ſubjeciſſe ſententiæ, cur ad judicium diſtricta conventione productus eſt, cur perſonæ juſſæ ſunt præſentari (Symmachi ſcilicet mancipia) *quas ſæpe Imperialis flagitaſſet auctoritas, ad defraudationem genii pertinere ejus, qui nunc in ſede Apoſtolica; quaſi in quadam Arce conſiſtit! Quare Symmachus conventionem præveniens, cum Populorum cœtibus examen intravit, & poſtea judicia, cum evocatus quater fuiſſet, ſprevit?* Jam ſupra notavimus per calumniam hæc in Symmachum jactari, cum in Baſilica Julii primo adfuerit, & cum ſecundo proficiſceretur, a Schiſmaticis circumventus, multis e ſuis vulneratis, vix evaſit. Qua fronte ergo effutiebant, quater vocatum ſemper renuiſſe? Hæc, hiſque ſimilia adverſus Symmachum, ejuſdem adverſarii objiciebant, quæ veluti inania jacula, Ennodius in ſua Apologia pro Synodo ſcripta facili negotio rejecit, ac Lectoribus ridenda tranſmiſit.

Jesu Chr. An. 502.

3. Ennodius itaque Symmachi æque, ac Synodi cauſam defendens ajebat: *Multa ſunt in propoſitionibus veſtris, quæ ita fæculentis ulnis peccandi amor amplectitur, ut fiant indigna memoratu, plura levitas dehoneſtat, dum ſubductis eviſcerantur verba veſtra ponderibus, & de Religionis cauſis elocutio ventoſa componitur, auris congruam ſortita gravitatem: quæ in palearum abundantia nihil eſt horreis illatura de tritico, dum infœcundam frugibus culmorum parturit ubertatem, & ſpem de herbæ luxuria mentitur agricolis, de quibus nihil lucri ventilabra reperiunt, igni debita, incendioque reputata.* Hæc Ennodius, eorum calumnias ſummatim confutans. Quæ deinde in Symmachi defenſionem addit, ſingulatim perſequi longum & Lectoribus grave etiam eſſet; cum multa ad rem minus apta proferat, itaut quid ſibi velit, vix Lector divinare poſſit. At quæ Symmacho a Schiſmaticis objicerentur, ex Synodi Actis ſupra jam vidimus. Hoc unum in Ennodii Apologia præterire non poſſumus, cum, dum juſtam Symmachi cauſam tueretur, ultra metas progreſſum, ea Petri in Romana Sede Succeſſoribus privilegia tribuiſſe, quæ anteactis ſeculis ignota fuerunt, & ſequentium temporum experientia falſa eſſe monſtravit; eis ſcilicet ex ſingulari prærogativa innocentiam, morumque ſanctita-

Ennodii pro Symmacho Papa apologia. pag. 1643.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 502. tem collatam fuiſſe. Ad ea quippe reſpondens, quæ Schiſmatici Symmacho objiciebant, *licentiam peccandi non ſuſcepiſſe*, Ennodius econtra reſpondebat: *Ille* (ſcilicet D. Petrus) *perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros: quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ Dignitatis attollit, in quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ a loci Deceſſore præſtantur? aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur illuſtrat. Prænoſcit enim quid Eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quem ipſa moles innititur &c.* Hæc, & alia in eamdem rem Ennodius, quæ utpote ad Romanæ Sedis dignitatem exornandam apta, ab aliis deinde Pontificibus adoptata ſunt, unde S. Gregorius VII. in dictatu: *Quod Romanus Pontifex, ſi canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſtante S. Ennodio Papienſi Epiſcopo, & multis Sanctis Patribus faventibus*. Eademque Joannes Papa VIII. ad Borcarium Abbatem, ut apud Sirmondum videre eſt. Sed unde, inquies, tanta confidentia Ennodius, hanc de Romanorum Pontificum ſanctitate, & vitæ innocentia, ſententiam hauſit? Non aliunde, (ni fallor) niſi quod ea, quæ de Sedis dignitate, & præeminentia, ac in totam Eccleſiam ordinis, & juriſdictionis primatu veteres tradiderunt, Ennodius de perſonæ quoque ſanctitate intellexit, itaut ſicuti Petri dotes in Succeſſores tranſeunt, ſic etiam vitæ ſanctitatem, qua præfulſit, Succeſſoribus ſuis tranſire credidit, atque ex præcedentium Pontificum ſanctitate in eam facile ſententiam abiit. At utinam e mentibus noſtris hoc præjudicium non avulſiſſent ſequentium ſæculorum hiſtoriæ. Hac tamen prærogativa non indiget Eccleſia Dei, ſtatque ſine hac dote Romanæ Eccleſiæ Primatus, ſupra firmam Petram, qui Chriſtus eſt, fundatus, cui dictum eſt: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*.

Sirmond. 1. pag. 1364.

Bar. an. 503. n. 6. Fleury tom. 7. pag. 108.

Epiſtola Aviti ad Fauſtum, & Symmachum Senatores Urbis Romæ.

4. Galliarum interea Epiſcopi, cum Symmachi Papæ cauſam in Romana Synodo retractari, ob eamque cauſam Senatum, Populumque Romanum inter ſe diſſidere acceperunt, rei novitate commoti, ac timore perterriti, ne ſopitum ſchiſma inde acerbius recrudeſceret, datis per Avitum Viennenſem Epiſcopum litteris ad Fauſtum, & Symmachum Viros

Viros Conſulares, & maximæ apud Romanos auctoritatis, tanto periculo occurrere conati ſunt, ſui juris non eſſe teſtantes, Romanum Pontificem judicare, qui ſoli Deo de commiſſo ſibi grege rationem redditurus erat. Unde poſt præfationem, ſe omnium Epiſcoporum nomine hæc ſcripſiſſe, Avitus his verbis teſtatur: *Supplici prece poſco, ne celeberrimo ordini veſtro pagina hæc aliquod moveat, quaſi ab uno directa, faſtidium; quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipſum, non minus per mandata, quam per litteras oneratus, quæcumque a vobis omnes ambimus, unus ſuggerenda ſuſcepi. Dum de cauſa Romanæ Eccleſiæ anxii nimis, ac trepidi eſſemus, utpote nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes*; cujus cauſam, Dei potius judicio relinquendam, quam apud Regem, vel etiam in Epiſcoporum Synodo agitandam fuiſſe adnotant; unde poſt plurima: *In Sacerdotibus cæteris poteſt, ſi quid forte nutaverit, reformari. At ſi Papa Urbis vocatur in dubium, Epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus, vacillare. Noſtis bene inter quas hæreſum tempeſtates, veluti ventis circumflantibus, fidei puppem ducamus. Si nobiſcum hujuſmodi pericula formidatis, expedit, ut Gubernatorem veſtrum participato labore tueamini; alias autem quæ ratio eſt, ſi nautis in magiſtrum furentibus, non ſine illorum periculo cedatur iſto diſcrimine? Reddet rationem, qui Ovili Dominico præeſt, qua commiſſam ſibi agnorum curam adminiſtratione diſpenſet. Ceterum non eſt gregis Paſtorem proprium terrere, ſed Judicis. Quapropter reddite nobis principalem, ſi tamen necdum eſt reſtituta, concordiam: quia clienti veſtro, venerabili Symmacho Presbytero, idcirco laborem hujus fatigationis injunximus, ut nobis in veſtrarum oraculo litterarum, per redintegratæ pacis nuntium, ſi* [illegible] *effectum*. Hactenus Galliarum Epiſc[illegible] erga Romanum Pontificem, & Apoſtolicam S[illegible], quo eam ſemper proſequuti ſunt, ut innume[illegible]at. Jesu Chr. An. 502. Tom. 4. pag. 1362.

5. Synodali ſententia a Schiſ[illegible] ſolutus Symmachus Papa, & ſceleratorum manibus ereptus, alteram Romæ Synodum celebravit, eaque Odoacris olim Italiæ Regis legem, qua Romanum Pontificem abſque ſuo, Succeſſorumque ſuorum conſenſu eligi prohibuerat, irritam fecit, ſicuti & aliud ejuſdem Regis de bonis Romanæ Eccleſiæ non alienandis decretum, utpote ab illegitima poteſtate vulgatum, I. Synodo Romana III. ſub Symmacho.

ut

JESU CHR. AN. 502.

Bar. an. 502. n. 22.

ut Acta Synodi teſtantur. Hanc Synodum *Palmarem* quoque dixerunt nonnulli, aut etiam ejuſdem, qua abſolutus eſt Symmachus, ſeſſionem alteram. At ſive prioris pars fuerit, ſive altera Synodus, vix intereſt. Ruſo itaque Avieno Conſule, ut ad acta accedamus: *Octavo Iduum Novembrium, in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, Reſidente venerabili viro Papa Symmacho, una cum venerabilibus viris, & Epiſcopis Laurentio, Maximo &c.* ſequuntur Epiſcopi numero octoginta, (licet ſubſcripti leguntur tantummodo LXIV.) Deinde Presbyteri numero XXXVI., & poſt eos Diaconi quatuor.

Tom. 4. Concil. pag. 1334.

His in unum congregatis, poſt præfationem, qua Symmachus Papa adſtantes laudavit Epiſcopos, eo quod legibus obſequuti, quæ erant ſtatuenda, definierant, Scripturam deinde illuſtris memoriæ Baſilii, quaſi pro Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ amore conſcriptam, legendam obtulit, ut de ea ſynodus judicium ferret, Odoacris ſcilicet legem, quæ dum legeretur;

Odoacris Regis lex de Roman. Pontificis electione, & de bonis Rom. eccleſiæ non alienandis irrita dicitur.

5. *Creſconius Epiſcopus civitatis Tudertinæ Eccleſiæ, ſurgens e conſeſſu, dixit: Hic perpendat Sancta Synodus, uti prætermiſſis perſonis Religionis, quibus maxime cura eſt de tanto Pontifice, electionem laici in ſuam redegerint poteſtatem, quod contra Canones eſſe, manifeſtum eſt:* Diaconus deinde Hormiſda legem alteram de rerum Eccleſiaſticarum alienationibus legit; dum ventum eſt ad ea verba: *Si quis vero aliquid eorum alienare voluerit, inefficax, atque irritum judicetur, ſitque facienti, vel conſentienti, accipientique anathema: Maximus Epiſcopus Bleranæ Eccleſiæ dixit: Modo Sancta Synodus dignetur edicere, ſi licuit laico homini anathema in Ordine Eccleſiaſtico dictare. Aut ſi potuit Laicus Sacerdoti anathema dicere, & contra Canones, quod ei non competebat, conſtituere. Dicite vobis, quid videtur? De me licuit laico legem dare? Sancta Synodus dixit: Non licuit, jecit: Lege ſequentia. Hormiſda Diaconus legit. Et ui prædium ruſticum, vel Urbanum juris Eccleſiaſtici fuerit conſecutus, noverit nulla lege, vel præſcriptione munitum. Sed ſive is, qui alienaverit, ſive is, qui conſequenter voluntate contraria prædium hujuſmodi alienatum revocare tentaverit, id cum fructibus reſtituat, qui illud fuerit conſecutus.* Poſt hæc Stephanus Venuſinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ut cetera legerentur admonuit. Cumque hæc lecta fuiſſent, Laurentius Epiſcopus Mediolanenſis Eccleſiæ dixit: *Iſta Scriptura nullum*

Digitized by Google

nullum Romanæ Civitatis potuit obligare Pontificem, quia non licuit laico ſtatuendi in Eccleſia, præter Romanum, habere aliquam poteſtatem. Eademque calculo ſuo confirmarunt Petrus Ravennatium Epiſcopus, & Eulalius Syracuſanæ Eccleſiæ Epiſcopus. Quare una omnium ſententia fuit, ea, quæ Rex Odoacer de Romani Pontificis electione, aut de alienatione bonorum Eccleſiæ ſtatuerat, irrita fieri: *Ne in exemplum remaneret præſumendi quibuslibet laicis, quamvis Religioſis, vel potentibus, in quacumque civitate, quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi indiſcuſſe a Deo cura commiſſa docetur.* Ne tamen libera cuilibet poteſtas eſſet Eccleſiæ Patrimonium pro lubitu alienare, aut diſſipare, his canonibus cautum eſt. Jesu Chr. An. 502.

6. Synodali itaque Sententia ſtatutum eſt, ut nulli Apoſtolicæ Sedis Præſuli liceat prædium ruſticum ſub perpetua alienatione, vel commutatione ad cujuslibet jura transferre. Sed nec Uſufructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere. Domus tantum in quibuslibet locis conſtitutæ, quarum ſtatum neceſſe eſt expenſa non modica ſuſtentari, acceptis (ſi offerri contigerit) ſub juſta exiſtimatione redditibus, & divini timoris judicii, commutentur. Quod etiam per omnes Romanæ civitatis titulos a Presbyteris ſervandum eſſe, additum eſt. Quicumque vero contra hæc ſtatuta fecerit, Donator, Alienator, ac Venditor, honoris ſui amiſſione mulctetur. *Hujus autem Conſtitutionis legem in Apoſtolica tantum volumus Sede ſervari.* In aliis vero Eccleſiis, ſecundum Animarum conſiderationem, quidquid propoſito Religionis convenire, rectores earum viderint, alienandi poteſtatem habebunt, Deo rationem reddituri. Synodi Decreto ſubſcripti leguntur, primo Cælius Symmachus Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, deinde Laurentius Mediolanenſis, Petrus Ravennatis, Eulalius Syracuſarum, ac ceteri numero Sexaginta quinque.

Synodi Rom. canones de bonis eccleſiæ non alienandis.

7. Symmachi Papæ cauſam non ſolum Ennodius, ſcripta Apologia, defenderat, ſed quotquot in Italia erant ſanctiſſimi Epiſcopi. Omnium primus adfuit Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, cujus pro Symmacho, ejuſque innocentia, atque Romanæ Eccleſiæ tranquillitate, ſuſceptos labores Ennodius in panegyrico, in ejus natali dicto, dum ejus laudes enarrat, per plura proſequitur: *Secunda poſt dubium temporis nata eſt in Eccleſia Romana captivitas, quæ te quaſi jam*

Laurentii Mediolanenſis Epiſcopi pro Symmacho officia.

apud Sirmond tom. 1. pag 1732.

Digitized by Google

 jamdiu deſidem, & laboris fugacem de longæ ſinu quietis abſtraheret; cum vix ſpe pacis laboris tui arma depoſita reſumuntur. Deberetur quidem, niſi me laudis tuæ cenſura pertraheret, in lugenda cauſa ſilentium, ut in una ætate memoriæ pereat res nefanda. Senatus ille curiæ Cæleſtis accitus eſt, ibi ex variis Provinciis Epiſcoporum turba confluxit, ubi cætus ille, quot hominum genera, tot ſententiarum varietates advexit. Sed quibus inerat ſpiritualis ſapor intelligentiæ, quaſi ducem te principalis deliberationis caritate tenuerunt. Unum te ſecuti ſunt tot electi, & in ſententiam tuam reciderunt tantarum Principes Civitatum, ideſt Epiſcopi, qui ad Synodum convenerant.

Cæſarius Arelatenſis epiſcopus ordinatur.

Ennod. lib. 9. epiſt. 33. apud Sirmond. tom. 1. p. 1591. Dupin. ſæcul. 6. pag. 356.

8. Mortuo Eonio Arelatenſi Epiſcopo, cujus memoria in Eccleſia Arelatenſi die 30. Auguſti recolitur, quique inter Gallicanos hujus ævi Epiſcopos celeberrimus habebatur, itaut de eo Ennodius ſcriberet: *Tu ceteros velut Solis magnitudo Aſtris minoribus comparata tranſgrederis*; ſucceſſit Cæſarius, Eonio adhuc ſanctitate vitæ celebrior, & quidem anno proximo 501., vel labenti, aut ſequenti 503., nam variæ de ejuſdem ordinatione extant Eruditorum opiniones. Is porro nobili genere Cabillone natus circa annum 470., ab ipſa fere infantia futuræ ſanctitatis indicia dederat, inſignis præcipue in pauperes miſericordiæ, itaut cum ſeptimum, ſeu amplius gereret ætatis annum, ex veſtimentis, *quæ circa ſe habuiſſet*, abſque ulla dubitatione pauperibus tribuebat, *ſæpe domi ſeminudus revertens*. Cumque a parentibus interrogaretur, quid de veſtimentis ſuis feciſſet, hoc tantummodo reſpondebat, *a tranſeuntibus ſibi fuiſſe ſublata*, ut in ejus vita emendatiori, quam Cyprianus ejus diſcipulus ſcripſit, videre eſt, ſicuti & alia plurima, quæ brevitatis ſtudio præterimus. Interea cum eſſet annorum octodecimo, beatum Sylveſtrum Cabillonenſem Epiſcopum adiit, a quo in Clerum ſuum adſcriptus eſt. Hic porro Sylveſter Cabillonenſis Epiſcopus Epaonenſi Concilio anno 517. celebrato ſubſcriptus legitur, cujus memoria die 20. Novembris recolitur. At Cæſarius duobus poſt annis, in Lirinenſe Monaſterium tranſiit, ubi a Porcario Abbate ſuſceptus, in ipſo diſciplinæ Regularis tyrocinio tanquam veteranus apparuit, itaut paulo poſt officinæ Cellariæ præficeretur. At inde amotus, eo quod lectioni, orationi, & jejuniis adeo vacavit, ut debilitata valetudine, ac febribus

Digitized by Google

bus quartanis laborans, Arelatem, recuperandæ ſalutis cauſa, redire coactus eſt. JESU CHR. AN. 502.

9. Dum ergo Arelate Cæſarius degeret, humanis, diviniſque litteris intentus, ab Eonio Arelatenſi Epiſcopo Presbyter eſt ordinatus; qui tamen etſi ordine, & officio clericus eſſet, *humilitate tamen, charitate, obſequio, cruce Monachus permanebat*, ait vitæ Auctor. Deinde Abbas Monaſterii, quod in inſula prope Arelatem extructum erat, eligitur, & triennio vix Abbatis officio functus erat, cum Eonius Clerum, & Populum alloquutus eſt, ut poſt ſe nullum alium præter Cæſarium in Arelatenſem Epiſcopum eligerent. Cum voti ſui compos factus eſſet: *Securus de ſucceſſore migravit ad Dominum. Cum ergo perveniſſet ad ejus notitiam, quod eſſet ordinandus Epiſcopus, inter quaſdam ſepulturas latibulum requiſivit. Sed abſconſus eſſe non potuit, quem detexit non culpa, ſed gratia, & de ſepultura vivus trahitur*. Epiſcopus itaque ordinatus, ſtatim ut fidelis ſervus, quæ ſunt domus Dei ordinavit, & *de profectibus cunctorum ſollicitus, & providus Paſtor ſtatim inſtituit, ut quotidie tertiæ, ſextæ, & nonæ opus in ſancti Stephani Baſilica Clerici cum hymnis cantarent*. Sciens vero, Epiſcopos ad id præcipue per Spiritum Sanctum Eccleſiarum regimini præpoſitos eſſe, ut Orationi, & miniſterio verbi vacarent, cum ſcriptum ſit: *Non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis, eligite ex vobis viros . . . . . nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes &c. Spreta omni ſollicitudine, curaque terreſtri, ad inſtar Apoſtolorum, ſollertiam culturæ in diſpenſatione bonorum eccleſiæ Diaconibus credidit ſub Dei obteſtatione committendam, & totum ſe verbo Dei, & lectioni, ac prædicationibus mancipavit*. Quanta audientium utilitate id faceret, in ejus vita longa oratione perſequitur Auctor, ac ita *prædicationem proferebat, ut & bonos ad gloriam, & malos revocaret a pœna. Sicut bonus medicus diverſis vulneribus diverſa medicamina providebat, offerens non quod unumquemque delectaret, ſed potius quo curaret; non inſpiciens voluntatem ægroti, ſed ſanitatem deſiderans competentem infirmis, ipſoſque Pontifices ſanctos, & reliquos Rectores Eccleſiæ granditer increpabat, ut plebi ſibi commiſſæ indeſinenter ſpirituale pabulum miniſtrarent &c.* In verbi autem prædicatione, non eloquentia placere hominibus ſatagebat, ſed

Cæſarius ab Eonio Presbyter ordinatur, cui in Epiſcopatu ſuccedit.

Act. 6.

ut ſupra cap. 10. pag. 661.

Jesu Chr. an. 502.

ſimplicitate ſermonis utebatur; unde, ut in ejus vita narrat Cyprianus: *Ideo noſter iſte ſermo integritatis religione contentus, renuit mundanam pompam, reſpuitque cum ſuis operibus gloriæ mundanæ jactantiam; & potius delectatur eloquio Piſcatorum concordare, quam Rhetorum*. Hæc Cæſarius de ſe ipſo, quem ſi imitari non dedignarentur Epiſcopi, evaneſceret protinus frequens, & futilis excuſatio, talenta ſcilicet ſibi deeſſe ad verbi Dei prædicationem, ac donum verbi non habere. Sed de Cæſarii geſtis uſque ad Epiſcopatum hactenus; cetera ejuſdem geſta ſuo loco dicenda reſervamus.

De Juliano Pomerio, ejuſque operibus.

10. Dum Arelate verſamur, ubi Cæſarius Epiſcopus eſt ordinatus, Julianus Pomerius ejuſdem Eccleſiæ Presbyter ſe ſe offert, qui, dum ex Lirinenſi monaſterio Arelatem Cæſarius tranſiit, ibidem Rhetoricam docens, Cæſarium quoque inter auditores habuit. Nam, ut narrat Auctor vitæ Cæſarii, a Firmino viro illuſtri, & Gregoria fœminarum nobiliſſima ſuſceptus Cæſarius: *Ipſis familiariſſimus quidem erat Pomerius nomine, ſcientia Rhetor, Afer genere, quem ibi ſingularem, & clarum Grammaticæ artis doctrina reddebat*. Ab humanioribus tamen litteris addiſcendis divinitus revocatus eſt Cæſarius; unde *eruditionis humanæ figmenta non recepit, quem inſtruendum per ſe ſibi divina Gratia præparavit*, ac portento etiam ab iis diſciplinis abſtractum, idem adnotat Auctor. Pomerius vero Afer genere, cum vandalicæ perſecutionis vitandæ cauſa, ut veroſimile eſt, in Gallias tranſiiſſet, ac humanis, diviniſque litteris præſtaret, Presbyter ibidem ordinatus, humanas, divinaſque litteras docuit. Humanas quidem, Grammaticæ artis ſcientiam, & Rhetoricam docens, divinas vero ſcriptis opuſculis, quorum Catalogum Gennadius, & Iſidorus exhibent, ſcilicet Dialogum de Animæ natura, & qualitatibus, octo libris diſtinctum, qui liber aut deperditus eſt, aut adhuc latet, corpoream tamen hominis animam eſſe, eum docuiſſe, ex Iſidoro ſcimus; quod etiam ea fere ætate Caſſianus, Fauſtus, & Gennadius, poſt Tertullianum docuerant. Claudianus econtra, Mamerchus, & Avitus Viennenſis Epiſcopus in Epiſtola ad Gundebadum Burgundiorum Regem, ſpiritualem eſſe propugnarunt. Liber alter Pomerii de contemptu Mundi, ad Principium quemdam datus, inſcriptus erat. Huic alterum de Virginum inſtitutione addiderat, quem ſequebatur alter de Vir-

Apud Sirmon. tom. 2.

Digitized by Google

Virtutibus, & vitiis: hi omnes deperditi ſunt. Tres tamen de vita contemplativa, & activa libri ſuperſunt; qui etſi paſſim Proſpero Aquitano inſcripti ſint, Pomerio tamen reſtituendos eſſe, Eruditi demonſtrant. In iis præcipue de Epiſcoporum, & Presbyterorum dignitate, & officiis agit; eoſque, ut animarum ſaluti invigilent, & hortatur, & admonet. Qui vero quærunt, quæ ſua ſunt magis, quam Chriſti, ideſt in Epiſcopatu honoris dignitatem, ſæcularem faſtum, Eccleſiæ ampliores redditus, arguit, & caſtigat, quæ longum eſſet exſcribere. Hoc unum autem adnotare juvabit, Pomerium in ea opinione fuiſſe, ut cum Eccleſiaſtici redditus ad ſuſtentandam Presbyterorum, & Clericorum inopiam deſtinati ſint; qui divites ſunt, ab Eccleſiæ redditibus, etſi Eccleſiæ inſerviant, abſtinere debent, æterna contenti mercede, quam Deus vineæ ſuæ operariis in fine ſæculi daturus eſt.

Norlſ. hiſt. Pelag. lib. 5. cap. 14. Dupin. ſæcul. 5. tom. 3. pag. 567. Caveus tom. 1. hiſt. litter. p. 466.

11. Sub hujus anni Conſulibus, Marcellinus in Chronico narrat, Thraciam a Bulgaris, nullo reſiſtente, fuiſſe vaſtatam, & Amidam a Chabade Perſarum Rege quinque menſium expugnatione occupatam; cum etenim inter utrumque Imperium pax firmata eſſet, *duodecimum annum Imperatoris Anaſtaſii permanſit*, ait Evagrius. Amidæ expugnationem narrans Procopius, de Jacobo Syro Anachoreta adnotat: *Is inter Syros vir admodum juſtus, qui & in rebus divinis exercebatur in vico ab Amida unius diei iter diſtante jampridem ſe ſe intruſerat, ut affatim quæ ſunt ad pietatem meditari poſſet. Hic ei addicti homines in brevi ſpatio cancellis interſorati, ut videri ab audientibus, ac paſſim conſuli poſſet, ipſum incluſerant, ubi neque æſtus, neque frigus curans, tantum ex ſeminibus victitabat, non quotidie, ſed intervallo dierum multorum ſumptis. Hunc igitur Perſæ quidam, excurrendo ad ea loca, ſagittis petere tentantes, divino portento, manus, arcuſque immobiles viſi ſunt conſiſtere. Hac fama in caſtra Perſarum perlata, Chabades ire viſum ſtatuit. Quo animadverſo, horrore ſimul cum Perſis, qui aderant, captus, Barbarorum noxam deprecari cœpit. Ille vero tantum verbo malum hoc pepulit; ex quo homines illi liberati, & in priſtinum reſtituti fuerunt ſtatum. Tunc Chabades pro meritis ei, quod vellet, optionem dedit, putans eum magnas opes petiturum. Tantum ab eo poſtulavit, ut homines, qui in hoc bello ad eum viſendum ſecederent, ſalvos eſſe vellet, quod Chabades*

Bulgari Thraciam devaſtant.

Marcellin. in Chron. apud Sirmond. tom. 2. pag. 372. Evagr. lib. 1. cap. 19.

Procop. de Bello Perſico lib. 1. cap. 5.

Jesu Chr. An. 503. *bades facile conceſſit; inſuper Syngrapham pignoris loco, ac tutelæ dedit. Hoc itaque rumore pervagato, plurimi ad eum confugientes ſervabantur. Et hæc ſic quidem ſe habuere.* Hactenus de his Procopius, pergens res geſtas in ea diuturna obſidione narrare, aſſerenſque non proditione, ſed ignavia Monachorum Amidam fuiſſe captam, non ſine magna civium ſtrage, quam Sacerdos quidam feſtinans ad Chabadis occurſum per plateas adequitantis compreſſit, Regi Perſarum exprobrans: *O quam Regium captos interficere*, cui Chabades: *cur mihi reſiſtere audetis*. Hic ſtatim excipiens, *quoniam*, inquit, *Deus non noſtra voluntate, ſed tua virtute Amidam tibi tradere voluit*. Hæc Procopius. De hoc Bello, & de calamitatibus, quibus his annis vaſtata eſt Meſopotamia, Joſue, dictus Stylita, hujus temporis ſcriptor hiſtoriam texuit, ab anno ſcilicet 495. ad annum 507. & Evagrius ex Euſtaſio harum rerum accuratiſſimo ſcriptore, ex quibus pauca exſcribimus, memores Eccleſiæ hiſtoriam nos ſcribere, non Imperii.

apud Aſſeman. tom. 1. Biblioth. Orient. cap. 16. Evagr. lib. 3. cap. 37.

JESU CHRISTI An. 503. Symmachi Papæ 6.
Anastasii Imp. 13. Theodorici Regis Undecimo.

Synodus Romana IV. ſub Symmacho Papa. *Tom. 4. pag. 1364.*

1. Anno Chriſti quingenteſimo tertio, Conſulibus Dexicrate, & Voluſiano, Romæ iterum a Symmacho Papa Synodus indicta dicitur, qua Ennodii libellus, ſeu Apologia contra Schiſmaticos pro ſe ipſo vulgata, lecta, atque a congregatis Epiſcopis laudata, ſynodali ſententia probata eſt, actiſque ſynodalibus inſerta. Hinc ad Epiſcoporum poſtulationem Symmachus Papa dixit: *Juxta veſtram omnium fiat voluntatem, & ut judicatis, Apoſtolica habeatur auctoritate, & inter Apoſtolica, quod dicitis, interponatur decreta, & ſicut cetera Apoſtolica ab omnibus teneantur decreta*; omnes autem una voce reſponderunt, dicentes: *Ut fiat rogamus*. Synodus poſt hæc petiit, ut quotquot Symmachum accuſaverant, judicaverant, aut condemnaverant, vel contra Synodum, qua abſolutus fuerat, ſcribere aliquid, aut obloqui præſumpſerant, Synodali ſententia condemnarentur. At Symmachus, ut mitius cum eis ageretur, rogavit. *Flagitamus*, inquit, *ut circa Inſidiatores, & Perſecutores noſtros mitius agatis: & licet juſte damnentur, propter miſericordiam tamen con-*

conſerventur, *ut in nobis illa Domini ſententia declaretur qua præcipitur*, *ita fratribus dimitti*, *ſicut ſibi a Domino cupiunt dimitti*. Ceterum, ne in poſterum talia præſumerentur, ſtatutum eſt, ne Epiſcoporum quiſquam ad Synodum ſive Provincialem, ſive Generalem adeſſe compelleretur, niſi prius quæcumque ab eo ablata fuerant, redderentur, & ſi ſua ſede pulſus eſſet, reſtitueretur, pluribus in hanc rem adductis ex ſacra Scriptura, vel Eccleſiæ decretis probationibus. Synodo ſubſcripſere Epiſcopi octodecim ſupra ducentos, & ex iis quamplurimi Orientales, qui ſubſcripti leguntur Chalcedonenſi Synodo ante quinquaginta annos habita; unde alterius Orientalis Synodi eas ſubſcriptiones, nunquam vero Romanæ hujus anni fuiſſe, ſuſpicatur Baronius, cum præcipue ob Acacii nomen in dypticis retentum, nulla fere Orientales inter, & Occidentales Epiſcopos communio vigeret.

JESU CHR. AN. 503.

Baron. anno 503. n. 9.

2. Hinc non levis ex ipſa ſubſcriptione ſuſpicio oritur, totam hanc Synodum commentitiam eſſe, ſicut & alteram, quam anno ſequenti collocant Conciliorum editores, atque ex Iſidori officina prodiiſſe, aut alio obſcuro ſequioris temporis auctore, qui Sinveſſanum Concilium in cauſa Marcellini Pontificis Diocletiani Imperatoris ætate celebratum fuiſſe confixit. Et ſane, ut id ſuſpicemur, materiæ affinitas ſuadet; in eo etenim definitum eſt, *primam Sedem a nemine judicari*. In hoc vero Ennodii Apologia pro Symmacho Papa recepta, actiſque Synodi confirmata, nonniſi volentem, ac ſponte ſe Concilio offerentem, a quacumque Synodo audiri, aut judicari poſſe Romanum Pontificem, aperte traditur. Styli etiam barbaries, quæ aut in Sinveſſano Concilio, aut in Iſidorianis epiſtolis occurrit, ſuſpicionem auget; unde clariſſimus vir, & Epiſcopali Dignitate conſpicuus, Joannes ſcilicet Bartolus in Univerſitate Patavina Juris Canonici Profeſſor, deinde Feltrienſis Epiſcopus, hæc de his Synodis ſcripſit: *Cum ad quintam*, *& ſextam Symmachi Synodum tranſiiſſem*, *animadverti*, *incredibilem has Synodos habere Styli atque orationis diſſimilitudinem a tribus prioribus*, *ut non jam ſanctus Symmachus*, *qui in prioribus Synodis locutus fuit*, *ſed longe alius in his duabus poſtremis prolocutus eſſe videatur*. *Præterea neutra harum Synodorum ſancti Symmachi cauſam vel leviter tangit*, *nullumque hiſtoricum characterem præfert*; *utraque vero ſe quædam male conſuta compagi-*

An hæc Synodus legitima fuerit.

Bartol. Inſtit. Juris Canon. cap. 20. pag. 140.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 503.

Paginatio epiſtolarum priſcorum Pontificum, ut qui illas fuit fabricatus, idem ipſe & duarum iſtarum Synodorum architectum ſe prodat, præſertim cum tam in Epiſtolis illis, quam in duabus hiſce Synodis ſaxum idem ſemper volvat. Hæc ille, quibus addi poteſt ad earum Synodorum falſitatem coarguendam, has ſcilicet poſtremas in pleriſque codicibus deſiderari. De Pariſienſibus teſtatur Pagius, hanc ſynodum deſiderari in Codice Colbertino, Sangermanenſi Caroli Magni tempore exarato, & altero Colbertino. His addimus Nicolaum primum ad Michaelem Imperatorem ſcribere, epiſt. 8. *Sicut magnus Chriſti Confeſſor Ennodius Ticienſis Epiſcopus, qui ab Hormiſda Apoſtolicæ memoriæ Conſtantinopolim miſſus . . . . ex Propheta de his meminit: Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam.* Rem porro firmiori auctoritate comprobaſſet Nicolaus Papa, ſi hæc non tantum ab Ennodio dicta, ſed a Romana Synodo confirmata dixiſſet: majoris quippe ſine dubio ponderis fuiſſet, tot Epiſcoporum maxime Orientalium in hanc rem conſenſus, quam ſolius Ennodii. Ignoravit ergo Nicolaus, eam Apologiam a Synodo comprobatam fuiſſe: Joannes quoque octavus Borcario Abbati ſcribens habet: *Abſit a piis mentibus, quid de Romani culminis Pontifice ſiniſtrum ſentire, cum B. Ennodio Confeſſore Ticinenſis Urbis Antiſtite ſcribente doceamur, quia Deus Omnipotens, aut claros ad tanta Faſtigia erigit, aut certe quos erigit, illuſtrat.* Agnoſco Ennodii verba, hæc autem a Romana Synodo confirmata fuiſſe omnino ignoravit. Gregorius econtra ſeptimus, cum ea ætate viveret, qua Iſidorianæ merces in pretio erant, Ennodii non ſolum auctoritate uſus eſt; ſed etiam B. Symmachi Papæ auctoritate, Ennodii ſententiam de privilegiis Romani Pontificis confirmatam fuiſſe, in celebri ſuo dictatu his verbis adnotavit: *Quod Romanus Pontifex, ſi canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur Sanctus, teſtante S. Ennodio Papienſi Epiſcopo,, & multis ſanctis Patribus faventibus, ſicut in Decretis B. Symmachi Papæ continetur.* Sed de hoc Concilio hactenus. Anno proximo ſynodum alteram ab Symmacho habitam exhibent conciliorum editores, qua cautum eſt, ut invaſores Bonorum Ecclaſiaſticorum anathemati ſubjicerentur, tanquam manifeſti hæretici, niſi ſtatim occupata bona reſtituerint, qua ſententia, eos quoque teneri, addit,

Eſai. cap. 10. 15. in Apolog. pag. 1623.

Digitized by Google

dit, qui ſub prætextu regiæ largitatis Eccleſiæ bona occupaſſent; at cum eadem in ſubſcriptionibus vitia occurrant, eademque ſtyli barbaries, quæ hactenus de altera Synodo diximus, ad hanc quoque aptari poſſunt, cum utraque eodem ingenio, eademque manu confecta fuerit. Unde plura addere ſuperfluum eſt. Jasu Chr. an. 503.

3. Ad Symmachi geſta redimus, qui Apologeticam ſcripſit adverſus Anaſtaſii Imperatoris epiſtolam, qua ſe a calumniis, ac contumeliis, quibus affectus fuerat, vindicavit. Hanc epiſtolam poſt annum 501. ſcriptam a ſancto Pontifice, nos docent ea verba. *Inter imbres lapidum totus evaſi*; quando ſcilicet a Schiſmaticis, dum ad Synodum iret, lapidibus aggreſſus eſt. Epiſtolæ autem Symmachi hoc eſt initium: *Ad auguſtæ Majeſtatis Gratiani Imp. epiſtolam octo libris Beatus reſpondit Ambroſius, quia pro Fide Catholica, & illam, non piguit prolixius prædicare, & hic non faſtidivit gratanter accipere. Hæc dixerim, ut ſi modum libelli promendo collegerim, non exiſtimer, quæ non oportuit locutus. Si mihi Imperator apud exteros Reges, eoſque totius Divinitatis ignaros pro Fide Catholica dicendum foret, quidquid ejus veritati, rationique congrueret, etiam prætenta morte perorarem &c.* Quare contumelias quidem acceptas ſe ſpernere teſtatur, ac ut patienter, quæ dicturus erat acciperet, hortatur. Poſt aliqua Imperatorem admonet, inſontem non eſſe, dum cum hæreticis communicaret: *Non ſolum*, teſte Apoſtolo, *Rei ſunt, qui talia faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus*. Subdit vero poſt aliqua: *Quid facies, Imperator, in Divino Judicio? an quia Imperator es, nullum Dei putas eſſe judicium? Taceo, quod Imperatorem accuſatorem eſſe non conveniat. Poſtremo iiſdem Divinis, humaniſque Legibus nemo poſſit eſſe accuſator, & Judex. Numquidnam ſub alieno judicio dicturus es cauſam? vel accuſator adſtabis? Dicis, eſſe Manichæum. Numquid ego Eutychianus ſum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichæorum ſuffragatur errori? Roma mihi teſtis eſt, & ſcrinia teſtimonium perhibent, utrum a fide Catholica, quam in Sede Beati Apoſtoli Petri, veniens ex paganitate ſuſcepi, aliqua ex parte deviaverim. Procedat aliquis, & qualibet ratione convincat; alioqui convicia ſunt iſta, non criminum probamenta. Neſcio utrum quibus objicitur falſum, an falſis objectionibus inimica* di-

Symmachi Epiſtola Apologetica adverſus Anaſtaſium Imp.

tom. 4. pag 1296.

dicentibus me non ordine conſecratum. Inter imbres lapidum totus evaſi &c. Deinde poſt aliqua, quantum dignitate Imperatori antiſtaret Pontifex, addit: *Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis; inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte Divinarum. Tu Imperator a Pontifice Baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperans, pœnitentiam rogas. Poſtrema tu humana adminiſtras, ille tibi Divina diſpenſat. Itaque, ut non dicam ſuperior, certe æqualis honor eſt. Nec te putes, Mundi pompa præcellere, quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.*

Pontificis Dignitas major quam Imperatoris.

Qua ratione, & quando Principibus obedientia ſit exhibenda.

4. Ac tandem qua ratione humanis poteſtatibus obedire oporteat, his verbis docet: *Fortaſſis dicturus es, ſcriptum eſſe: Omni Poteſtati nos ſubditos eſſe debere. Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates. Cæterum ſi omnis poteſtas a Deo eſt, magis ergo quæ rebus eſt præſtituta divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterum ſi tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus juxta contemnis.* Ad ea vero, de quibus præcipue quærebatur Imperator, ſe ſcilicet per Pontificem, conſpirante Senatu, fuiſſe excommunicatum, ſic reſpondit: *Dicis, quod mecum, conſpirante Senatu, excommunicaverim te. Iſta quidem ego, ſed rationabiliter factum a Deceſſoribus meis, ſine dubio ſubſequor. Dicis, quod male te Romanus tractet Senatus. Si nos te male tractamus, ſuadentes, ut diſcedas ab Hæreticis: Tu nos bene tractas, quos vis ſociare præcipitanter Hæreticis? Quid ad me, inquies, quod egit Acacius? Recede ergo, & nihil ad te. Nam ſi non recedis ab eo, pertinet & ad te. Relinquamus uterque mortuum. Et nos hoc petimus, ut nihil ad te pertineat, quod egit Acacius. Tu nos facis objicere tibi, qui vis ad te pertinere, quod egit Acacius. Nos vitamus, quod egit Acacius, vita & tu: & ad utroſque non pertinet, quod egit Acacius, ut poſſis ſine iis, quæ egit Acacius, cum ea quæ ad nos pertinent conjungi, ut poſſis ſine Acacio noſtræ communioni ſociari. Nos non te excommunicavimus, Imperator, ſed Acacium: Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miſcere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus a Nobis. Si miſces, non a Nobis, ſed a te ipſo excommunicatus es. Ita fit, ut in utroque, ſive di-*

diſcedas, *non ſis excommunicatus a nobis*, *ſive non diſcedas*, *non ſis excommunicatus a nobis*. Poſtquam vero demonſtravit, de Chriſtiano nomine non eſſe gloriandum, niſi recta teneatur fides, Imperatorem arguit, eo quod conſueta officia epiſtolarum ad ſe, cum Pontifex ordinatus fuerat, nequaquam miſerat.

Jesu Chr. an. 503.

5. Quam falſo Manichæiſmi labe ab Anaſtaſio Imperatore inſimulatus fuerit Symmachus Papa, ejuſdem geſta teſtantur, de quo inter cetera narrat Anaſtaſius: *Poſt hæc B. Symmachus invenit Manichæos in Urbe Roma, quorum Simulacra, vel Codices ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ incendio concremavit, & eos ipſos exilio relegavit*. Anaſtaſius econtra Imperator, Manichæorum Patronus, & Fautor a Symmacho Papa merito dictus eſt, utpote ex Manichæa matre natus, & cum Manichæis familiaritate conjunctus, unde Theophanes de eodem narrat: *Manichæum vero quemdam, Syro Perſam genere, picturiæ Artis peritum, Presbyteri veſtibus ornatum Cizico adduxit Anaſtaſius, qui monſtruoſa quædam, & a Sanctis Eccleſiæ Imaginibus aliena ad Imperatoris Manichæorum opinionibus aſſueti mentem in Helenianorum Palatio depingere auſus eſt, ex quo magna Populi ſeditio coorta. Ut Præfectus in conventibus Eccleſiaſticis, vel publicis proceſſionibus Imperatorem ſequeretur, ſibi quippe timebat a Catholicorum tumultibus: & jam res in conſuetudinem tranſiit. Xenajam preterea Manichæorum Sectatorem, Philoxenum alias dictum, utpote qui una ſecum ſentiret*, inter chariſſimos habuit, ait Theophanes, aliique Hiſtorici. An vero Pontifex Anaſtaſium Imperatorem excommunicaverit, incertum eſt, cum hæc dixerit Symmachus: *Nos non te excommunicavimus, Imperator, ſed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis: Tu te noli miſcere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus a nobis*. Nominatim tamen eum excommunicatum fuiſſe, hæc alia Symmachi verba indicant: *Dicis, quod, mecum conſpirante Senatu, excommunicaverim te. Iſta quidem ego, ſed rationabiliter factum a Deceſſoribus meis, ſine dubio ſubſequor*. Rem itaque in incerto relinquimus, etſi dubitari non poſſit, ob favorem Hæreticis præſtitum, tamquam excommunicatum habitum fuiſſe Anaſtaſium.

Symmachus Papa Manichæos Urbe ejicit. *Anaſtaſ. tom. pag. 217.*

Theophan. in Cronog. pag. 128.

6. Vigente interea Romanos inter, & Perſas bello, quod qua-

Infelix expeditio Romanorum in Perſas.

JESU CHR. AN. 504. quadriennio ſaltem Romano Imperio infauſtum fuit, Imperator Anaſtaſius exercitum adverſus eos collegit. At cum ei Duces quatuor præfeciſſet, nec umquam in unum ii convenirent, nil memoria dignum egerunt, ut narrat Procopius: *Propterea, quod bello non unus erat Imperator præpoſitus: at Duces inter ſe æquales, & ea re non in varia modo conſilia, verum etiam caſtra diſtracti*. His addit, Amidæ expugnationem ſæpius, ſed irrito conatu tentatam fuiſſe: *Convenit tandem, ut Perſæ auri pondo mille acceptis, urbem Romanis traderent, idque altero poſt annum quam capta ab hoſte fuerat*. Eadem fere narrant Theophanes, & Marcellinus ſub hujus anni Conſulibus.

Procop. de Bello Perſ. cap. 6.

Theophan. p. Marcell. pag.

JESU CHRISTI AN. 504. SYMMACHI PAPÆ 7. ANASTASII IMP. 14. THEODORICI REGIS 12.

Gethegi Coſ. elogium. apud Sir. n. p. 1714.

1. Inſequens Chriſti annus quingenteſimus quartus unius tantum Gethegi Conſulis nomine ſignatus eſt, de quo Ennodius in Parænesi, poſtquam de Probino Patricio, qui anno 489. Conſul fuit, de Gethego ejus filio hæc habet: *Eſt Patricius Gethegus ejus filius vir Conſularis, qui canum prudentiam minor tranſgrediens ſine ætatis præjudicio, habet & provectorum ſaporem, & mella puerilia*. Lambecius, & ex eo Mabillonius ſub hujus Conſulis nomine chartam referunt Ravennæ ſcriptam. Interea hoc anno, ni nos acta fallunt, Romæ habitum eſt Concilium alterum a Symmacho Pontifice contra Eccleſiaſticarum rerum invaſores, de quo ſuperiori anno egimus, ibique adnotavimus, ob ſuſpectas, immo falſas ſubſcriptiones, & ob ſtyli exundantiam, de ejus ingenuitate dubitari merito poſſe. Sed ſive genuinum fuerit hoc Concilium, ſive apochryphum, vel in aliquibus auctum, & interpolatum, in re dubia nil certi proferimus; illud tamen certum, a Theodorico Rege Ariano rerum Eccleſiæ invaſores coercitos fuiſſe. Tanta hujus Principis in regenda Republica probitas, æquitas tanta, prudentia, juſtitia fuit, ut cum optimis quibuslibet Imperatoribus æquari merito poſſit; de cujus laudibus, cum plura adnotet Ennodius, hæc referre ſat erit: *Mirabilis patientia, quando tenax propoſiti ſui, claritatem non obumbrat alieni, nam & Eccleſiarum patrimonia relabi, niſi aucta fuerint, ingemiſcit. Sic factum eſt, ut & ſta-*

Lambec. tom. 8. Biblioth. Cæſar. Mabil. de Re diplom. pag. 460.

Theodorici Regis pietas, & juſtitia commendatur.

ſtatum ſuum locupletes pauperum ſubſtantiæ teneant, & mediocres ad ſupremam opulentiam convaleſcant. In Sacerdotibus virtutes & innatas colit, & non repertas inſpirat. Sed cur beatitudinem veſtram præjudicio diffuſi ſermonis anticipem?

Theodoricus Rex Eccleſiæ Bona tuetur.

2. De ejuſdem autem zelo pro Eccleſiarum indemnitate teſtis eſt epiſtola Adilæ ſcripta, petente Euſtorgio Mediolanenſi Epiſcopo, qua præcepit eidem, ut perſonas, & bona dictæ Eccleſiæ tueretur: *Quamvis nullos velimus gravamen aliquod ſuſtinere, quos videtur pietas noſtra protegere, (quia Regnantis eſt gloria ſubjectorum otioſa tranquillitas) tamen ſpecialiter Eccleſias ab omni injuria reddi cupimus alienas; quibus dum æquabilia præſtantur, miſericordia Divinitatis acquiritur. Et ideo beatiſſimi viri Euſtorgii Epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affatibus admonemus, ut prædiis, vel hominibus illius Eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis, tuitionem ſtudeas, ſalva civilitate, præſtare; nec a quoquam cujuslibet nationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet Divinitatis intuitu ſublevari. Ita tamen ut cauſis publicis, & privatis, quæ contra eos rationabiliter proponuntur, reſpondere non differant: quia ſicut nolumus, eos ab aliquo prægravari; ita exceptos a tramite juſtitiæ non patimur inveniri.* Et iterum Idæ viro ſublimi ſcribens de Bonis Eccleſiæ Narbonenſis ab aliquibus occupatis, hæc habet: *Atque ideo præſenti tibi auctoritate præcipimus, ut Poſſeſſiones Narbonenſis Eccleſiæ ſecundum præcelſæ recordationis Alarici præcepta a quibuslibet pervaſoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione reſtitui, quoniam verſari nolumus in Eccleſiæ diſpendio præſumptiones illicitas, dum noſtra deceat tempora ſedare confuſa &c.* Hæc ibi, atque anno 507. legem aliam edidit, qua Eccleſiæ bona alienari prohibebat.

Variar. lib. 4. epiſt. 17.

Theodoricus vindex criminum, & Immunitatis Eccleſiaſticæ Aſſertor.

3. Æquitate eadem, qua cuique jus ſuum tribui volebat, eadem inquam utebatur in criminibus vindicandis, abſque ulla perſonarum exceptione, ita tamen ut juſtitiæ limites nunquam excederet. Exemplo ſit, quod Annæ viro Senatori ſcribit in hunc modum: *Dudum ſiquidem ad nos multorum ſuggeſtione pervenit, Laurentium Presbyterum effoſſis cineribus funeſtas divitias inter hominum cadavera perſcrutatum, concuſſionemque mortuis intuliſſe, quem oportet viventibus quieta prædicare. Non abſtinuiſſe perhibetur tam crudeli*

Variar. lib. 4. epiſt. 18.

JESU CHR. AN. 504. *contagio piis dicatas conſecrationibus manus, aurum execrabili quæſiiſſe fertur affectu, quem ſuam decuiſſet egentibus dare ſubſtantiam, vel ſub æquitate collectam. Quod te diligenti examinatione præcipimus indagare; ut ſi veritati dicta perſpexeris convenire, hominis ambitum eo tantum fine concludas, ne poſſit aurum ſupprimere, quod eum non licuit invenire. Scelus enim, quod nos pro Sacerdotali honore relinquimus impunitum, majori pondere credimus vindicandum.* Ex quibus intelligis, quod dum crimen perſequitur Theodoricus, perſonam tamen Presbyteri nulla pœna afficit, pro Sacerdotali honore, ſciens ſacras perſonas laicorum Principum juriſdictioni non ſubeſſe.

Theodoricus Magos puniri jubet.

4. Gloriam ſuam Theodoricus ex eo etiam auxit, dum Magos, qui in Urbe latebant, inquiri, & debita pœna affici juſſit; ex quibus Baſilius, & Prætextatus Romanorum nobiliſſimi præcipue inſimulabantur. Hanc peſtem Romæ profundas radices jeciſſe, indicat Gelaſius Papa, Andronico ſcribens, magicas ſcilicet artes Paganis ipſis horrendas. Theodoricus itaque, ut Urbem ab ea peſte liberaret, Argolicum Urbis Præfectum ſuis epiſtolis excitavit. Quibus poſt aliqua ait: *Magnitudinis itaque tuæ relatione comperimus, Baſilium, atque Prætextatum in accuſationem tui examinis perſonarum intentione deductos: ſuper qua re noſtram te aſſeris ſpectare ſententiam, ut confidentius fiat, quod pietatis noſtræ mandat auctoritas. Sed nos, quæ neſcimus a legibus diſcrepare, quorum cordi eſt in omnibus moderatam tenere juſtitiam, præſenti auctoritate decernimus, ut quinque Senatoribus, & Patriciis viris Symmacho, Decio, Voluſiano, atque Cæliano, nec non illuſtri viro Maximiano hanc cauſam legitima examinatione penſetis: & per omnia juris ordine cuſtodito, ſi crimen, quod intenditur, fuerit comprobatum, ipſarum quoque legum diſtrictione plectatur: ut rei adhibiti, atque ſecreti per hoc vindictæ genus a culpis talibus arceantur, quos ad leges trahere non poteſt incerta notitia. De qua re illuſtri viro Comiti Aligerno præcepta direximus, ut omnium violenta defenſione ſummota, ſi ſe occultant, ad judicium protrahat impetitos, & vobiſcum in hac cauſa reſidens, nec opprimi faciat innoxios, nec lege ſinat evadere criminoſos.* Hactenus ad Præfectum Urbis Argolicum Theodoricus. Clariſſimos plane, & Senatorii Ordinis eos fuiſſe reos, ex judicii ſaltem apparatu

ratu intelligere facile eſt, dum cauſæ cognitionem, præter Urbis Præfectum, Comiti etiam Arigerno committit, & per quinque Patricios viros in Urbe præcipuos voluit judicium agitari. De Prætextati quidem Familia, ſatis nota, ſæpe ſuperius contigit fieri mentionem: Baſilios etiam non ſemel ad Conſulatum provectos, Faſti indicant Conſulares. Eſt prætera mentio de Familia Baſiliana in Epiſtola Athalarici Regis ad Senatum. Sed quid accidit? Dum formidoloſum hujuſcemodi Judicium pararetur (neſcio quomodo), iidem magiæ Rei fuga lapſi ſunt, quod cum Theodoricus accepiſſet, diligenter inquiri mandavit, ita ſcribens ad Arigernum Comitem.

5. *Quamvis oporteat, commiſſam tibi diſciplinam Romanæ Civitatis in omnibus cuſtodiri; tamen in eis maxime ſtudioſior eſſe debes, quæ noſtra tibi auctoritate delegata cognoſcis; ut circa te augeat gratiam cuſtodita juſtitia, & augmenta ſumas noſtri judicii, qui nobis hactenus de integritate placuiſti. Præfectus igitur Urbis ſua nobis relatione declaravit, Baſilium, atque Prætextatum magicis artibus involutos impeti accuſatione multorum, quos elapſos intimat mentis alienatione cuſtodum: Eos te præcipimus ubicumque repertos ad judicium quinquevirale ducere, quod in præſenti negotio noſtra delegavit auctoritas, ubi te reſidere cenſemus, ut violenta omnium defenſione ſubmota, hanc cauſam diſcuti facias legibus, & finiri, & ſi rei criminis impetuntur, fuerint approbati, ſententiam ſubeant, quam juris definita ſanxerunt. Si vero innocentia eorum deteſtabili pulſatur invidia, opprimi eos nulla ratione patiaris: quia in omnibus cauſis conſideratione divina illud fieri volumus, quod opinionem noſtræ pietatis accumulet.* Hactenus ad Arigernum.

Apud Caſſiod. lib. 4. ep. 23.

De magis fuga lapſis inquirendis.

6. Quanam autem pœna iſtiuſmodi delinquentes afficiendi eſſent, his verbis Theodoricus declarat: *Malarum artium conſcii, ideſt malefici, nudati bonis omnibus, quæ habere poſſunt, honeſti perpetuo damnentur exilio; humiliores capite puniendi ſunt.* Num autem iidem reperti fuerint, non conſtat, nec apud alios de Prætextato quidquam ſcribitur; Baſilii vero fugientis quædam in ſcriptis Gregorii Papæ remanſere impreſſa veſtigia, quibus nos eum conſequi valeamus. Mentio namque eſt apud ſanctum Gregorium Papam de Baſilio Mago, qui, habitu in monachum transformato,

Baſilius Magus egreſſus Urbe, Æquitii monaſterium ingreditur.

S. Greg. Dial. lib. 1. c. 14.

tato, ne fugiens noſceretur, ab Urbe clam aufugit. Non alium quidem hunc ab illo fuiſſe, nomen, crimen, fuga, tempus ſignificant. Narrat itaque: *Eo tempore, quo malefici ſunt in hac Urbe deprehenſi, Baſilius, qui in Magicis operibus primus fuit in Monachico habitu Valeriam fugiens petiit; qui ad virum reverendiſſimum Caſtrorum Amiternæ Civitatis Epiſcopum pergens, petiit ab eo, ut eum Æquitio Abbati committeret, ac ſanandum Monaſterio illius commendaret. Tunc ad monaſterium venit Epiſcopus (interfuiſſe reperitur Epiſcopus Amiterninus, Talentinus nomine, Synodis nuper ſub Symmacho Romæ habitis) ſecumque Baſilium Monachum deduxit, & Æquitium Dei famulum rogavit, ut eumdem Monachum in congregationem ſuſciperet. Quem ſtatim vir Sanctus intuens, ait: Hunc, quem mihi commendas, Pater, ego non video eum Monachum eſſe, ſed Diabolum. Cui ille reſpondit: Occaſionem quæris, ne debeas præſtare, quod peto. Ad quem hæc Dei famulus dixit: Ego quidem, hoc eum eſſe denuncio, quod video, ne tamen nolle obedire exiſtimes, faciam, quod jubes. Suſceptus itaque in Monaſterio eſt. Poſt*

Baſilius per Magiam ſollicitat monialem.

nonnullos vero dies, idem Dei famulus pro exortandis ad deſideria ſuperna Fidelibus, paulo longius a cella digreſſus eſt; quo diſcedente, contigit, ut in Monaſterio Virginum, in quo ejuſdem Patris cura invigilabat, una earum, quæ juxta carnis hujus putredinem ſpecioſa videbatur, febricitare inciperet, & vehementer anxiari, magniſque non vocibus, ſed ſtridoribus clamare: modo moritura ſum, niſi Baſilius monachus veniat, & ipſe mihi per ſuæ curationis ſtudium ſalutem reddat.

Magus expellitur.

Cumque hæc ad Æquitium Abbatem relata eſſent, vir Sanctus dedignando, ſubriſit, atque ait: *Numquid non dixi, quod Diabolus iſte eſt, non monachus? ite, & eum de cella expellite. De Ancilla autem Dei, quæ anxietate febrium urgetur, nolite eſſe ſolliciti, quia ex hac hora neque febribus laboratura eſt, neque Baſilium quæſitura.* Quare cum inde Baſilius ejectus eſſet, Monialis Virgo continuo convaluit; ut pluribus eo loco narrat S. Grogorius, ac non multo poſt eumdem Baſilium tanto crimine convictum, igne media in urbe crematum fuiſſe addit.

Æquitius Evangelium prædicat.

7. Ex his hactenus ex S. Gregorio inter Æquitium Abbatem, & Baſilium magum tranſacta narravimus: de eodem Æquitio alia ab eodem ſancto Pontifice poſteritati tradita adnota-

notamus. Inter cetera, cum Æquitius munus Evangelicæ Prædicationis ſuſcepiſſet: *Felix quidam nomine, Martiæ Provinciæ nobilis, pater hujus Caſtorii, qui nunc nobiſcum in Romana Urbe demoratur, cum eumdem venerabilem virum Æquitium ſacrum Ordinem non habere conſpiceret, & per ſingula loca diſcurrere, atque ſtudioſe prædicare, eum quodam die familiaritatis auſu adiit, dicens: Quid Sacrum Ordinem non habes, atque a Romano Pontifice, ſub quo degis, prædicationis licentiam non accepiſti, prædicare quomodo præſumis?* Hic obſerva, Lector, veterem morem in Eccleſia ſemper uſu retentum, neque Laico cuipiam annunciandi verbi Dei datam eſſe aliquando facultatem, neque etiam ſacris Ordinibus Deo conſecratis id fuiſſe conceſſum, abſque Epiſcopi auctoritate. Accuſatus itaque apud Apoſtolicam Sedem Æquitius, eo quod cum laicus eſſet abſque licentia Evangelium prædicaret, Romanus Pontifex Julianum tunc Defenſorem miſit, eique præcepit, ut cum magno honore eum deduceret, ne quidquam Dei famulus ex conventione eadem injuriæ ſentiret. Unde Julianus ad Æquitii Monaſterium pergens, ibique, abſente illo, antiquarios ſcribentes interrogavit: Ubi Abbas eſſet. Qui dixerunt: In Valle hac, quæ Monaſterio ſubjacet, fœnum ſecat. Julianus vero puerum quemdam ad eum miſit, ut ipſum ad ſe perduceret. At ille pratum ingreſſus, multos fœnum ſecantes videns, requiſivit, quiſnam eſſet Æquitius. Moxque ut audivit, quis eſſet, eum adhuc longe poſitum aſpexit, *& immenſo tremore correptus, cæpit timore laſſeſcere, ſeque ipſum nutanti greſſu vix portare poſſe. Qui tremens ad Dei hominem pervenit, atque ulnis humiliter ſubmiſſis, ejus genua deoſculans ſtrinxit, ſuumque Dominum ei occurriſſe nunciavit. Cui reſalutato, Dei famulus præcepit, dicens: Leva foenum viride, porta pabulum jumentis, in quibus veniſtis: ecce ego, quia parum ſupereſt, opere expleto, te ſubſequor.*

Jesu Chr. an. 504. Greg. Dial. lib. II. c. 4.

Æquitius Romam vocatur.

8. *Is autem qui miſſus fuerat Julianus Defenſor mirabatur valde quidnam eſſet, quod redire moraretur puer. Cumque revertentem puerum conſpicit, atque in collo fœnum ex prato deferentem, vehementer iratus cæpit clamare dicens: Quid eſt hoc? ego te miſi hominem deducere, non fœnum portare. Cui puer reſpondit: Quem quæris, ecce ſubſequitur. Tunc ecce vir Dei, clavatis calciatus caligis, falcem foenariam in collo deferens, veniebat; quem adhuc longe poſitum* puer

Julianus timet aſpectum Æquitii.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 504. *puer ſuo domino, quia iſte eſſet, quem quæreret, indicavit. Idem vero Julianus repetente, ut vidit Dei famulum, ex ipſo habitu deſpexit, eumque qualiter deberet alloqui proterva mente præparabat. Mox vero ut Servus Dei cominus affuit, ejuſdem Juliani animam intolerabilis pavor invaſit, itaut tremeret, atque inſinuandum hoc ipſum, pro quo venerat, vix ſufficere lingua potuiſſet: qui humiliato mox ſpiritu, ad ejus genua cucurrit, orationem pro ſe fieri petiit, & quia Pater ejus Apoſtolicus Pontifex eum videre vellet indicavit. Vir autem venerandus Æquitius cæpit immenſas gratias Omnipotenti Deo agere, aſſerens, quod ſe per Summum Pontificem gratia ſuperna viſitaſſet. Illico vocavit Fratres, præcepit hora eadem Jumenta præparari, atque executorem ſuum cæpit vehementer urgere, ut cito abire debuiſſent. Cui Julianus ait: Hoc fieri nullatenus poteſt, quia laſſatus ex itinere hodie non valeo abire. Tunc ille reſpondit: conſtitutas me, fili, quia ſi hodierna die non egredimur, jam craſtina non exibimus. Dei itaque Famulus executoris ſui laſſitudine coactus, in Monaſterio ſuo eadem nocte commoratus eſt. Sequenti vero die ſub ipſo lucis crepuſculo, vehementer equo in curſu fatigato, ad Julianum puer cum epiſtola pervenit, in qua præceptum eſt ei, ne Servum Dei contingere, vel movere de Monaſterio auderet. Quem cum ille requireret, cur ſententia eſſet mutatus, cognovit quia nocte eadem, in qua ipſe executor illuc miſſus eſt, per viſum Pontifex fuerat vehementer exterritus, cur ad exhibendum Dei hominem mittere præſumpſiſſet. Qui protinus ſurrexit, ſeque venerandi viri commendans orationibus, ait: Rogat Pater, ne fatigari debeatis. Cumque hoc Dei famulus audiſſet, contriſtatus ait: Numquid non die externo dixi tibi, quia ſi ſtatim non pergeremus, jam pergere minime liceret! Tunc pro charitatis exhibitione aliquantulum Executorem ſuum in Cella detinuit, eique laboris ſui commodum coacto renitentique dedit.* Hactenus Gregorius de rebus Æquitii, & Romano Pontifice.

Romanus Pontifex divinitus monetur de Æquitio.

Theodoricus Rex Sirmium occupat.

9. Ad Theodoricum redeat oratio, qui rei militaris, ac animi magnitudine præſtans, Sirmium hoc anno occupavit: *Gethego Conſule virtute domini noſtri Theodorici Regis victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia.* Quæ fuſius a Jornande narrantur. Hanc Theodorici Victoriam ſummis laudibus celebravit Ennodius: *Sirmienſium civitas olim limen Italiæ*

Digitized by Google

liæ fuit, in qua ſeniores Domini excubabant, ne coacervata illinc finitimarum vulnera gentium in Romanum corpus excurrerent . . . . . Credebas in tua injuria perire, quia diu licebat Italiæ poſſeſſionem te Dominante retineri. Nec ſufficiebat conſolatio, quod eam tu non perdideras: cum immenſus eſſet dolor, cur illam retentator non inter dominationis tuæ exordia reddidiſſet, minui æſtimas, quod non creſcit Imperium. Poſt hæc ſequitur narrare, quomodo oppidum occupaverit, quæ ibidem legere quiſque poteſt.

Romanorum excurſiones in Perſidem. *Marcellin. in Chron.*

10. De bello autem, quod Romanos inter, & Perſas vigebat, hæc narrat Marcellinus: *Interea Celer Magiſter Officiorum per Callinicum Meſopotamiæ civitatem, armatum ducens militem ad devaſtanda Perſarum rura diſcurrit. Plurimos agreſtes ruſticis intentos laboribus more pecudum trucidat, Paſtores diverſorum pecudum cum numeroſis jumentis abducit, caſtella latere lutoque conſtructa invadit, uſque ad Pontem ferreum, ſic dictum, cuncta vaſtando progreditur: omnique præda potitus, ad communia caſtra ditato milite remeat. Aliquanta dehinc ad percutiendum fœdus cum Perſis deliberat, miſſo ad ſe pro pepigendo fœdere Armonico a ſecretis.* Eadem habent Theophanes, & Procopius, qui addunt, Amidam auro magis, quam armis e Perſarum manibus ereptam fuiſſe; unde factum, ut de reintegranda pace ageretur, quæ tandem hoc, vel ſequenti anno firmata eſt.

Procop. Lib. 1. cap. 9. de Bello Perſico. Theophan. in Chronog. pag. 126.

JESU CHRISTI an. 505. Symmachi Papæ 8. Anastasii Imp. 15. Theodorici Regis 13.

Theodorus Conſul ad Deum convertitur.

1. Sequitur annus Domini quintus ſupra quingenteſimum, Theodori, & Sabiniani Conſulatu notatus, quorum prior, Theodorus ſcilicet, Conſul Occidentalis, idem ipſe creditur, quem Theodoricus Italiæ Rex, unacum Joanne Pontifice, & aliis ad Juſtinum Imperatorem Legatum miſit; ſed celebrior ejus memoria evaſit, cum Sæculo renuntians, ac ab uxore conſenſu mutuo diviſus, humilem, ac caſtam vitam amplexus eſt. Quæ ut fama audivit Fulgentius Ruſpenſis tunc Epiſcopus, & pro Fide catholica in Sardinia exul, gratulatoriam ad eum miſit epiſtolam, eaque hortaus eſt, ut in ſancto propoſito perſeveraret. Inter multa: *Itaque multum gaudeo, quod jam ſæcularis dilectionis nexibus non teneris, & mun-*

Fulgent. Epiſt. ad Theodorum Senatorem. Epiſt. 6. pag. 86.

JESU CRH. AN. 505. *Mundum contemnendo calcas, a quo, cum diligeres, calcabaris. Nunc vero Conſulatu proveheris, nunc felici triumpho certiſſime ſublimaris, non cui Populus Romanus applaudat, ſed cui Angelicus cætus adgaudeat: Beatus, quia non caro, & ſanguis revelavit tibi, ſed ille Pater, qui eſt in Cœlis.* Poſt plurima: *Quis*, inquit, *enim non parvam deſpiciat cellam, quando Senator domum deſpicit marmoratam? Quis non terrena contemnens, ad acquirenda cœleſtia ſibi conſulat, quando ad Cœlum Romanus Conſul terrenorum contemptu feſtinat?* Deinde eum admonet, ut divinæ Gratiæ tribueret, quidquid boni agit homo, quia Dei donum eſt velle, & perficere pro bona voluntate: *Creſcat igitur in te humilitas animi, quæ vera eſt, & integra ſublimitas Chriſtiani, & tanto magis in te cognoſce, Dei gratiam creſcere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare. Quam ut ſemper habeas, in qua ut ſemper proficias, cum timore, & tremore, tuam ſalutem operare. Nec lectio deſit operibus bonis, nec bona opera deſint ſtudio lectionis. Bona coram Deo, & hominibus provide. Scripturis ſanctis ſtudium tui cordis impende; & ibi qui fueris, qui ſis, quique debeas eſſe cognoſce. Ad has ſi humilis, & mitis acceſſeris, ibi profecto invenies, & prævenientem gratiam, qua poteſt eliſus ſurgere, & comitantem, qua viam recti queat itineris currere, & ſubſequentem, qua valeat ad regni cœleſtis beatitudinem pervenire. Sanctam, multumque in Chriſto conjugem tuam, obſecro, ſalutare digneris. Inſeparabilis Trinitas protectione vos virtutis ſuæ cuſtodiat, quod opto, Domine illuſtris Fili.* Hactenus de his Fulgentius, aliquot abhinc annis, cum Theodorus Senator, & Conſul ſæculo valedicens, monachum induit.

Matth.16.17.

Ad Filipp. 2. 13. Rom. 9. 16.

S. Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi obitus.

2. Sub eodem Theodoro Conſule, Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi mortem refert Victor Tunonenſis: *Theodoro VC. Coſſ. Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus Confeſſor moritur*, & quidem in Galliis pro fide catholica exul, cujus cauſa innumeros tulerat labores, & repetita exilia, de quo idem Victor: *Poſt dira eremi exilia, plurimis afflictionibus, pœniſque clarum apud omnes fuiſſe*. Quanta ab Antonio Tamalumenſi Arianorum Epiſcopo in exilio apud eum conſtitutus pertulerit, Vitenſis *lib.* 5. *num.* 11. narrat, ejuſque animi conſtantiam commendat Gelaſius Papa epiſtola 13. ad Epiſcopos Dardaniæ, quibus Eugenii, Collegarumque illius exemplum ante ocu-

te oculos ponit: *Ecce*, inquit, *nuper Honorico Regi Vandalicæ nationis, & egregius ſacerdos Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, multique cum eodem Catholici Sacerdotes conſtanter reſtiterunt ſævienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieque Perſecutoribus reſiſtere non omittunt*. Hæc Gelaſius Papa anno 495. De Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi obitu. Gregorius etiam Turonenſis: *Hic cum magnis in ſæculo polleret virtutibus, & jam victor de tormentis martyrialibus exiliret, tempus vocationis ſuæ, quo accerſiretur ad Gloriam, Domino revelante, cognovit, illud præcipue quod Populis occultabatur, manifeſtum noſcens ſe Martyri Amarantho ſocium eſſe futurum, (colitur iſte Martyr in ea ubi ſepultus eſt civitate) ad ejus ſepulcrum dirigitur, proſtratuſque ſolo, diutiſſime orationem fudit ad Dominum. Deinde expanſis ſuper pavimentum brachiis ſpiritum Cælo direxit. Qui a Chriſtianis collectus, in ipſa, quam diximus, Crypta ſepulturæ mandatus eſt*. Hæc Gregorius, qui de miraculis illic editis nonnulla addit. De anno autem, quo obiit, deque ejus martyrio plura apud Noriſium, Ruinartium, Bailletium videri poſſunt.

Jesu Chr. an. 505. tam. 4. pag. 1208.

Greg. Tur. lib. 1. miraculor. cap. 58.

3. Gennadius vero in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum viventem adhuc Confeſſoris titulo exornavit. *Eugenius Carthaginenſis Africæ Epiſcopus, & Confeſſor publicus, petitus a Chunerico Vandalorum Rege, Catholicæ Fidei expoſitionem, & maxime verbi Omouſii rationem, conſenſu omnium Africanorum, & Maurorum, Sardiniæ, & Corſicæ Epiſcorum, & Confeſſorum, qui in Catholica permanſerunt fide, compoſuit librum Fidei, non ſolum ſanctarum Scripturarum, ſed & Patrum teſtimoniis communitum, commonitoria fidei, & unius ſacri, & conſervandi Baptiſmatis ovibus ſuis, quaſi Paſtor ſollicitus dereliquit. Altercationes quoque, quas contra Arianos Præſules per internuntios habuit, conſcripſit; & legendas per Majorem domus Chunerico direxit. Similiter & preces pro quiete Chriſtianorum eidem, velut apologias, obtulit. Vivere adhuc ad confirmationem Eccleſiæ dicitur*. Ex his autem Eugenii Opuſculis, a Gennadio recenſitis, Fidei Confeſſionis liber Victoris hiſtoriæ inſertus tantum ſupereſt, ex epiſtolis vero una quoque, quam in exilium abripiendus, ad ſuos cives Carthaginenſes conſcripſit, ut eos in Fide catholica confirmaret.

S. Eugenii opera.

Gennad. de Script. Eccl. cap. 97.

Victor Vitenſis Lib. 3. Greg. Turon. lib. 2. Hiſtor. Francor.

4. Sub hujus anni Conſulibus extat Anaſtaſii Imp. lex de

Anaſtaſii Lex de Defenſoribus Eccleſiæ.

Jesu Chr. An. 505. Cod. de Epiſc. audientia lib. 1. tit. 4. l. 19.

de Eccleſiæ Defenſoribus, qua Catholicos tantum ad id muneris eligendos eſſe jubet: *Jubemus eos tantummodo ad Defenſorum curam peragendam ordinari, qui ſacroſanctis Orthodoxæ Religionis imbuti myſteriis, hæc in primis ſub geſtorum teſtificatione, præſente quoque religioſiſſimo Fidei Orthodoxæ Antiſtite, depoſitiones cum Sacramenti religione celebrandas patefecerint. Ita enim eos præcipimus ordinari, ut Reverendiſſimorum Epiſcoporum, nec non Clericorum, & Honoratorum, ac Poſſeſſorum, & Curialium decretis conſtituantur. Datum XIII. Kal. Maii, Sabiniano, Theodoro Coſſ.* Hæc quidem Anaſtaſius ſpeciem præferens pietatis, a pietate tamen alienus, qui lege ſequenti idem ſtatuit de iis, qui in aula, vel exercitu militabant: *Nemo militet, qui non apud Acta teſtificatus cum tribus ſit, propoſitis ſacroſanctis Evangeliis, ſe eſſe Chriſtianum Orthodoxum. Fiantque acta ad eum Magiſtratum, ſub quo militaturus eſt, & duo tantum æntei pro ea re præbeantur. Si vero id neglectum ſit, dabit libras quadraginta is magiſtratus, ejuſque officium viginti, qui vero militavit, decem, atque a militia ejicietur. Teſtes qui pejeraverint, in corpus punientur: aliæ vero mulctæ Comitis periculo rebus privatis inferentur.* Hactenus Conſtitutio. Sed quales ejuſmodi leges ſenſum acceperint ex legislatoris mente, ejuſdem Anaſtaſii Imperatoris res geſtæ hujus temporis declararunt, quem ob Acacii nomen, & Hæreticorum communionem, quam fovebat, a catholica Fide alienum fuiſſe conſtat, ac proinde, ut ex epiſtola Symmachi diximus, excommunicatum, & inter Catholcæ Fidei perſecutores recenſendum.

Leg. 20. eod. tit.

Romanorum clades a Gothis accepta.

Jornand. de reb. Gothicis cap 58. apud Murat. tom. 1. rerum Italicarum.

5. Vix e Perſici belli periculis evaſerat Orientale Imperium, ut anno elapſo diximus, cum hoc anno per Mundonem, genere Unnum, ut habet Jornandes, ſive Gothum, ut ait Marcellinus, nova clade afficitur. Nam Sabinianus, contra Mundonem miſſus, cum decem millibus militum, commiſſo ad Horreum prælio, multis ſuorum militibus in hoc conflictu deſideratis, & in Margo flumine demerſis, accepta clade in caſtellum, quod *Nato* dicitur, cum paucis ſe recepit. Mundoni porro opem tuliſſe Theodorici milites ſub Pitzia Duce, eiſque potius hanc tribuendam victoriam, teſtantur Jornandes, & Ennodius; unde inter Imperatorem, & Italiæ Regem Theodoricum exortæ ſunt diſſenſiones. Sed Theodoricus

Jornand. ut ſupra. Ennod: in Panig. pag. 1604.

Digitized by Google

ricus, Sirmio e Bulgarorum manibus erepta, Gubernatores, ſive Duces in Sirmienſi Pannonia deſtinavit, quorum primus fuit Comes Coloſſeus, ad quem quamplurimæ extant Theodorici Epiſtolæ apud Caſſidorum, in quarum una æque Barbaros, ac Romanos, ibidem habitantes, admonet, ut a privatis Bellis, ſive duellis abſtineant. Audiant Barbarum Regem, & Arianum talia prædicantem e Catholicis plurimi, qui talia privata certamina, non ſolum licita, ſed etiam velut glorioſa tuentur, atque ad honoris tutelam neceſſaria. Audiant hæc, & morum Magiſtri, qui Caſuiſtæ dicuntur, ex iis etiam, qui inter eos prima ſubſellia occupant, quos hæc privata certamina defendere non puduit, ut ex quamplurimis eorum damnatis per Alexandrum VII., & Innocentium XI. ſententiis conſtat, & paucis ab hinc annis, pullulante iterum hac zizania Benedictus XIV. Pontifex doctrina, & pietate maximus, ſpeciali edito Brevi, Apoſtolica manu e dominico Agro excerpſit, exterminavit, ac in æternum damnavit; audiant itaque Arianum Regem, audiant, & confundantur, ne in poſterum talia tueri præſumant.

Caſſiod. lib. 3. epiſt. 23.

JESU CHRISTI an. 506. Symmachi Papæ 9.
Anastasii Imp. 16. Theodorici Regis 14.

1. Annus Chriſti quingenteſimus ſextus inſignes Conſules habuit Areobindum, & Meſſalam. Hunc Occidentalem fuiſſe, ex Ennodio ſcimus, eumque Avieni fratrem, & filium Fauſti, quem rogat, ut pro ſe preces offerat apud ſanctos Apoſtolos. Laudatur quoque Meſſala a Sidonio, ad Felicem ſcribente, qui & profundi ingenii hominem appellat. Extantque epigrammata duo ab Ennodio Meſſalæ dicata, & ejuſdem Meſſale ad Ennodium unum.

De Meſſala Conſule.

Ennod. lib. 9. epiſt. 12., & 16.

Sidon. Apoll. carm. 9. pag. 1236. apud Sirm. tom. 1. Epigram. 32. 144. 145.

2. Sub hoc Conſule Joannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus, qui Laurentio hactenus adhæſerat, Symmacho libellum obtulit, quo ſchiſma ejurabat; cumque Synodus Romana III. clementer agendum cum Schiſmaticis decreviſſet, Eccleſiæ eſt reconciliatus. Libellus vero oblatus hæc continebat. *Cœlius Joannes Diaconus Eccleſiæ Romanæ. Quia me ad tempus ab Eccleſia ſeparavi, agnoſcens errorem meum, ſpero miſericordiam Beatitudinis veſtræ, & reintegrari me unitati, conſentiens, quæ veneranda Synodus judicavit, atque conſtituit.*

Joannes Diaconus cum Symmacho conciliatur.

apud Baluz. to. 2. p. 1464. tom. 4. Concil. pag. 1431.

tuit, anathematizans Petrum Altinatem, & Laurentium Romanæ Eccleſiæ pervaſorem, & Schiſmaticum. Quod ſi aliquando ſimilia obtentavero, in ea cauſa, de qua veniam ab Apoſtolatu veſtro merui, tunc Eccleſiaſticæ ſubjaceam ultioni. Quod manu mea ſubſcriptum obtuli ſub die XIV. Kal. Octobrium, Meſſala viro Clariſſimo Conſule. Hactenus libellus, ex quo Schiſmatis ſcintillas ad hæc uſque tempora perduraſſe ſcimus, & Laurentium Symmachi æmulatorem adhuc inter vivos fuiſſe; quem tamen in exilium tandem deportatum, Theodorus narrat: *Laurentius tamen haud quaquam quievit, ſed Epiſcopatum Urbis Romæ adhuc ambire non deſtitit. Quamobrem eum deponi, & in exilium mitti curavit Symmachus, atque hoc modo ſeditio ſopita eſt.*

Theodor. Lect. lib. 2.

De Synodo Agathenſi.

3. Hoc etiam anno, permittente Alarico Viſigothorum Rege, Agathenſe Concilium in Narbonenſi Provincia celebratum eſt, cui adfuerunt Epiſcopi *vigintiquatuor*, Præſide Cæſario Arelatenſi, qui primus etiam ſubſcripſit. Synodi tempus, & locum, inſcriptio his verbis deſignat: *Synodus habita in Civitate Agathenſi ſub die tertia Idus Septembris, Meſſala VC. Conſule (ideſt anno Chriſti 506.) Alarici Gothorum in Gallia Regis 22., Symmachi Papæ 8., cui interfuerunt Epiſcopi triginta quinque*. In unum congregati Patres, primum pro Alarico Rege preces fuderunt: *Ibique flexis in terram genibus pro Regno ejus, pro longævitate, pro Populo Dominum deprecantur, ut qui nobis Congregationis permiſerat poteſtatem, Regnum ejus Dominus felicitate extenderet, juſtitia gubernaret, virtute protegeret*. Deinde in Baſilica S. Andreæ confidentes, de Clericorum, & Pontificum ordinationibus, vel Eccleſiarum utilitatibus tractarunt, pluribus editis Canonibus, ad numerum uſque LXXI., ut in vulgatis Editionibus legitur. At notarunt primo Surius, deinde Sirmondus in melioris notæ Codicibus, iiſque antiquioribus, *quadraginta octo* tantum legi, itaut dubium non ſit, reliquos, qui hunc numerum excedunt, aliunde poſtea, & potiſſimum ex Epaonenſi Synodo depromptos, huic Synodo aliena manu inſertos fuiſſe.

Epiſcoporum oratio pro Rege Ariano.

Canones Concilii Agathenſis.

4. Summa autem Canonum hæc eſt. Primo: Bigamos, aut internuptarum maritos a Sacerdotio, vel Diaconatu, in perpetuum removet, ac miſerationis intuitu, ut Presbyteri, vel Diaconi nomen retineant, permittit. 2. Contumaces Clerici

rici ab Epiſcopis corrigantur: Si Eccleſiam frequentare neglexerint, ad peregrinam communionem redigantur: emendati gradum ſuum recipiant. 3. Si quis innocens, aut ob levem culpam a proprio Epiſcopo fuerit excommunicatus, & ad gratiam feſtinantem recipere eum Epiſcopus nolit, a viciniis Epiſcopis moneatur, ſi parere recuſaverit, uſque ad tempus Synodi, a cæteris Epiſcopis communio eidem largiatur, ne excommunicati forte obitu excommunicantis peccatum augeatur. 4. Anathemate feriuntur Clerici, vel ſeculares, qui oblationes, vel donationes Parentum Eccleſiis factas retinuerint. 5. Clericus, qui furtum fecerit, ad peregrinam communionem relegatur. 6. Quæcumque ab extraneis donantur Pontificibus, inter Eccleſiæ bona erunt: *Quia ille, qui donat pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur*. Excipit ea, quæ per Fideicommiſſum Epiſcopo, vel Eccleſiæ in gratiam alterius relicta fuerint; ea enim Eccleſia retinere non poteſt. 7. Caſellas, vel mancipiola Eccleſiæ, vel vaſa miniſterii, Epiſcopi non diſtrahant, niſi urgente neceſſitate, quæ apud duos, vel tres Comprovinciales probata fuerit; ſervi tamen manumiſſi ab Epiſcopo cum munuſculis datis, modo viginti ſolidorum in terrula non excedant, libertate fruantur. 8. Clericus, qui relicto officio ſuo, propter diſtrictionem, ideſt, ut canonicas pœnas evadat, ad ſæcularem Judicem confugerit, & Judex, qui defenſionis ſolatium impenderit, tam hic quam ille a communione Eccleſiæ arceantur. 9. Presbyteri, vel Diaconi, qui ad matrimonii opus redierint, gradus ſuos amittant, juxta Innocentii I., & Sirici Pontificum Decreta. 10. vetat, Clericos cum extraneis mulieribus cohabitare, aut ad eas accedere. 11. Ancillas, vel Libertas a cella, vel a ſecreto miniſterio, & ab ædibus Clericorum penitus removet. 12. Omnes Eccleſiæ Filii in Quadrageſima omnibus diebus, etiam Sabbato jejunent, excepto tantum die Dominico. 13. Symbolum competentibus una die, ideſt octo dies ante Paſcha tradi mandat. 14. Altaria non ſolum Chryſmatis unctione, ſed etiam Epiſcopi benedictione conſecrari præcepit.

Clericorum continentia

Jejunium Quadrageſimæ.

Publicæ pœnitentiæ ritus.

5. 15. Pœnitentes, dum pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a Sacerdote conſequantur; ſi comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur. Juvenibus etiam pœnitentia non facile

JESU CHR. AN. 506. cile committenda eſt, propter ætatis fragilitatem, Viaticum tamen in morte poſitis, nemini denegetur. 16. Diaconi ante annum vigeſimum quintum non ordinentur; ſi ſint conjugati non ordinentur, niſi cum uxoris conſenſu, & mutua profeſſione continentiæ. 17. Presbyteros, vel Epiſcopos ante trigeſimum ætatis annum ordinari prohibet: Sæcularibus in Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte communionem imperat Canon 18. Sequenti Sanctimoniales ante ætatis annum quadrageſimum non velentur. Clerici comas nutrientes ab Archidiacono etiam inviti detondeantur; Veſtimenta, vel calceamenta habeant, quæ Religionem deceant: Si quis extra Parochiam Oratorium in agro habere voluerit, ut Miſſas ibidem celebrare faciat, permittit: in Paſchate tamen, & Natale, Epiphania, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, Natale S. Joannis Baptiſtæ, aliiſque diebus ſolemnioribus, in civitatibus, aut Parochiis tantum Sacerdotes celebrent; Presbyteri qui exceptis diebus Miſſas celebraverint, communione priventur. 22. Presbyteri, vel Clerici Diœceſani, ſalvo jure Eccleſiæ res teneant; vendere autem, aut donare Eccleſiæ bona non præſumant. Si ſecus fecerint, & indemnem Eccleſiam reddant, & communione priventur; hinc patet, jam Clericos Beneficia Eccleſiaſtica poſſediſſe, quæ nil aliud ſunt, quam uſufructus bonorum Eccleſiæ. 23. Epiſcopis prohibet ne juniores clericos ſenioribus præponant. 24. Ut de infantibus expoſitis, Vaſenſis concilii decretum obſervetur, jubet. 25. Eos vero, qui uxores dimittunt, antequam diſſidii cauſa per Epiſcopos Comprovinciales cognita fuerit anathemate ferit. 26. Reſtitutionis onere adſtringit clericos, qui ſuppreſſerint, negaverint, aut adverſariis tradiderint documenta, quibus eccleſiæ poſſeſſio probatur. 27. Monaſterium, niſi Epiſcopo permittente nullus fundare præſumat, vagantes monachi non ordinentur, niſi Abbate conſentiente. 28. Puellarum monaſteria longius a monachorum monaſteriis collocentur. 29. Libertos ſuos eccleſia tueatur, invadentes, aut occupantes eccleſia pellantur. 30. Officium divinum diebus ſingulis decantetur ubique, & plebs, collecta oratione ad veſperam, ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur. 31. Quicumque odio, aut lite inter ſe diſſenſerint, primo a civitatis Sacerdotibus arguantur; qui ſi inimicitias deponere noluerint, de eccleſiæ cœtu, tamquam excommunicati ejiciantur. 32. Clericus neminem apud

Oratoria privata.

Digitized by Google

apud ſæcularem judicem, Epiſcopo non permittente, vocare præſumet; ſi quis vero ſæcularium per calumniam eccleſiam, vel Clericum fatigare tentaverit, & victus fuerit, excommunicetur, uſque dum pœnitentiam egerit. 33. Epiſcopus, qui filios, aut nepotes non habet, ſi alium quam eccleſiam hæredem reliquerit, aut aliquid de eccleſiæ bonis diſtraxerit, irritum habeatur. Si filios habuerit, ab hœredibus ejus eccleſiæ indemnitati conſulatur. 34. Judæi, qui fidem amplecti voluerint, octo menſibus inter catechumenos probentur, ſi in mortis periculum venerint, baptizentur. 35. Epiſcopos ad ſynodum a Metropolitano invitatos adeſſe jubet, niſi gravi corporis infirmitate, aut regio præceptio prohibeantur; alioquin uſque ad proximam ſynodum charitate Fratrum, & Eccleſiiæ communione priventur. 36. Clerici, qui fideliter vigilanterque eccleſiæ deſerviunt, a Sacerdotibus debita ſtipendia accipiant. 37. Homicidæ, & falſi teſtes a communione removentur. 38. Clerici abſque commendatitiis Epiſcopi ſui litteris non vagentur: monachi eadem obſervent, ſi indiſciplinati fuerint, verberibus etiam coerceantur; ad ſolitarias cellas tranſire non liceat, niſi ex conſenſu Abbatis, aut propter infirmitatis neceſſitatem. Abbatibus etiam diverſas cellulas, aut plura monaſteria habere prohibet. Canon 39. hæc habet:

De Clericorum foro quoad lites.

Concilia Provincialia.

6. *Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec iis nectibus admiſceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obſcœni motus corporum choreis, & ſaltibus efferuntur: ne auditus vel obtutus ſacris miſteriis deputati turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur.* 40. Clerici, laicique omnes Judæorum convivia vitent. 41. Clerici ab ebrietate, vitiorum nutrice, ſe abſtineant, ſi quem ebrium fuiſſe conſtiterit, triginta diebus a communione ſeparetur, aut corporali ſubdatur ſupplicio. 42. Quicumqne ſub nomine religionis auguriis ſtudent, per eas etiam, quas Sanctorum ſortes vocant, aut Scripturarum inſpectioni, ſive clericus, ſive laicus, ab eccleſia extraneus habeatur. 43. Antiquos canones renovat, circa pænitentium irregularitatem, ſi qui per ignorantiam ſunt ordinati, ab officio ſuſpenduntur. 44. Benedictionem ſuper plebem in eccleſia fundere, aut pœnitentem in eccleſia benedicere Presbyte-

Clerici nuptiis, & ſpectaculis intereſſe prohibentur.

JESU CHR. AN. 506. bytero vetatur. 45. Terrulas ſive vineolas exiguas, eccleſiæ minus utiles, Epiſcopus alienare poteſt, ſi neceſſitas ſuadeat, ſine Fratrum concilio. 46. Epiſcopo licet ſervos eccleſiæ fugitivos, & eccleſiæ inutiles vendere. 47. *Miſſas die Dominico a ſæcularibus totas tenèri ſpeciali ordinatione præcipimus, itaut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat; qui ſi fecerint, ab Epiſcopo publice confundantur*. Hactenus Agathenſes canones, qui dehinc ſequuntur editi uſque ad 70., cum alterius concilii ſint, ac fere ea contineant, quæ in ſuperioribus ſunt dicta, ab iis recenſendis abſtinemus. Subſcripſerunt huic concilio, ut diximus, Epiſcopi 24. omnium primus Cæſarius in hunc modum: *Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus Arelatenſis juxta id quod univerſis Sanctis Coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, ſtatuta Patrum ſecutus, his definitionibus ſubſcripſi: Sub die III. idib. Septemb., Meſſala VC. Conſule anno XXII.* Regni *Domini noſtri Alarici Regis*, poſt Cæſarium illuſtriores ſunt Cyprianus Burdigalenſis, Clarus Eloſenſis, Tetradius Bituricenſis &c.

Cæſarii epiſtola ad Ruricium Epiſcop. *Tom. 4. Concil. pag. 1399.*

7. Extat Cæſarii epiſtola ad Ruricium Lemovicenſem Epiſcopum, qua hujus concilii mentio fit, eaque cum eo conqueritur, quod Agathenſi ſynodo non adfuerit, etſi vocatus fuiſſet; unde ajebat: *Dum nimium tribularetur animus meus, quare ad ſynodum veſtram præſentiam non meruimus obtinere, Sanctus, & Domnus meus Verus Epiſcopus mihi dignatus eſt dicere, quo per ſuum Diaconum mihi Agate veſtras litteras deſtinaſſet, quas ego neſcio quo caſu, aut qua negligentia me non retineo ſuſcepiſſe. Sed tamen Sancto & Domno meo fratri veſtro certiſſime credo; & malo hoc portitoris negligentiæ imputare. Sed licet ſanctos, & deſiderabiles veſtros apices miſeritis, tamen ſicut ipſi optime noſtis, digniſſimum fuerat, ut perſonam dirigeretis, quæ ad vicem veſtram ſubſcriberet; & quod ſancti fratres veſtri ſtatuerunt, in perſona veſtra firmaretur*; quia tamen ſine culpa ſua Ruricius ab ea ſynodo ſe abſtinuerat, ideo: *Nihil pietati veſtræ, vel potuimus, vel debuimus imputare*, cujus orationis auxilium ſe expertum fuiſſe teſtatur, ac ut anno proximo Toloſæ cum ceteris Epiſcopis conveniret, Ruricium hortatur. In quam rem poſt aliqua: *Indico pietati veſtræ, & quia filius veſter Eudomius, ſi potuerit hoc elaborare, deſiderat, ut ſuperveniente anno*

anno Toloſæ Synodum , Chriſto propitio , habeamus , ibi etiam ſi potuerit Hiſpanos vult Epiſcopos convenire . Et ideo oro te, ut tam ſancto deſiderio ſuo Dominus tribuere dignetur affectum . Ruriclus autem Cæſario reſcripſit , ob corporis infirmitatem ſe ſynodo non adfuiſſe , nec alium ſuo miſiſſe nomine , cum tardius , quam par erat, ejus epiſtolam accepiſſet . *Quia litteras veſtras ad me modo tardiſſime veniſſe ſignifico* . Extant etiam Sedati epiſtolæ ad Ruricium , & hujus ad Sedatum , in qua eamdem excuſationem adducit , cur ſynodo non adfuerit : *Ego enim , ſi valuiſſem , ad ſynodum omni aviditate veniſſem . Sed diſpoſita itineris voluntate , neceſſitas imbecillitatis inhibuit* .

JESU CHR. AN. 506.

Epiſt. Ruricii ad Cæſarium.

tom. 4. pag. 1400.

8. Cæſarius interea apud Alaricum Regem , neſcio quo crimine accuſatus , in exilium ejectus eſt ; unde vitæ auctor : *Sed tranquillitatem hujus Sancti viri poſt paucos dies æmula Diaboli perturbavit adverſitas : & qui non habebat quæ apponeret vitia corporis , crimen objicit traditoris . Etenim poſt aliquod tempus perditus quidam de Notariis beati Viri* , Licinianus *nomine , adſumpſit gerere in virum apoſtolicum quod Diſcipulus Judas non timuit adverſus Salvatorem noſtrum Dei filium perpetrare . Veneno enim ſævæ accuſationis armatus , ſuggeſſit per auricularios* Alarico *Regi , quod Beatiſſimus* Cæſarius , *qui de Galliis habebat originem , totis viribus affectaret territorium & civitatem Arelatenſem Burgundionum ditionibus ſubjugare ; cum utique præſtantiſſimus ille Paſtor flexis genibus pacem gentium , quietem urbium , diebus ac noctibus a Domino generaliter poſtularet* ; eam ob cauſam , in Burdegalenſem civitatem relegatus eſt . At cognita paulo poſt ſancti viri innocentia , ab exilio revocatus , pœna capitis in accuſatorem ejus dicta eſt , niſi apud Alaricum idem Cæſarius veniam , & libertatem obtinuiſſet , ut pluribus ejuſdem narrat vitæ auctor .

Cæſarius in exilium mittitur.

Boll. die 27. Aug. commentt. ad vitam Cæſarii num. 16. actaOB.ſecul. 1. pag. 661.

9. Hoc eodem anno , vigeſimo ſecundo Regni ſui , Alaricus Viſigothorum Rex , ut ſubditorum tranquillitati conſuleret , & indemnitati , novum Romanarum legum Codicem vulgavit , de quo legendus Gothofredus . Hanc legum collectionem Epiſcopis primo , deinde Provinciarum rectoribus , examinandam commiſit , a quibus cum probata fuiſſet , Aniani opera in lucem edi curavit ; in quam rem extat reſcriptum Alarici Regis ad Timotheum VC. datum his verbis : *Utilitates*

Alaricus Rex Romanarum legum Codicem promulgat.

Gothofred. in prolegom. 1. Theod. cap. 5.

Jesu Chr. an. 506. *tates populi noſtri propitia Divinitate tractans, hoc quoque quod in jure habetur iniquum, meliori deliberatione corrigimus: ut omnis legum Romanarum, & antiqui juris obſcuritas, adhibitis Sacerdotibus, ac nobilibus viris, in lucem diligentiæ melioris deducta reſplendeat: & nihil habeatur ambiguum, unde ſe diuturna, aut diverſa jurgantium impugnet objectio. Quibus omnibus enucleatis, atque in unum librum prudentium electione collectis, hæc, quæ excerpta ſunt, vel clariori interpretatione compoſita, venerabilium Epiſcoporum, vel Electorum provincialium noſtrorum roboravit aſſenſus &c.* atque ut in ſopiendis finiendiſque litibus in toto Regno ſuo, eo jure uterentur, præcepit. Anianus autem novo Codici in hæc verba ſubſcripſit: *Anianus vir ſpectabilis ex præceptione Domini noſtri glorioſiſſimi Alarici Regis, hunc Codicem de Theodoſiani legibus, atque ſententiis iuris, vel diverſis libris electum Aduris anno vigeſimo ſecundo eo regnante edidi, atque ſubſcripſi. Recognovimus. Data ſub die quarto nonas Februarii, anno vigeſimo ſecundo Alarici Regis, Toloſæ.*

Anaſtaſius iterum catholicam fidem, & Macedonium perſequitur. *Theoph. pag.* 128.

10. Anaſtaſius interea Imperator, bello Perſico expeditus, catholicæ fidei, & Macedonio CP. Epiſcopo bellum indixit. Cumque Epiſcoporum plurimi, ut Anaſtaſii Imp. gratiam promererentur, Chalcedonenſem ſynodum reſpuerent, Macedonins tamen CP. Epiſcopus catholicam fidem, & Chalcedonenſem ſynodum tueretur, eaque de cauſa tumultus & ſeditiones inter clerum, & populum exorirentur; Anaſtaſius Imp. clam eum Urbe ejici juſſit, ut narrat Theophanes, qui addit Aſcholium quemdam in eum immiſſum fuiſſe, ut gladio occideret, ſed divina ope liberatus, ſede ſua dejectus, in exilium abiit, ut Theophanes, & Theodorus lector pluribus narrant.

Joannes Mela Patriarcha Alex. moritur, cui alter Joannes Niceota ſuccedit. *Renadot. hiſt. Patriarch. Alex. pag. Theoph. pag.* 127. *Liberat. Diac. in brev. cap.* 39.

11. Mortuo Joanne Mela Patriarcha Alexandrino, hoc vel ſuperiori anno, alter Joannes Niceota dictus ſucceſſit, & quidem hæretico hæreticus; hunc *Machiotam* vocat Liberatus, de quo hæc habet: *Joannes Machiota ſucceſſit Joanni Melæ, hic etiam ipſe ſuos Principes ſecutus eſt* (Dioſcorum ſcilicet, & Mongum) *ſuſcipiens quidem unitivum Zenonis edictum; non autem ſuſcepit Chalcedonenſe concilium, aut epiſtolam S. Leonis Papæ, tamquam non communicaret Flaviano Anthiocheno, Eliæ Hieroſolymitano, & Timotheo CP.*, qui Macedonio ſucceſſerat.

12. Eo-

Digitized by Google

12. Eodemque hoc anno juxta Pagi computum, ſeu potius circa hæc tempora, Judæi Talmud, quod Babylonicum vocant, edidere, quod Dei ipſius ore manaſſe ſtulti tradunt, ajentes, quod dum Moyſes per dies XL. Dei colloquio dignatus eſſet, præter ſcriptam Legem, quam poſteris tradiderat, Oralem etiam accepiſſet, quam Joſue, & 72. ſenioribus communicavit, a quibus perpetuæ incorruptæque traditionis via ad Zachariam, & Malachiam prophetarum noviſſimos pervenit. Poſt civitatis vero, & Templi vaſtationem, dum nulla ſalutis ſpes affulgeret, imperante ut ajunt Antonino, Rabbi Juda, qui Sancti cognomen adeptus eſt, ne lex oralis hominum mentibus deleretur, eam ſcriptis digeſſit. Cui collectioni Miſchnæ, ſeu ſecundæ legis nomen indidit; atque ab univerſa ſynagoga liber tamquam divinus receptus eſt. Hæc ſecunda lex, tractu temporis aucta eſt, Rabbi enim Jochanam, qui Hieroſolymis per 80. annos rector Academiæ fuerat, Miſchnam, quæ in ſex partes dividebatur, non minimum auxit, anno uti putant 230. Hinc confectus eſt liber Talmudici Hieroſolymitani. Verum quia Miſchna, lingua Hebræis fere incognita ſcripta, vix intelligebatur, Rabbi Aſſe incepit illam exponere, & poſteris etiam reliquit tractatus ſuper Miſchnam 35. Defuncto eo anno 427. ſucceſſit Rabbi Maremar, cujus collega Mar filius Rabbi Aſſe opus Rabbi Aſſe abſolvit. Cumque rem ad umbiculum perduxiſſent, Miſchnis ultima tandem manus impoſita eſt; hinc quod ad Miſchnas acceſſerat, Gemara, ſive complementum eſt nuncupatum. Itaque ex Miſchnis, Gemaraque corpus Talmudicum conſtituitur, quod Talmudi Babylonici nomen retinet; cujus præceptis univerſa Judæorum gens in rebus ſacris, & politicis hactenus regitur. Quot vero fabulis, ac impietatibus ſcateat, vix credibile eſt, atque plura apud Buxtorfium videri poſſunt.

JESU CHR. AN. 506. Talmud Babylonicum a judæis vulgatur.

JESU CHRISTI AN. 507. SYMMACHI PAPÆ 10.
ANASTASII IMP. 17. THEODORICI REGIS 15.

1. Inſequens Chriſti annus quingenteſimus ſeptimus Coſſ. Anaſtaſio Imp. III., & Venantio ex illuſtri Deciana familia, cujus filius Decius anno 529. eamdem dignitatem obtinuit, & Paulinus alter ejus filius anno 534., ut ex epiſtola Athalarici Regis conſtat, hic annus inquam, ob bellum, quod Clodo-

De Conſule Venantio. *Caſſiod. var. lib. 9. epiſt. 23.*

veus

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 507.

Cauſa belli Clodoveum inter & Alaricum.

Fredeg. in epitom. cap. 25. Aimon. lib. 1. cap. 20. Greg. Turon. lib. 2. c. 40. & ſeqq. Murat. ann. 511. Orſ. tom. 16. lib. 37. num. 88. Greg. Tur. lib. 2. cap. 37. Caſſiod. lib. 3. epiſt. 1. & 4.

veus Francorum Rex contra Alaricum Viſigothorum Regem geſſit, inſignis fuit. Hujus belli variæ cauſæ, eæque incertæ circumferuntur. Fredegarius, & Aimonius, ira commotum Clodoveum aſſerunt, eo quod Alaricus ejus legatos contumelia affeciſſet. Præcipua tamen belli cauſa belliger Clodovei animus, & Imperii dilatandi ambitio fuit, etſi catholicæ Fidei dilatandæ cauſa ſe id ſuſcepiſſe videri voluit, quem ad ſuos hæc dixiſſe refert Gregorius Turonenſis: *Valde moleſte fero, quod hi Ariani partem Galliarum tenent, eamus cum Dei adjutorio, & ſuperatis redigamus terram in deditionem noſtram*. At ſi zelo tantum Religionis catholicæ hanc in Alaricum expeditionem ſuſcepiſſet Clodoveus, Gundabundum Burgundionum Regem, Arianæ ſectæ addictum, in ſuas partes non pertraxiſſet, quem tamen conſtat hujuſce expeditionis ſocium fuiſſe: Si quæ tandem belli gerendi cauſa fuit, hanc *Mediocrem fuiſſe, & parvam de verbis contentionem extitiſſe*, ait Theodoricus Italiæ Rex, ad Clodoveum, & Alaricum ſcribens. Cum enim inſtare hoc bellum audivit, datis epiſtolis, ac legatione miſſa, ab inferendo ſibi invicem bello prohibere conatus eſt. Nil tamen datis litteris, aut miſſis legationibus obtinere potuit, nam Clodoveus continuo in Alaricum arma convertit, & Pictavos, ubi Alaricus morabatur, exercitum duxit. In bellum vero proficiſcens: *Per conſilium Reginæ ſuæ fecit eccleſiam in honorem Apoſtolorum Petri, & Pauli in Pariſiorum civitate*, quam tamen poſt bellum ædificavit, juxta votum quod voverat, ſi ex eo bello victor rediiſſet. Inſuper: *Rex devotiſſimus pergens contra Alaricum benedictionem a S. Remigio, cui & benedictionem dedit, victoriam in verbo Chriſti reſpondit, deditque illi plenum vas, quod vulgi conſuetudo flanconem appellat, de vino quod benedixit*, ait Hincmarus in vita Remigii, additque benedictum vinum divina virtute uſque ad finem belli multiplicatum fuiſſe, cujus miraculi cum nullus alius antiquorum meminerit, fides ſit penes auctorem, ait Card. Baronius. Ad eumdem Regem bello proficiſcentem epiſtolam Remigius dedit, ſanctis monitis refertam præcipue, ut Sacerdotibus honorem deferret, eorumque conſiliis pareret, & ut viduas, pauperes, peregrinos, & captivos, opibus, & protectione ſublevare curaret, ut ibidem pluribus perſequitur.

S. Remigii epiſtola ad Clodoveum.

Quæ militibus ſervanda Clodoveus præceperit.

2. His acceptis Clodoveus, Remigii conſilia non ſprevit,

vit; quin exercitui præcepit, ne quid belli occaſione damni eccleſiis, aut Sacerdotibus, rebuſque ad eos pertinentibus inferrent, cujus edicti in epiſtola ad Epiſcopos data poſt expeditionem idem Clodoveus meminit, eaque captivos, tam clericos, quam laicos in ea factos, Epiſcoporum arbitrio relaxari juſſit: *Enuntiante fama quid actum fuerit, vel præceptum omni exercitui noſtro, priuſquam in patriam Gothorum ingrederemur, Beatitudinem veſtram præterire non potuit. In primo quoque de miniſterio eccleſiarum omnium præcepimus, ut nullus ad ſubripiendum in aliquo conaretur, neque de Sanctimonialibus, neque de viduis, quæ in religione Domini devotæ eſſe probarentur. Simili conditione, & de clericis, vel filiis ſupradictorum, tam Clericorum, quam viduarum, qui cum illis in domo ipſorum conſiſtere videbantur. Idem & de ſervis Eccleſiarum, quos de eccleſiis tractos per Epiſcoporum Sacramenta conſtiterit, præceptum eſt obſervare, ut nullus ex ipſis aliquam violentiam, vel damnum pateretur. Quod ita ad integrum eſt agnoſcendum, ut ex his ſupradictis, ſi aliquis vim captivitatis pertuliſſet, ſive in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam, omnino ſine aliqua dilatione reddendos eſſe præcipimus. De cæteris quidem captivis laicis, qui extra pacem ſunt captivati, & fuerint approbati apoſtolica, cui volueritis arbitrii veſtri eſt, non negandum. Nam de his qui in pace noſtra, tam clerici, quam laici, ſubrepti fuerint, ſi veraciter agnoſcitis, veſtras epiſtolas de annulo veſtro infra ſignatas, ſic ad nos omnimodis dirigatis, & a parte noſtra præceptionem latam noveritis eſſe firmandam. Sic tamen populus noſter petit, ut cuicumque epiſtolas veſtras præſtare fueritis dignati, cum Sacramento per Deum, & benedictione veſtra dicere non tardetis rem iſtam, quæ poſcitur veram eſſe: quia multorum varietates, vel falſitates inventæ ſunt, ut comprehendatur, ſicut ſcriptum eſt, perit juſtus cum impio. Orate pro me Domini Sancti, & apoſtolica Sede digniſſimi Papæ.*

Jesu Chr. an. 507.

Concil. tom. 4. pag. 1402.

3. Quæ juſſerat, inviolabiliter cuſtodiri voluit; hinc ut Gregorius Turonenſis narrat: *Quoniam pars hoſtium per territorium Turonicum tranſibat, pro reverentia B. Martini dedit edictum, ut nullus de regione illa aliud, quam herbarum alimenta, aquamque præſumeret. Quidam autem de exercitu, invento cujuſdam pauperis fœno, ait: Nonne Rex herbam tantum præſumi mandavit, & nihil aliud? & hoc (inquit) herba*

Raptorem fœni Clodoveus punit.

Jesu Chr. an. 507. *herba eſt. Non enim erimus tranſgreſſores præcepti ejus, ſi eam præſumimus. Cumque vim faciens pauperi, fœnum vi abſtuliſset; factum pervenit ad Regem. Quo dicto citius, gladio perempto, ait: Et ubi erit ſpes victoriæ, ſi Beatus Martinus offenditur? Satiſque fuit exercitui, nihil ulterius ab hac regione præſumere &c.* Divinam ſane, quam imploraverat opem cito expertus eſt Clodoveus. Nam cum ad Fluvium Vigennam cum exercitu adveniſſet, per quem locum tranſire deberet, penitus ignorabat, intumuerat enim ab inundatione pluviarum; cumque illa nocte Dominum deprecatus fuiſſet, ut ei vadum, quo tranſire poſſet, dignaretur oſtendere; mane facto, cerva miræ magnitudinis ante eos nutu Dei flumen ingreditur, illaque vadante, populus, qua tranſire poſſet, agnovit.

De Sancto Maxentio Abbate.

4. Cum vero Pictavos acceſſiſſet Clodovei exercitus, accidit, ut Maxentius in monaſterio ſuo recluſus prope urbem moraretur. *Cujus Monachi, cum hoſtium cuneum unum in monaſterium cernerent propinquare, Abbatem exorant, ut de Cellula ſua egrederetur ad conſulendum eis. Illoque demorante, hi timore perculſi, eum aperto oſtio producunt de cella ſua. At ille in occurſum hoſtium, quaſi pacem rogaturus pergit intrepidus. Unus autem eorum evaginato gladio, ut in caput ejus libraret; manus ad aurem erecta diriguit, gladiuſque retrorſum ruit. At ille ad pedes Beati Viri, veniam depoſcens, ſternitur. Quod videntes reliqui, cum timore maximo ad exercitum redierunt, timentes ne & ipſi pariter interirent. Hujus vero brachium Beatus Confeſsor cum oleo benedicto contrectans, impoſito ſigno Crucis reſtituit ſanitati: ejuſque obtentu monaſterium permanſit illæſum. Multaſque, & alias virtutes operatus eſt; quas ſi quis diligenter inquiret, librum vitæ illius legens, cuncta reperiet.* His ſuffragatur auctor Anonymus, qui Maxentii vitam ſcripſit, ut videre eſt apud Mabillonium, cujus memoria viget in Martyrologio Romano ſexto Kal. Julii, quo die ex Mundo ad Deum abiit.

Mabill. Act. OB. pag. 578.

Alaricus a Clodoveo occiditur.

5. Clodoveus itaque cum Alarico Rege Gothorum in campo Vocladenſe, decimo ab urbe Pictavo milliario congreſſus, poſt varios belli caſus, Gothis tandem in fugam conjectis, cum eos inſequeretur, Alaricum eorum Regem interfecit. Amalaricus autem Alarici filius in Hiſpaniam fugiens, Patris Regnum obtinuit. Regnavit autem Alaricus viginti

viginti duos annos, ait Turonenſis, aut annos 23. ut ait Iſidorus: *Clodoveus vero*, ſequitur Turonenſis, *apud Burdigalenſem urbem hiemem agens, cunctos theſauros Alarici a Toloſa auferens, Engoliſmum venit. Cui Dominus tantum gratiæ tribuit, ut in ejus contemplatione muri ſponte corruerent: tunc vero excluſis Gothis, urbem ſuo dominio ſubjugavit. Patrata poſt hæc victoria, Turonos regreſſus eſt, multa ſanctæ Baſilicæ B. Martini munera offerens.* Hactenus de his Gregorius. De quibus diverſa Procopius narrat, Francis ſcilicet; quos Germanos appellat, Carcaſſonem obſidentibus, Alaricum occurriſſe. Gregorium tamen Procopio præponimus, utpote viciniorem: *Qui cladi ſuperfuerunt*, ait Procopius ibidem, *Giſelicum Alarici minoris filium, non ex matrefamilias (ſcilicet natum ex illegitimo concubitu) in Principatum perduxere, quod Amalaricus Theodorici per filiam Nepos per ætatem impar eſſet.* Narbonæ id accidiſſe indicat Iſidorus, & quidem hoc anno, Anaſtaſii decimoſeptimo. *Æra quingenteſima quadrageſima quinta, anno decimoſeptimo Anaſtaſii Imperatoris; Geſelicus Superioris Regis ex concubina filius Narbonæ Princeps efficitur, & regnavit annos quatuor, ſicut genere viliſſimus, ita infelicitate & ignavia ſummus.* Quomodo autem huic Amalaricus ſucceſſerit, infra dicemus, ſicuti de bello per Theodoricum Italiæ Regem Clodoveo, ac Gundebado illato, quo factum eſt, ut ex tanta victoria fructum vix caperet Clodoveus; ſed de his infra.

JESU CHR. AN. 507.

Iſid. in chron. Goth.

Procop de bello Goth. lib. cap. 11.

6. Hoc anno Severinus Agaunenſis Abbas, cujus memoria celebris perſeverat, in Cœlum vocatus eſt. Inter inſignia ab eo geſta miracula, illud imprimis occurrit, dum uno, aut altero ab hinc anno, Clodoveum Regem, anno Regni ſui 25. diutina per duos annos febre laborantem ſanitati reſtituit. *Domum Regis ingreſſus ante lectulum ſe in orationem proſtravit, & cum ſe elevaſſet, exuens caſubulam ſuam, corpori Regis induit eam, & ſtatim dimiſit eum febris, & adoravit Rex, & flectens genua ad pedes Sancti ſe jactavit benedicens Deum .... & dixit ad eum Rex Abba Pater, accipe pecuniam de theſauro meo, & pauperibus eroga, & quanticumque in Regno meo, pro ſuo crimine in carceribus detinentur, noſtra indulgentia relaxentur. Multi quidem, & alii infirmi erant in domo Regis, & ſub urbe Pariſios. Sanctus*

S. Severinus Clodoveum a febribus ſanat.

Martyrolog. Rom die 3. Decemb.

Act ord. Bened. tom. 1. pag. 569.

Jesu Chr. an. 507.

ctus autem Dei Severinus corporibus ſingulorum ſuis orationibus reddidit medicinam. Dum vero iter ageret, Euladium Nivernenſem Epiſcopum per annum in cubiculo ſuo jacentem, mutum, & ſurdum, precibus ſuis, ab ea infirmitate liberavit. Pariſios vero ingrediens leproſum mundavit. Cumque poſt hæc, diem ultimum ſibi inſtare cognoviſſet, ad Caſtrum Nantonenſem ſe contulit, ibique infra tres dies reddidit ſpiritum, *ad cujus ſepulcrum cæcorum oculis redditum lumen, dæmones de obſeſſis corporibus repelluntur, & infirmos ibidem, qui Deo ex toto corde vota perſolvunt, glorioſus confeſſor revocat ad ſalutem*. Hæc Fauſtus ejus diſcipulus, & peregrinationis ſocius. Severini alia exſtat vita ab Anonimo ſcripta Caroli Magni tempore, ut apud Bollandiſtas videre eſt.

tom.1. Act.OB pag. 1569. Bolland. die 11. Feb.

Anaſtaſius Imp. Anaſtaſiopolim ædificat, & longum murum.

8. Quod ad Orientales res pertinet, ſeditionis motus in urbe CP fuiſſe ex Marcellino ſcimus: *Seditio popularis in Circo facta eſt, miles & armatus obſtitit. Gradus circi ſeptentrionalis, ſua cum fornice incenſi, collapſique ſunt. Anaſtaſio Cæſare in proceſſibus commorante*. Ejuſdem ſeditionis meminit auctor cronici Alexandrini, additque Anaſtaſium Imperatorem, ut populum leniret, ſine diademate, ſeu Imperiali corona in Circo conſediſſe; *Quod ubi populus novit, totus in Hippodromum properavit, & per compellationem totam ſibi urbem conciliavit*. Harum turbarum cauſa ferax fuit Anaſtaſii Imperium, ut ſæpe vidimus. Ipſe interim Imperator hoc eodem anno, ut nominis ſui gloriam augeret, illudque æternum redderet, civitatem ædificavit, quam ſuo nomine Anaſtaſiopolim dixit. *Hoc anno Anaſtaſius Imperator, Daras caſtrum Meſopotamiæ magnum atque firmum, in Romanæ ac Perſicæ ditionis finibus ſitum mœnibus cinxit: & eccleſias horreaque reponendis frumentis, ac ciſternas recipiendis aquis, nec non porticus in eo conſtituit, & nuncupavit Anaſtaſiopolim, ſed publicæ commoditati duo balnea dicavit, & loco civitatis conceſſit jura*. Hiſce quoque diebus aliud inſigne ædificium perfecit, longos ſcilicet muros Anaſtaſianos dictos, quod opus Evagrius ſic deſcribit: *Diſtat Conſtantinopoli ſtadiis plus minus ducentis octoginta: utrumque complectitur mare, ac 425. ſtadia inſtar freti cujuſdam excurrens, & urbem Regiam ex peninſula fere inſulam efficiens, eoſque qui trajicere voluerint, a Ponto ad propontidem, & ad mare Thracium co-*

Marcelli. in chron. Sirmondi tom. 2. chron. Alex. pag. 129. Theoph. in cronog pag. 129.

Evagr. lib 3. cap. 38.

comodiſſime tranſportans. Barbaros quoque, qui ex Ponto Euxino, & ex Colchide, ac Meotide Palude ex locis ſupra Caucaſum ſitis, excurſiones faciunt, eos item, qui ex Europa effundi ſolent, objectu ſuo repellit. Hactenus Evagrius.

JESU CHR. AN. 508.

JESU CHRISTI AN. 508. SYMMACHI PAPÆ 1.
ANASTASII IMP. 18.
THEODORICI REGIS 16.

De Clodovei Conſulatu

1. Jeſu Chriſti annus octavus ſupra quingenteſimum conſules habuit Celerem, & Venantium juniorem, ut ab altero Venantio, qui anno ſuperiori conſul fuit, diſtinguatur. De Celeri Orientali CSS. mentionem fecimus, dum de bello Perſico egimus. Præter hos ordinarios conſules, alterius conſulis ab Anaſtaſio Imperatore creati apud hiſtoricos mentio occurrit, Clodovei ſcilicet Francorum Regis, quem de Alarico triumphantem Turones uſque perduximus; dum ergo ibi eſſet: *Conſulatus Codicillos ab Anaſtaſio miſſos accepit*, ait Gregorius Turonenſis, *& in baſilica B. Martini tunica blatea indutus eſt, & Clamyde, imponens vertici diadema. Tunc aſcenſo equo, aurum, argentumque in itinere illo, quod inter portam Atrii, & eccleſiam civitatis eſt, præſentibus populis manu propria ſpargens, voluntate benigniſſima erogavit, & ab ea die tamquam conſul, & Auguſtus eſt vocitatus. Egreſſus autem a Turonis Pariſios venit, ibique cathedram Regni conſtituit*, quæ primatum in Regno Gallico hactenus tenet.

Greg. Tur. lib. 2. cap. 38.

Quid Conſulatus nomine Clodoveo tributum ſit.

2. Baronius in ea opinione fuit, Conſulatus honorem ab Anaſtaſio Imperatore oblatum, tanquam ab hæretico collatum Clodoveum reſpuiſſe, hincque factum, ut in faſtis locum non habeat; verum ex Gregorio Turonenſi ſcimus oblatam dignitatem libenter admiſiſſe, ac inſignia induiſſe, extatque adhuc Clodovei antiqua ſtatua, conſulari trabea, ac baculo ornata; cumque conſtet ordinarium conſulatum Clodoveo nequaquam collatum fuiſſe, cujus nomen in faſtis deſideratur, quid ea dignitate eidem collatum fuerit, in obſcuro eſt, eumque Imperio ſociatum fuiſſe Cointius tradidit; at vero propior eſt eorum opinio, quam tuentur Adrianus Valeſius, & Pagius, Conſulatus ſcilicet nomine ibidem intelligi Patriciatus honorem a Romanis Imperatoribus, velut omnium

Vide Ruinart. ad locum Greg. Turon. Coint. in annal. Franc. an. Adrian. Valeſ. lib. 6. rerum. Franc. Pag. not. hoc ann.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 508.
Avit. epiſt. 7. apud Sirmpl. Procop. lib. 1. de bello Got. Malchus pag. 94. Murat. hoc anno Caſſiod. lib. 6.

maximum, Regibus Imperio amicis ſæpe collatum. Sic Avitus Viennenſis Sigiſmundum Burgundiæ Regem *Patricium* appellat, ſic Procopius Theodoricum Gothorum Regem a Zenone Patricium renunciatum fuiſſe narrat, antequam in Italiam mitteretur, & Malchus Rhetor in excerptis prodit, eumdem Imperatorem Odoacrem, Italiæ Regem, Patricium dixiſſe: quam dignitatem Reges Francorum ſecundæ ſtyrpis, Pipinum ſcilicet, Carolum Magnum, & Carlomannum, a Romanis Pontificibus habuiſſe conſtat ex Anaſtaſio in vita Stephani Papæ III. Sed de his vide Valeſium ut ſupra, vel Ducangium in verbo Patriciatus. Formula autem, qua Patricii creabantur, exſtat apud Caſſiodorum.

Anaſtaſius Imp. aucupatur amicitiam Clodovei
Marcell. in chron.

3. Anaſtaſius autem Imperator hac legatione Clodoveum adiit, tantiſque honoribus promereri ſibi ſtuduit, ut potentiſſimum Regem ad bellum gerendum adverſus Gothos excitaret, præcipue contra Theodoricum Italiæ Regem, cum quo Anaſtaſius Imperator ſimultates fovebat, ob occupatam ab eo Pannoniam, quæ ad Orientale Imperium pertinebat. Subirati animi non obſcura indicia habentur apud Marcellinum de geſtis hoc anno: *Romanus Comes Domeſticorum, & Ruſtinus Comes ſcholariorum cum centum armatis navibus, totidemque Dromonibus, octo millia militum armatorum ſecum ferentibus, ad devaſtanda Italiæ littora proceſſerunt, & uſque ad Tarentum antiquiſſimam civitatem egreſſi ſunt, remenſoque mari, inhoneſtam victoriam, quam piratico auſu Romani ex Romanis rapuerunt, Anaſtaſio Cæſari reportarunt.* Cum enim juſto bello aggredi Theodoricum non valeret, Piraticum in Italiæ littora exercuit, ſciens eum in Gallica expeditione eo tempore tunc fuiſſe.

Theodorici Regis expeditio in Gallias adverſum Clodoveum
Caſſiod. in chron. Procop. de bello Goth lib. 1. cap. 2. Boll. die 27. Aug. tom. 1. OB. Jornand. de bello Goth. cap. 58.

4. Hoc quippe anno adverſus Francos Theodoricus Italiæ Rex bellum ſuſceperat. *His conſulibus*, ait Caſſiodorus, *contra Francos a Domino Noſtro deſtinatur exercitus, qui Gallias Francorum depredatione confuſas, victis hoſtibus, ac fugatis, ſuo acquiſivit Imperio*, quod partim hoc anno, partim ſequenti factum eſt. Dux exercitus ipſe Theodoricus fuit, teſte Procopio, & Cypriano in vita S. Cæſarii, cui Jornandes Hibbam Comitem dedit. De geſtis Gothos inter & Francos hæc adnotant: *Theodorico deinde cum Gothorum exercitu adventante, trepidanter Germani, ideſt Franchi, obſidionem Carchaſone ſolverunt, indeque profecti, eam Gallia-*

rum

rum, & præter Rhodanum flumen mox occupant regionem, quæ in Oceanum vergit; quos cum loco depellere Theodoricus nil poſſet, ut ſibi haberent, quæ jam occupaſſent, permiſit, ipſe vero reliquam Galliarum tunc partem recuperavit. Jornandes autem addit, tam fortiter a Gothis pugnatum fuiſſe, ut Francorum triginta millia ceciderint, fortaſſe quos plura prælia vita privarunt, in unum contulit, vel toto tempore quo Franci in Arelatenſis oppidi obſidione manſerunt; nam Franci Carcaſſone relicta, Arelatem tranſierunt, eamque expugnare tentarunt, quibus Gothi fortiter reſtiterunt. Horum autem dux erat Tolus, cujus cum laude meminit Athalaricus.

Iornand. ut ſup. Caſſiod. var. lib.8.epiſt. 10

5. Quæ autem aut fortiter geſſerit, aut pertulerit S. Cæſarius ejus civitatis epiſcopus, dum Arelatem Theodoricus obſideret, enarrat ejus diſcipulus, & vitæ auctor; atque inprimis adnotat, quod cum quidam clericus cognatus ejus, ſe captum iri metuens, juvenili levitate permotus, funiculo ſe ſe noctu e muro ſubmiſerit, & proxima luce ultro ſe hoſtibus, urbem obſidione prementibus, dediſſet, in maximum periculum ſanctus vir incidit. Nam plebs & in primis Judæi mota ſeditione vociferantes ajebant, eum urbis prodendæ cauſa concivem ſuum & cognatum ad hoſtes noctu ablegaſſe. Itaque ex eccleſiæ domo extrahitur Antiſtes, atque in Palatio arctiſſimæ cuſtodiæ traditur, ut noctu in Rhodanum demergeretur, aut exilio mulctatus, prolixiores daret pœnas. At detecta paulo poſt Judæi cujuſdam perfidia, qui urbem hoſtibus tradere tentaverat, Cæſarius periculo ereptus eſt, pœna capitis in proditorem tranſlata. Interea Arelatem Gothorum innumera captivorum turba reverſa eſt, ita ut ſacræ etiam Baſilicæ Fidelium multitudine replerentur; cumque maxima victus, veſtitusque inopia laborarent, vir Sanctus iis neceſſaria præbuit, innumeroſque pecunia redemit. Quod opus ita proſecutus eſt, *ut etiam ab illis, quæ ad divini miſterii diſpenſationem pertinent, non abſtineret, turibulis, calicibus, patenis argenteis. Dicebat enim: Ne homo rationalis Chriſti ſanguine redemptus amiſſa libertate, & dura preſſus ſervitute, aut Arianus efficiatur, aut Judæus, aut ex libero ſervus, eccleſiæ vaſa diſtrahere licitum ac laudabile eſſe*. Diutinæ ac obſtinatæ obſidionis in Caſſiodori epiſtolis mentio habetur; quarum una Theodorici nomine ſcripta, Arelatenſibus tributa laxantur: *Arelatenſibus*, inquit, *qui noſtris tem-*

Quid Cæſarius Arelat. Epiſc. geſſerit obſidionis tempore *Cæſaris vita die 27. Aug. Bolland. Mabill. tom. 1. act. OB.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 508.

temporibus perdurantem glorioſæ obſidionis penuriam pertulerunt, per indictionem quartam Fiſcalia tributa noſtra relaxat humanitas. In altera pro murorum reſtauratione vel Turrium certam pœcuniæ quantitatem dirigit, & ad Gemellum: *Tritici ſpeciem*, inquit, ob exercituales expenſas, *noſtra providentia de Italia deſtinavit, ne fatigata provincia hujuſmodi loederetur, ad Caſtella ſupra Druentiam conſtituta, de Maſſilientium horreis conſtat eſſe portandam.* Ex quibus apparet Druentiam fluvium limitem remanſiſſe Regni Oſtrogothorum; nam ut ait Procopius: *Inde cum expellere eos nequiret Theodoricus, ſivit eos illa habere, ſatis ducens Galliæ cætera retinere, mortuoque Giſelico* (quem filium Alarici fuiſſe diximus ex concubina, & ad paternum Regnum elevatum) *effecit, ut ad ſuum e filia Nepotem Amalaricum Viſigotorum Principatus tranſiret*, (anno ſcilicet 511.) *cujus admodum pueri ipſe tutelam ſuſcipiens, pecunias, & quæ cara alia Carcaſſone erant, Ravennam abſtulit ſubito, mittenſque tum magiſtratus, tum exercitus in Galliam, atque Hiſpaniam non ſegniter id agebat ſibi, ut id Imperium perpetuo firmaret.* Hoc igitur ſuſcepto bello obtinuit opulentiſſimam in Galliis provinciam, cujus caput erat Arelate, & Nepotis nomine, uſque ad mortem adminiſtravit.

Caſſiod. lib. 3. epiſt. 32. Ibid. epiſt. 44. Epiſt. 41.

Procop. lib. 1. de bello Goth. cap. 12. Theodoricus Gallor. Provinciam ſibi bl retinet. & Nepotis Regnum adminiſtrat

S. Genoveſa virgo moritur

6. Hiſce diebus B. Virgo Genoveſa, cum vixiſſet in ſeculo *amplius octaginta annis*, dierum plena, ac meritis abundans, in cœlum evocatur ſub die tertio non. Januarii, ut in ejus vita a Chifletio edita legitur, ubi inter cetera habetur s. Virginem, una cum Chroedilde Regina, perſuaſiſſe Clodoveo proficiſcenti ad bellum adverſus Alaricum, ut templum ædificaret in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli. Virginii mortem anno 503. Chifletius alligat, Pagius hoc anno. Ejus vitam Anonymus ille ſcripſit ter ſenis ab ejus obitu annis, ſeu annis 18.; hæcque vita ceteris eſt præferenda, & ex ea corrigendæ aliæ vitæ ejuſdem virginis, a recentioribus ſcriptæ.

Boll. die 3. Jan.

Traſaundus in Affrica Epiſcoporum ordinationes fieri prohibet.

7. Etſi Fulgentius in ſuo monaſterio latitaret, Presbyterii ac Abbatis dignitate ornatus, eouſque tamen per omnes Africæ provincias fama ejus inclaruerat, ut: *In ipſo territorio Nuntorum tamquam proprius Epiſcopus honorari cœperit*, & quandocumque ordinandi Epiſcopi facultas fuiſſet. *Beato Fulgentio primum Sacerdotium, vocibus, & mentibus petere*, nec

nec alterum ſibi, conſecrari permittere. Hoc eodem anno ad Ruſpenſem cathedram evectus eſt; quomodo autem id acciderit, altius eſt repetendum. Cum Epiſcopos in Africa in demortuorum locum ordinare prohibuiſſet Traſamundus, tunc Fulgentius, *quia regalis auctoritas Epiſcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus providere paſtores licebat: ſecurus interdictionis hujus tempore tranſigebat, ſuperfluum judicans, honorem fugæ præſidio recuſare, quem nec dare alicui fas erat, nec accipere*. At cum vineam Domini vepribus ac ſpinis abundare, ac langueſcere cernerent qui reliqui fuerant Bizaceni Sacerdotes; inito concilio, omnium una ſententia fuit, viduatis eccleſiis ordinandos eſſe ſacerdotes etiam invito Rege: *Cogitantes, aut Regis iracundiam, ſi qua forſitan exiſterat, mitigandam, quo facilius ordinati in ſuis plebibus viverent; aut ſi perſecutionis violentia naſceretur, coronandos etiam fidei confeſſione, quos dignos inveniebant promotione: miniſterium vero ſuum facilius impleturos, atque inter ipſas tribulationes propriis plebibus ſolatia præſtituros*. Unde cum certatim ubique ordinarentur Epiſcopi, etiam Fulgentius invitus pene Ruſpenſis eccleſiæ Epiſcopus eſt ordinatus, nam ut narrat auctor vitæ ejus, cum diu, ne Epiſcopus fieret, latuiſſet, ac jam repleta eſſet Provincia Byzacena novis Sacerdotibus, & pene vix paucarum plebium cathedræ remanſiſſent deſtitutæ; & Regis commota ſævitia, cunctos jam exilio mancipandos deſtinaſſet, Victor Provinciæ Primas ac Epiſcoporum ordinator, captus Carthaginem duceretur, tunc Fulgentius ſecurus ad ſuum reverſus eſt monaſterium, nihil dubitans neque formidans, ſed omnino ſe Pontificalis dignitatis evaſiſſe ſarcinam gaudens. Unde nil cogitans, raptus ac Victori Primati oblatus, Ruſpenſis Epiſcopus ordinatus eſt. Qua dignitate ſuſcepta, nihil eum in victu, veſtitu, aut converſione mutaſſe, ſed perfecti monachi vitam in Epiſcopatu egiſſe, adnotat.

Jesu Chr. an. 508.

Vita Fulgent. cap. 16.

8. Non diu tamen Ruſpenſi eccleſiæ præfuit, nam *Repente diriguntur miniſtri Regalis furoris, ut detentus etiam ipſe cum cæteris in exilium in Sardiniam confeſſor Chriſti nobilis traderetur*. Abductus ergo comitantibus Monachis, & Clericis, flentibus omnibus laicis, de Cathedra honoris ad locum certaminis deductus eſt. Carthaginem primo ingreſſus, navim deinde lætus aſcendit. Is vero etſi inter exu-

S. Fulgentius juſſu legis in exilium abducitur Vit. Fulg. cap. 20.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 508. exules Epiſcopos ultimus eſſet, ut pote tunc primum inter Epiſcopos cooptatus, tanta tamen ejuſdem doctrinæ, & prudentiæ apud ceteros fama pollebat, ut *quando inter ſe Confeſſores beatiſſimi de communi utilitate tractabant, ultimus quidem ſedebat; verumtamen ipſius ſententiam Primas vel omnis qui Primatem ſequebatur, audire & facere cupiebat: quamvis ille nihil per inanem gloriam ſibi vindicans, defferret honorem congruum prioribus ſuis. Sic enim cogebatur reſpondere conſultationibus, ut paratus eſſet ſemper obedire jubentibus, nec præſumeret aliquid extorquere nolentibus. Poſt deliberationis autem longiſſimas moras, quidquid definitio communis invenerat, eloquenter allegandum ſenſibus ceterorum, B. Fulgentio dimittebatur. Huic autem quandocumque tranſmarinis litteris de fide, vel de diverſis quæſtionibus interrogabantur Epiſcopi, reſpondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita ſicut Sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginenſis Eccleſiæ Antiſtes, inter ſua privilegia meruit, ut litteras ex Africano Concilio dandas ipſe ſolus ſcriberet; ſic iſte meruerat, ut litteras ex illo concilio dirigendas ſolus ipſe dictaret. Sexaginta quippe, & eo amplius Epiſcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua, & ingenium B. Fulgentius Epiſcopus fuit.* Hinc addit: *Quandocumque reſcribebat conſulentibus Epiſcoporum ceterorum dicebantur nomina in titulo, ſed ſolus Beati Fulgentii ſermo retinebatur in ſtylo. Præter iſtas quoque publici tractatus Epiſtolas, ſi quis forte ex ipſis Epiſcopis, plebem ſuam corrigere, vel monere voluiſſet, ad B. Fulgentium accedebat, & per miniſterium linguæ ejus officium ſuæ diſpenſationis implebat.* Hæc vitæ auctor ei exilii comes, quem Chiffletius, aliique Ferrandum Diaconum fuiſſe putant, quod ſane incertum eſt.

Alii pro fide catholica exules. 9. Cum autem idem auctor narrat, *ſexaginta & amplius Epiſcopos tunc catena ligatos exilii* fuiſſe, Presbyteros, clericos, & monachos, qui Antiſtites ſuos in exilium ſecuti fuerant, præteriit, atque inter eos Filicianum in ſede Ruſpenſi Fulgentii ſucceſſorem, quem tunc Presbyterum cum Fulgentio in Sardiniam exulaſſe, ex vitæ prologo ſcimus. Inſuper dum 60. & amplius Epiſcopos in exilium tunc ejectos fuiſſe adnotat, ſolos Bizacenæ provinciæ Epiſcopos is auctor numerat, nam longe plures ex ceteris Africæ provinciis exules in Sardinia erant. Unde Victor Tunonenſis in Africa Epi-

Epiſcopus, qui vivente Juſtiniano floruit, in chronico centum viginti Epiſcopos a Traſamundo in exilium ejectos fuiſſe ſcribit: *Traſamundus*, ait, *Ariana inſania plenus Catholicorum eccleſias claudit, & in Sardiniam exilio ex omni Africana eccleſia centum viginti Epiſcopos mittit*. Eadem Iſidorus in brevi Vandalorum hiſtoria æra 526. Ducentos etiam & viginti fuiſſe exules chronicon a Ruinartio editum, una cum hiſtoria Vandalicæ perſecutionis refert, totidemque recenſet auctor hiſtoriæ miſcellæ, qui Paulus diaconus dicitur. Beatam ergo dicimus (ait Card. Baronius) inſulam, tot tantorumque hoſpitio Sacerdotum, potiſſimum vero Fulgentii, qui inter ceteros & præ ceteris doctrina & ſanctitate fulgebat. His, qui in Sardinia inſula exules acti ſunt, complures alii addendi ſunt, qui ſuis ſedibus pulſi, in aſperiora Africæ loca exulare coacti ſunt, vel ſponte in alias abierunt regiones; ex his fuit Primaſius doctrina inſignis, cujus meminit Caſſiodorus, dum expoſitionem Apocalypſis ab ipſo factam recenſet. Celebris etiam extat Poſſeſſoris Africani Epiſcopi memoria, ad quem extat Hormiſdæ Pontificis epiſtola, de qua infra agemus, qui Conſtantinopoli adverſos Eutychianæ hæreſis fautores egregie decertavit. Præter hos Ruinartius Optatum recenſet, & Maracinum, alioſque plures, qui alibi, quam in Sardinia, exularunt.

Caſſiod. inſt. divin. lect. cap. 9.

Ruin. hiſt. perſeq. Vand. cap. 11. in fine.

8. Inter alia, quæ ſecum ex Africa in Sardiniam detulere exules Epiſcopi, reliquias, ſeu corpus Sancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi recenſetur, cujus quidem tranſlationis etſi nullus hujus temporis ſcriptor mentionem fecerit, tunc tamen id accidiſſe, ex iis, quæ poſtmodum contigere, certiſſime ſcimus, ait Ruinartius. Conſtat quippe ſanctiſſimi Doctoris corpus ſeculi octavi initio e Sardinia in Suburbanum Papienſe monaſterium, quod Cœlum Aureum jam dicebatur, tranſlatum fuiſſe a Luitprando Rege Longobardorum, cum ea tempeſtate Sardinia a Saracenis devaſtaretur; idque Petri Papienſis Epiſcopi ſuaſu, ut ſcribit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ die ſeptima Maii. Porro tunc temporis fama erat ubique recepta, ejuſdem Sancti Doctoris reliquias in iſtam inſulam allatas fuiſſe a Sanctis Confeſſoribus, quos Vandali Ariani ex Africa extorres fecerant. Hujus rei teſtem habemus Petrum Oldradum Epiſcopum Mediolanenſem, qui juſſu Caroli Magni iſtius Translationis hiſtoriam ſcriptis man-

Tranſlatio S. Auguſtini in Sardiniam.
Ruin. ut ſup.

JESU CHR. AN. 508.

Baron.an.725

mandavit. Oldradi epiſtolam ad eumdem Imperatorem ea de re datam profert Baronius ad annum 725., ubi hæc habet: *Corpus Sancti Auguſtini in Sardiniam translatum eſt a fidelibus & Catholicis Epiſcopis, qui ob Chriſti fidem ab iniquo Tranſamundo Rege, una cum Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo, una cum innumerabilibus Chriſtifidelibus in eamdem inſulam relegati fuerant, quo tempore Vandali armis Africam vaſtabant, ne gemma, & theſaurus tantus ab immundis ſpiritibus pollueretur, ſecum cum nonnullis aliis Sanctorum reliquiis deportarunt, ibi multis miraculis claruit*. Utriuſque etiam translationis meminit Paulus Diaconus lib. 6. de geſtis Longobardorum cap. 48. *Luitprandus*, inquit, *audiens quod Saraceni depopulata Sardinia, etiam loca illa, ubi oſſa Auguſtini propter vaſtationem Barbarorum olim translata, & honorifice fuerant condita, fœdarent, miſit eo, & dato magno pretio accepit, & tranſtulit ea in Urbem Ticinenſem &c.* His accedit Beda, qui in Martyrologio die 28. Auguſti hæc habet: *In Africa Sancti Auguſtini Epiſcopi, qui primo de ſua Civitate propter Barbaros in Sardiniam translatus, nuper a Luitprando Rege Longobardorum Ticinis relatus, & honorifice conditus eſt*. Celebris fuit in pleriſque Eccleſiis hujus translationis memoria, quæ etiam nunc in variis Martyrologiis recolitur die 28. menſis Februarii. Contigit vero, uti probat Mabillonius in itinere Italico pag. 221., anno 712. Indeque emendat, quod in actis Sanctorum Ordinis Benedictini ſcripſerat, ubi hanc Translationem conſignaverat anno 722. Monaſterium vero Cœlum-Aureum, quod diu ſub S. P. Benedicti Ordine perſeveravit, Canonicis regularibus ſæculo 13. ceſſit, quibus poſtmodum adjuncti fuere Auguſtiniani Eremitæ. De his plura Baronius, & Mabillonius locis laudatis. Adde ſi lubet Juſti Fontanini diſquiſitionem de corpore S. Auguſtini capite quinto.

Paul.Diac.lib 6 cap. 48. de geſtis Longob.

Symmachus Papa Epiſcopo exules eleemoſinis ſublevat, & exhortatione confirmat.

9. Sæviſſimæ perſequutionis in Africanos Epiſcopos excitatæ cum certior factus eſſet Symmachus Papa, ſui muneris eſſe credidit Sanctorum contumeliis, & tribulationibus communicare, eoſdemque exules Epiſcopos inopia laborantes ſublevare, unde auctor vitæ Symmachi, *per Africæ, vel Sardiniam Epiſcopis, qui in exilio erant retruſi, pecunias & veſtes miniſtrabat*. Eadem habentur in chronico a Ruinartio edito & apud auctorem vitæ S. Aviti Viennenſis Epiſcopi, quam e ve-

Chron. brev. hiſt. perſeq. Vand.

veteri mſſ. edidit Labbeus, ubi inter cetera: *Symmachus Pontifex per Africam, & Sardiniam Epiſcopis, qui in exilio erant, quingentis quinquaginta pecunias & veſtes miniſtravit*. Quotidiana ſubſidia miniſtraſſe B. Symmachum, ſcribit auctor hiſtoriæ miſcellæ, ut Adonem, Hermannum, aliosque poſteriores omittamus. Eodemque tempore, quo eos cibo pavit, ac veſtibus induit, memor ſententiæ Chriſti Domini ad Petrum dictæ: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, exhortatoriam epiſtolam miſit, qua eos, ut æquo animo perferrent exilii labores, ac etiam ad conſtantiam in defendenda catholica fide hortatus eſt. Extat ea inter Ennodii epiſtolas; ſed Symmachi nomine ab eo ſcriptam fuiſſe certum eſt, qua inter plurima hæc leguntur. Dilectiſſimis Fratribus Epiſcopis Afris Symmachus: *Lucrum forſitan putaret inimicus, ſi inter pericula, quæ Chriſtianis indixit, credentium animos ſubegiſſet, & per diverſa Domini grege diſperſo, non ſupereſſet vel inter paucos, a quibus poſſit fide perſeverante calcari. Regnat adhuc ille in numero veſtro, qui ſibi non tam multitudine, quam in devotione complacuit. Scriptum eſt enim datam Satanæ poteſtatem, ut ſervos Dei cribraret: ut quod de tritico inveniri poſſet, horreis jungeretur; quod de paleis ad ignium alimenta tranſiret. Ad vos ſpecialiter dictum eſt*: Nolite timere puſillus grex: Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. *Venit inter vos gladius perfidorum, qui marcida Eccleſiæ membra reſecaret, & ad cæleſtem gloriam ſana perduceret. Quos habeat Chriſtus milites, certamen oſtendit: qui triumphum mereantur per bella cognoſcuntur. Nolite metuere, quod Pontificalis a vobis apicis infulas abſtulerunt. Vobiſcum eſt ſacerdos ille, vel hoſtia, qui non tam honoribus conſuevit gaudere, quam mentibus. Majora ſunt Confeſſionis præmia, quam nominatæ munera dignitatis. Ad illa plerumque etiam minores mente perſonas favor humanus adducit: iſta niſi gratia ſuperna non tribuit. Ipſe enim in vobis & pugnavit & vicit, & quem fides meretur, & inter hominum tormenta ſociavit. &c.* quibus plura, ut in ſuſcepto certamine perſeverarent, addit.

Symmachi epiſt. conſolatoria ad exules Epiſcopos

10. Sed jam reliqua, quæ Traſamundus adverſus Catholicos egit, videamus. Pulſis itaque paſtoribus, univerſum invaſit gregem, ac vi, minis, aut præmiis Catholicos ad Arianorum ſectam trahere tentavit, ut auctor vitæ S. Fulgentii nar-

Novæ artes Traſamundi Regis adverſus catholicos

JESU CHR. AN. 508. rat. *Interea Traſamundi Regis adverſus Religionem catholicam mens implacabilis, & ira terribilis, inter aſperas perſecutiones ſubdolaſque factiones, quibus æqualem Deo Patri negare Chriſtum Catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promiſſionibus incitabat; ſub intentione plus decipiendæ multitudinis, ſimulare cœpit rationem ſe ſimpliciter inquirere Catholicæ Religionis, reperiri neminem putans, cujus poſſet in ſuis erroribus aſſertione convinci. Proponebat denique multas ineptarum tendiculas quæſtionum, nec ſi quis ei reſpondere voluiſſet, aut deſpiciebat, aut repellebat: immo quaſi patienter audiens, ſatis fieri ſibi non poſſe jactabat. &c.* Cumque ei aliquando dictum fuiſſet, inter exules Epiſcopos adeſſe Fulgentium, cui nihil deeſſet in ſcientia, qui ſapienter, & eloquenter roganti Regi ſatiſfacere poſſet, cum eo congredi non dubitavit; eaque de cauſa ex Sardinia in Africam revocavit.

Fulgentius Carthag. revocatur,

11. Cum itaque juſſu Regis Carthaginem reverſus eſſet S. Fulgentius, tanta in eo fuit ſermonis ſuavitas, tanta vultus hilaritas, ut certatim fideles univerſos ad ſe traheret, vel interrogare doctiſſimum virum, vel audire cupientes. Ille vero verbum Dei ſine invidia prædicans, interrogationibus omnium reſpondebat. Unde contigit, ut nonnulli, qui ab Arianis decepti, aut seducti, ſe rebaptizari paſſi fuerant, peccatum ſuum confiterentur, alios autem ne ſuas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat; & quos jam perditioni proximos ſentiebat, ita blandis ſermonibus leniebat Fulgentius, cautioreſque reddebat: *Sic mirabili gratia factum fuit, ut per unum Sacerdotem, cujus ſapientiam Rex voluerat experiri, ſapientum numerus apud Carthaginem creſceret, & per miniſterium perſecutoris fides Catholica incrementum potius, quam defectum acciperet.* Cum hæc omnia Rex per occultos nuncios didiciſſet, egregii Sacerdotis ingenium, ſapientiam, doctrinam, fidem, pietatem tentare voluit. *Dicta proinde quædam, veneno perfidiæ plena, legenda ei celeriter dirigit, reſponſionem ſibi flagitans reddi. Suſcepit hæc doctiſſimus Pontifex, & longiſſimæ narrationis ineptias per objectionum capitula dividens, reſponſiones ſubjecit breves, probabiles, neceſſarias, auctoritate teſtimoniorum graves, & totius rationis lumine radiantes. Quas cum multis ſapientibus viris, diu multumque collatas & ad populi fidelis notitiam perductas, Regi quoque longa expectatione ſuſpenſo tradidit ingerendas. Quas* Rex

Rex ille barbarus intenſiſſime perlegens, quia nunquam prædeſtinatus fuerat ad ſalutem, laudat ſapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginenſis autem Populus triumphi ſpiritalis interpres, propoſitiones Regis fuiſſe convictas læto murmure confitetur, & catholicam fidem ſemper eſſe victricem, conjunctis B. Fulgentii laudibus gloriatur. Exſtant ejuſmodi objectiones Regis, atque reſponſiones ſancti Fulgentii, quarum eſt exordium: *Dictum eſt, Pater de ſe ipſo &c.* Quibus quidem apparet, quanta eſſet in Fulgentio cum ingenii acumine ſacræ Theologiæ eminens excellenſque doctrina.

S. Fulgentii libri tres ad Traſamundum Regem.

12. *Adhuc tamen Rex virum doctiſſimum probare deſiderans, de aliis eum quæſtionibus rurſus interrogat, & interrogationem ſuam ſemel tantum B. Fulgentio præcepit legi, neque meditandi, neque deſcribendi tribuens facultatem. Timebat enim ne verba ejus convincenda ſicut prius ſermonibus ejus insererentur, totiuſque judicio civitatis victus eſſe iterum probaretur. B. vero Fulgentius ſemel ſibi lecta, vix recolere prævalens, reſpondere differebat, ſed reſpondere eum Rex magis ac magis imperabat, reſponſionis arguens moras, & cautelam viri Sanctiſſimi diffidentiam judicans. Unde idem Pontifex diſcretionis virtute ſubnixus, ne qua forſitan per populum mendacia ſpargerentur, quibus fingeretur, aut non potuiſſe, aut noluiſſe B. Fulgentium regalibus quæſtionibus obviare, tres libellos mirabiles facit: ubi memoratum Regem ſimpliciter alloquens, totius quæſtionis ſeriem, quam tenui auditu perceperat, late reventilabat, docens animam rationalem Chriſto Domino in ſuſceptione Carnis minime defuiſſe*.

13. Extant hi tres libri ad Traſamundum Regem conſcripti, quorum hoc eſt exordium: *Triumphalibus ſenſibus, piiſſime Rex, numquam crediderim oblivione ſubtractum, quod nuper mihi quoddam volumen, bajulo Felice, præceperis deſtinari, jubens me illico reſpondere. Cujus quia fuit tanta prolixitas, ut egeret aliquanto diutius recenſeri, & diurni finis aderat, nocte propinquante, curriculi vix ejuſdem voluminis principia citatæ delibrans lectionis excurſu, popoſceram, ut ad cuncta plene recentionis ordine perlegenda, noctis unius ſpatium nobis fuiſſet indultum: quod veſtræ manſuetudinis voluntas omnino ſtatuit abnegandum, ita ut nec ſaltem ad reſidua perlegenda ſcripturæ nobis præcepiſſes attribui. Ego vero cum ſpa-*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 508. *ſpatio quorumdam dierum ordinationem tui culminis præſtolarer, ac deinceps interrogationis illius tenore ſubtracto, ſola fuiſſet a nobis flagitata reſponſio: pauca, quibus, Domino adjuvante, noſtri parvitas ſufficit ingenii, de eadem interrogatione, quam ex principio tenuiter cognovi, veſtræ recenſenda manſuetudini deſtinavi: ne forſitan, aut faſtidio putarer timidus, aut taciturnitatis culpa judicarer obſtrictus, quem veſtra celſitudo ſuſpicaretur, aut ſuperbia reſponſionem non reddidiſſe, aut veræ Fidei diffidentia tacuiſſe. Nam ſtudio veſtro, clementiſſime Rex, compertum eſſe non ambigo, apud eos, qui Chriſtianæ gratiæ participatione redempti ſunt, pene id eſſe fidem nolle aſſerere, quod negare &c.* Hactenus Fulgentius. Tunc, ſequitur auctor: *Rex admiratione maxima repletus, nihil amplius interrogare eſt auſus, niſi quod unus ex Epiſcopis ejus, Pinta nomine, quaſi reſpondere conatus, tacere potius noluit, quam reſpondere aliquid potuit. Cui tamen illico B. Fulgentius alterius operis, quod adverſus Pintam titulavit, diſpenſatione veridica reſtitit: & in prima defenſione ſua victos adverſarios temerarie ſatis oſtendit repetiſſe certamen.* Extat inter Fulgentii opera liber unus adverſus Pintam, quem tamen Fulgentii non eſſe editores, atque eruditi viri teſtantur, cujus etiam liber de Spiritu Sancto ad Abragilam presbyterum deſideratur, in quo docebat Spiritum Sanctum, *cum Patre, & Filio unum Deum ſimpliciter confitendum.*

Fulgentius Arianos confundit, in Sardiniam redire compellitur.

14. Cum autem cum admiratione, & gaudio eos libros legerent catholici, *erubeſcentibus Arianis, & dolore contra ipſum murmurantibus: donec mala ſuggeſtionis occaſione reperta, volenti eum Regi intra Carthaginem diutius retinere diceretur ab impiis, & malis hominibus, ſine cauſſa Rex laboras: nihil tua diligentia proficit. In tantum quippe jam doctrina Fulgentii Epiſcopi prævaluit, ut de Sacerdotibus tuis reconciliet aliquantos; proinde niſi cito ſubveneris, religio noſtra deficiet, & quicumque a nobis eſt baptizatus, homouſion iterum prædicabit publice reconciliatus: nec ſi perſecutionem volueris concitare, timeri poterit Regalis ſævitia. Multum quippe confortat, ſtabileſque facit omnes Epiſcopos Fulgentii præſentia.* Ob quam cauſam, iterum in Sardiniam navigare compulſus eſt Fulgentius, ubi monaſterium, permittente Brumaſio, ſeu, ut alii ſcribunt, Primaſio Calaritano Epiſcopo, pro-

Digitized by Google

prope Sancti Martyris Saturnini Baſilicam extra urbem conſtruxit; ac *congregatis quadraginta & amplius fratribus, diſciplinæ cœnobialis ordinem cuſtodivit illæſum*, ibique vitæ auſteritate, & ſcriptis, quibus eccleſiam illuſtravit, confeſſionis ſuæ gloriam adauxit. Non enim ibi otioſam vitam egit, ſed pro Eccleſiæ tum defenſione, tum inſtitutione, tractatus plurimos, & epiſtolas ſcripſit, de quibus opportuniori loco ſermo fiet.

JESU CHRISTI AN. 509. SYMMACHI PAPÆ 2. ANASTASII IMP. 19. THEODORICI REGIS 17.

De ſpectaculis theatralibus Theodorici Regis ſententia.

1. Anno quingenteſimo nono Importunus ſine collega conſul fuit, ut in omnibus Faſtis legitur, excepto Marcellino, & faſtis Heraclianis, in quibus Opportunus loco Importuni obtruditur. Fuit hic ex Deciana Familia, & Patriciatus dignitate a Theodorico ornatus cujus tamen cruenta fuere conſulatus auſpicia, dum Venetæ factionis addictus, in Praſinam parum æquum ſe geſſit. Unde ad Theodoricum Regem querelæ delatæ ſunt, qui ad Specioſum reſcribens, hæc habet: *Populi itaque nobis partis Praſinæ petitione ſuggeritur, dum ad noſtrum diſponerent comitatum venire, remedia conſueta poſcentes, ſe truculentas inſidias a Patricio Theodorico & Importuno viro illuſtri conſule pertuliſſe, ita ut unus eorum defleatur extinctus*, tumultuantes deinde, ut coerceantur, jubet, etſi graves in theatro mores convenire non poſſint. *Mores autem graves in ſpectaculis quis requirat: Ad Circum neſciunt convenire Catones: Quidquid illic gaudenti populo dicitur, injuria non putatur, locus eſt qui defendit exceſſum*. Quantum a ſpectaculis ludiſque theatralibus alienus eſſet Theodoricus, ex iis, quæ ad Fauſtum Præfectum Prætorio ſcribit de Thomate Auriga, dignoſci poteſt. Cujus hæc ſunt verba: *Spectaculum expellens graviſſimos mores, invitans leviſſimas contentiones, evacuator honeſtatis, fons irriguus jurgiorum, quod vetuſtas quidem habuit ſacrum, ſed contentioſa poſteritas fecit eſſe ludibrium*, deinde in Circienſium deteſtationem, etſi ea tolerare cogeretur, addit: *Hæc nos fovemus neceſſitate populorum imminentium, quibus votum eſt ad talia convenire, dum cogitationes ſerias delectantur abjicere, Paucos enim ratio capit, & raros probabilis oblectat inten-*

JESU CHR. AN. 509.

tentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarum remiſſionem conſtat inventum. Nam quidquid æſtimat voluptuoſum, hoc & ad beatitudinem temporum judicat applicandum. Quapropter largiamur expenſas, non ſemper & judicio demus. Expedit interdum deſipere, ut populi poſſimus deſiderata gaudia continere. Hæc autem Circienſia ſpectacula, Aurigarum, curruum, æquorum agitatione conſtabant, ut ex eadem epiſtola patet: nil ibidem obſcœni, aut amatorii ab impudentibus fæminis, vel ſemiviris, a mimis, vel ſaltatoribus exhibebatur: ex effrænato partium ſtudio, rixæ, contentiones, cœdes ſæpe oriebantur; idcirco ea tam graviter Rex barbarus eſt deteſtatus, ex quo ſaltem diſcant ſeculi noſtri theatrorum apologiſtæ, qui pro aris, & focis contendunt, pietati, ac bonis moribus nihil obeſſe theatra jactantes. Ne autem aliquibus videamur Rigoriſtam, aut Janſeniſtam agere, dum talia loquimur, audiant Card. Baronium, doctrina, & pietate clariſſimum, hæc ad hunc annum adnotantem: Certum eſt enim omnes ubique locorum, ſive in Oriente, ſive in Occidente Sanctiſſimos Patres, ſuis ipſorum concionibus, atque etiam ſcriptis ſedulo ſtudio jugique inſtantia declamaſſe adverſus Chriſtianos ſpectacula frequentantes, & quanto magis edentes? Adeo namque ea majores ſemper deteſtatos eſſe, Salviano auctore diximus, ut non ſinerent, quemquam tingi ſacro baptiſmate, niſi ſolemni ritu abrenuncians Satanæ, ac pompis ejus, ſpectaculis pariter diſertis verbis ſe renunciare profiteretur. At vindex perjurii Deus, & prævaricationis ultor, cum nec per Wiſigothos, Wandalos, Erulos, & Oſtrogothos Romanam urbem invadentes, ejuſmodi ſpectacula e Gentilitia ſuperſtitione manantia aboleri potuiſſe conſpiceret, Longobardos tandem immiſit, qui in Urbem diuturna obſidione invadentes, multiſque modis vexantes, ut tandem exoleverint Circenſes ludi, effecerunt, jamque friguerit ardens libido illa parandorum ſpectaculorum; ſicque factum, ut hujuſmodi officinæ demonum penitus vacuæ redderentur, & non eſſet amplius, qui hujuſcemodi diabolicas nundinas frequentaret. At de his hactenus.

CPoli ob fidem catholicam rixæ excitantur, & in Macedonium Epiſc. inſidiæ.

2. Incendium aliud paſſa eſt urbs Coſtantinopolitana hoc anno: *Orto in Auguſta urbe incendio utramque porticum a foro Conſtantini uſque ad Perdicæ tenuiſſimam ſtatuam, ignis in pulverem redegit.* Sed aliud longe funeſtius incendium ab ipſo Im-

Imperatore Anaſtaſio excitatum eſt, quo non ſolum urbem Regiam, ſed totum Orientale Imperium depaſtum eſt, ob patrocinium Acephalorum ſuſceptum, & turbas in Orthodoxos excitatas, de quibus Theophanes hoc anno hæc habet: *Hoc anno Monachi quidam hæretici numero ducenti ab Oriente Bizantium cum impio Severo transfretati, inſidias Macedonio, & Synodo damnationem parabant. Iſtos Anaſtaſius cum honore ſuſcepit, ceu veritatis adverſarios, qui totum conturbarent Orientem, & eadem pariter forent hic molituri. Joannes autem Alexandriæ Epiſcopus ducentas auri libras Imperatori ſe daturum pollicitus eſt, ſi modo celebratam Chalcedone Synodum funditus abrogaretur. Imperator itaque Macedonium cum Joannis Legatis communionem habere cogebat, & Joanni ipſi, qui nec reciperet, nec reſpueret Synodum, pacem dare. In adverſum oppoſuit ſe Macedonius dicens: Nullam ſe communionem iis impertiri, niſi matrem & magiſtram profiterentur Chalcedonenſem Synodum. Deuterius porro Arianorum Epiſcopus quempiam nomine Barbarum baptizare paratus, repugnante licet Dominica traditione, verba iſtiuſmodi proferre auſus eſt: Baptizatur Barbarus in nomine Patris, per Filium, in Sancto Spiritu: & confeſtim exaruit piſcina. Barbarus terrore perculſus fugæ ſe dedit, & omnibus poſtmodum quod contigerat miraculum manifeſtavit. In his Imperator Macedonium Conſtantinopoli Præſulem habitum olim Chalcedone Synodum reprobare, quemadmodum & Hieroſolymorum Epiſcopum Elium cogebat. Ad hæc Macedonius: Citra univerſalem Synodum, cui primus aſſideret Romanus Epiſcopus, id ſe exequi non poſſe referebat. Quibus Imperator exaſperatus, immunitatis quærendæ cauſa confugientes in Eccleſiam per vim abripi juſſit, & libertatis hujuſmodi Hæreticorum Fanis conceſſit jura. Quilibet autem, tam e Clero, quam e plebe Byzantii degentes Hæretici Severo atque hæreticis iſtis Orientis in oppugnando Macedonio præſtabant operam; ex quo Deiferi Palæſtinæ Monachi divino moti affectu, Severum, & ejus aſſeclas Monachos confutaturi Conſtantinopolim convenerunt.*

Dorotheus Alex. monachus pro ſynodo Chalced libellum affert Imperatori, a quo in Milium relegatur.

3. Ut ad ſaniorem mentem inſanum Imperatorem revocaret, *Dorotheus Alexandrinus monachus, pro Chalcedonenſis ſynodi defenſione volumen ingens a ſe conſcriptum Magnæ Anaſtaſii fratris ſponſæ rectum de fide ſenſum illuc uſque ſer-*

Jesu Chr. an. 509. *ſervanti obtulit, quem ipſa Anaſtaſio obtulit; ille* (Anaſtaſius Imp. ſcilicet) *libro perlecto, cum præter opinionem opus digeſtum animadverteret, Dorotheum in Oaſim ablegat, & flocci fecit librum, quod gereret inſcriptum, Tragedia, hoc eſt Prophetia præſentium rerum. . . , quemadmodum a Magno etiam Baſilio adverſus Julianum pronunciatum narrant. Cæterum Macedonius Flavianum Anthiochenſem, & quicumque contra Synodum leviter oblatrarent, anathematum fulmine percellebat. Flavianique legatos ob quædam negotia ſe convenientes execrationibus ſuppoſitos e conſpectu amovit.* Hæc Theophanes de Flaviano, quem aliquando a veritatis tramite devium ſupra diximus. Sed ab errore tandem reverſus, facti pænitens, Fidei catholicæ atleta fortis evaſit, idque ex eo etiam conſtat, quod inter eum, & Senajam, inter hæreticos vaferrimum, graviſſimæ interceſſerint ſimultates, eumque Senajas hæreticum dicebat, a quo perſequutionem fidei cauſa paſſum ſe gloriabatur in epiſtola ad monachos Simonenſes.

Saraceni Alamanduro Duce Palæſtinam vaſtant.

Martyrolog. Rom. die 19. Feb.

4. Seculo ineunte quarto Saracenorum natio, cui Mauvia Regina imperabat, fidem catholicam ſuſceperat. Horum primus Epiſcopus Moyſes fuit, ut ibidem dictum eſt; ſed cum Saracenorum gens in varias tribus diſtincta eſſet, pars maxima in Idolorum cultu adhuc perſeverabat: hinc factum, ut hoc anno Saraceni Alamanduro duce Palæſtinam excurrentes, monachorum plurimos vel occiderent, aut in ſervitutem abducerent; de quibus hæc narrat Romanum Martyrologium: *In Palæſtina commemoratio Sanctorum Monachorum, & aliorum Martyrum, qui a Saracenis ſub duce Alamanduro ob fidem Chriſti ſæviſſime cæſi ſunt.* Rem geſtam fuſius narrat Cyrillus monachus in vita S. Joannis Silentiarij: *Eodem tempore Alamandurus Sicies, qui accepit Regis auctoritatem in Saracenos ſubjectos Perſis, invaſit Arabiam, & Palæſtinam cum magna ira in Romanos, omnia diripiens, & multa hominum millia abducens in ſervitutem, & multa faciens nefaria, poſtquam capta fuerat Amidu. Cumque multitudo barbarorum diſperſa eſſet per hanc ſolitudinem, iique quibus mandatu fuerat cuſtodia ſolitudinis denunciarent, ut caveretur barbarorum irruptio in monaſteria; maximæ Lauræ Patres ſignificarunt venerando Patri, ut deſiſteret quidem ipſe Joannes in Ruba vitam degere, veniret autem ad Lauram, & quie-*

Digitized by Google

& quieſceret in ſua cella. At divinus quidem Joannes, qui per quietem divinam guſtarat dulcedinem, eam lubenter ſequebatur, & non poterat in animum inducere, ut eam relinqueret, apud ſe hæc reputans, & dicens: Si Deus mei curam non gerit, quid vivo? Et ſic Altiſſimum ponens ſuum refugium ſecurus manſit, nec ſua ſpe fruſtratus eſt, nam Deus miſit cuſtodem leonem maximum & horribilem, qui eum diu, noctuque cuſtodiret ab immanium barbarorum inſidiis. Atque prima quidem nocte, cum leonem vidiſſet Joannes prope dormientem, extimuit. Cum autem animadvertiſſet diu noctuque ſequentem Leonem, & ab eo non avelli, & propulſare barbaros, maximas Deo gratias egit. Paulo tamen poſt, cum novam Lauram conſtituiſſet Sabas, Joannem adiit, eique perſuaſit, ut in eam tranſiret, & *clauſit eum in cella, cum ageret quinquageſimum ſextum annum ſuæ ætatis, nullo alio ex conventu cognoſcente eum eſſe Epiſcopum*.

JESU CHR. AN. 509.

JESU CHRISTI AN. 510. SYMMACHI PAPÆ 13. ANASTASII IMP. 20. THEODORICI REGIS 18.

1. Annus Domini quingenteſimus decimus conſulatu Boetii illuſtris fuit, cui aliqui addunt Eethariсum, auctoritate ducti legis decimæ Codice de Hæreticis, at Faſti ſolum Boetium exhibent; cumque Anno 487. inter conſules Boetius legatur, hinc ſuſpicio oritur an idem fuerit Flavius Anicius Manlius Torquatus Severinus Boetius, nobilitate generis, æque ac Philoſophiæ ſtudio inſignis, quod etſi aliqui affirment, plures tamen ab altero Boetio hunc diſtinguendum eſſe contendunt, cum nullibi Boetii conſulatus cum numerali nota ſecundum legatur. De Boetii conſulatu extat gratulatoria Ennodii epiſtola, qua ejus laudes proſequitur: *Optimæ ſpei plenus, cui fauſtum cupio, ad curam officii epiſtolaris adſpiro. Decet enim veſtris faſcibus hac præfatione delibari, & inter purpuras poſſeſſoris luce clarentes, qualitumque non abſtinere colloquio*; poſt aliqua: *Deo ergo omnipotenti gratias, qui in vobis, dum vetera familiæ veſtræ bona cuſtodit, nova multiplicat, & quod plus eſt apice dignitatis dignos facit eſſe culminibus. Redditur quidem veſtræ gloria iſta origini, ſed quod eſt clarius merito impetrante perſonæ &c.*

De Boetio Conſule *Bar. Panvin. Relandus Baſnag.*

Hæc

JESU CHR. AN. 510. Procop. de bello Goth. lib. 1. cap. 1.

Hæc & alia de Boetii laudibus Ennodius, quem etiam laudat Procopius una cum ejus genero Symmacho. *Symmachus, ejuſque gener Boetius, nobiliſſimo loco nati, iidemque viri conſulares in Senatu eminebant. A Philoſophia nemo erat illis inſtructior, nemo ſtudioſior æquitatis. Accedebat benignitas, qua inopiam tum civium, tum peregrinorum levabant. Hinc magnam adepti gloriam, ſibi invidiam accumularunt apud homines acerbiſſimos, quorum calumniis inductus Theodoricus, ambos ſtudii novarum rerum inſimulatos morte affecit, eorumque bona publicavit*. De eorum interitu dicemus infra.

De Boetii ſtudiis.

2. Præceteris autem ſuæ ætatis ſcriptoribus Græca lingua excelluit Boetius, qui decem & octo annorum ſpatio Athenis Philoſophiæ vacavit, qui etiam Ariſtotelis opera in latinum tranſtulit, ut ipſe teſtatur: *Ego omne Ariſtotelis opus, quodcumque in manus venerit, in Romanum ſtylum vertens, eorum omnium commenta latina oratione præſcribam: ut, ſi quid ex logicæ artis ſubtilitate, vel ex moralis gravitate peritiæ, & ex naturalis acumine veritatis ab Ariſtotile præſcritum eſt, id omne ordinatum transferam, atque id quodam lumine commentationis illuſtrem*: ejuſque opera, & ſtudio factum eſt, ut in Romanorum cognitionem Græcorum philoſophia & artes tranſirent. Unde Theodoricus Rex ad eum ſcribens ajebat: *Sic enim Athenienſium ſcholas longe poſitus introiſti: ſic palliatorum choris miſcuiſti togam, ut Græcorum dogmata doctrinam feceris eſſe Romanam. Didiciſti enim, qua profunditate cum ſuis partibus ſpeculativa cogitetur: qua ratione Activa cum ſua diviſione diſcutur: deduces ad Romuleos ſenatores, quicquid Cecropidæ mundo fecerant ſingulare. Tranſlationibus enim tuis Pythagoras Muſicus, Ptolomæus Aſtronomus leguntur. Itali Nicomachus, Arithmeticus, Geometricus, Euclides audiuntur Auſoniis. Plato Theologus, Ariſtoteles Logicus Quirinali voce diſceptant. Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidiſti. Et quaſcumque diſciplinas, vel artes facunda Græcia per ſingulos viros edidit, te uno auctore, patrio ſermone Roma ſuſcepit.*

Apud Caſſiod. lib. 1. epiſt. 45.

Clodoveus regulorum morte ſuum Regnum amplificat. Greg. Tur lib. 2. cap. 41. & ſeq.

3. Clodovens interea Francorum Rex Alarici Regno pro parte maxima potitus, ut anno proximo diximus, in Regulos, quos vicinos habebat, arma convertit, eorumque Regna occupavit, ut narrat Gregorius Turonenſis. Imprimis adverſus Sigibertum, qui Coloniæ regnabat, Clodericum

Jesu Chr. an. 510.

ricum filium in Patrem armavit, qui immiſſis percuſſoribus dormientem interemit, ſpe eidem facta a Clodoveo potiundi Regni Paterni. At Clodoveus, hoc quoque e medio ſublato, Regnum ejus invaſit. Chararicum etiam Morinorum Regem una cum filio dolo captos occidit. Denique Regnacarium, qui Cameraci regnabat, & Ricarium fratrem ejus propinquos ſuos, ac Regnomerum apud Cennomanos degentem morti tradidit, quorum omnium, & regna, & theſauros in ſuam tranſtulit poteſtatem, ut pluribus Gallici hiſtorici ad hæc tempora narrant.

Colut. ann. Franc. an. 510 Daniel hiſtoire de Franc. pag. 54.

4. Quo ad res Orientales, adnotare juvabit, urbem Regiam ſeditionis incendio pene conflagraſſe; cum etenim Imp. Anaſtaſius catholicos vexare, ac præcipue in Macedonium Epiſcopum inſidias ſtruere non ceſſaret, plebs fidei tuendæ zelo accenſa, in Imperatorem convicia jaciens vix a ſeditione ſe temperavit. *Multas fraudes, atque inſidias adverſus Macedonium Imperator excogitavit, Schiſmatici vero cum turbam perditorum hominum mercede conductam in unum congregaſſent, die Dominico ingreſſi ſunt in ædem Archangeli, quæ eſt in Palatio. Cumque Pſaltæ hymnum Terſanctum canerent, ipſi cum appendice illa: Qui Crucifixus es pro nobis: reſpondentes cecinerunt. Sequente item Dominica, in magna Eccleſia idem fecere, cum baculis introgreſſi. Populus vero zelo ſuccenſus, & convitiantibus convitia regerere cœpit. Poſtea vero plagis eos, ac verberibus affecit. Poſt hæc Imperator aperte Macedonium impugnans, nunc ſchiſmaticis monachis, nunc magiſtratibus auctor fuit, ut turpibus convitiis inclamantes Epiſcopum appeterent. Inter hos erat Julianus Epiſcopus Halicarnaſſi urbis Cariæ, & Severus Monachus; qui & fidei, & ſuimetipſorum hoſtes extiterunt. Populi vero innumerabilis multitudo cum uxoribus ac liberis, adjunctis ſibi Præfectis orthodoxorum Monachorum, per vicos urbis conclamabat: Chriſtiani, tempus adeſt martyrii. Nemo Patrem deſerat. Convitiabantur etiam Imperatori, Manichæum illum vocantes, & indignum Imperio. Tunc Imperator metu perculſus, portas palatii undique occluſit, & navigia palatio admoveri juſſit ad fugam capeſſendam; deinde Macedonium ipſum ad ſe vocatum, ut commotam plebem contineret, enixe rogavit.* Tunc Anaſtaſius ſimulatione utens, ut imminens periculum vitaret, eccleſiæ viſus eſt reconciliari.

Novæ inſidiæ Macedonio CP Patriarch. ſtruuntur. *Theodor. Lect. lib. 2. 26.*

Simu-

Jesu Chr. an. 511. Vitalianus inſurgit adverſus Imperat. Vict. Tun. in Chron.

Simulate tamen hæc geſſit Imperator, ut geſta impoſterum demonſtrabunt. Eadem de cauſa, ut ſcribit Tunonenſis ſub Boetii conſulatu: *Vitalianus Patricioli filius fidei catholicæ ſubvertionem, & ſynodi Chalcedonenſis damnationem, remotioneſque orthodoxorum Epiſcoporum, atque ſucceſſiones hæreticorum cognoſcens, virorum fortium validam manum congregat, & Imperio Anaſtaſii rebellat*: hoc civile bellum nonniſi ann. 516. extinctum eſt, ut infra videbimus, ſicque Imperator hæreticus dum adverſus eccleſiam bella gerit, bella, & ſeditiones ſuſtinere coactus eſt.

JESU CHRISTI an. 511. Symmachi Papæ 14. Anastasii Imp. 21. Theodorici Regis 19.

De Conſulibus hujus anni. *Theoph. in Cronog. pag. 125. 137.*

1. Undecimus annus ſupra quingenteſimum clariſſimos habuit conſules Secundinum in Oriente, Felicem in Occidente. Prior uxorem habuit Magnam Anaſtaſii Imperatoris ſororem. Felix origine Gallus, nobilitate clarus a Theodorico Rege laudatur in epiſtola, quam de ejus electione ad Anaſtaſium ſcripſit: *Felix a conſule ſumat annus auſpicium*, (ad conſulis nomen alludens) *dignus plane largitatibus noſtris, qui in ipſo pueritiæ flore maturis moribus lubricam frænavit ætatem. Amborum judicio dignus eſt eligi, qui tantis faſcibus mereretur augeri*; hæc de ejus meritis, de genere vero addit: *Agnoſcat curia tranſalpini ſanguinis decus &c.* Ex hoc mutuo epiſtolarum commercio Theodoricum inter & Anaſtaſium conſtat, renovatam inter utrumque fuiſſe pacem, ſuperioribus annis interruptam, ob occupatam a Theodorico Pannoniam Sirmienſem, uti anno 509. adnotavimus.

De ſynodo Aurelianenſi prima ejuſque canonibus. *Hincm. de rebus geſtis S. Remigii.*

2. Gallico Regno potitus Clodoveus, pace cum Theodorico inita, enecatis quotquot circum ſe vicinos habebat Regulos, ut diximus, ad res eccleſiæ animum convertit; & hortatu Beati Remigii, quem ut Patrem venerabatur, Epiſcopos Aurelias congregavit, ut quæ pro Eccleſiæ utilitate ſtatuenda erant, communicatis conſiliis ſtatuerent. Unde in epiſtola ad Regem hæc congregati Epiſcopi præfantur: *Quia tanta ad Religionis catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in unum colligi juſſeritis, ſecundum voluntatis veſtræ conſultationem, & titulos quos dediſtis, ea quæ nobis viſum eſt definitione reſpondimus; ita ut ſi ea, quæ nos ſta-*

ſtatuimus etiam veſtro recta eſſe judicio comprobantur &c. Poſt plurima in eamdem rem canones 31. vulgarunt ad eccleſiaſticam reſtituendam diſciplinam, variis bellorum tumultibus labefactatam, vel clericorum moribus corrigendis aptiſſimos, quorum tres primi immunitatem eccleſiarum, & azilum reis ſervandum pertinent, iiſque cautum eſt, ne adulterii, aut homicidii rei, vel raptores, aut ſervi ad eccleſiam confugientes, traderentur, niſi accepta cautione, quod ſalva iis, & vita, & integritas membrorum ſervaretur. JESU CHR. AN. 511.

IV. De ordinationibus Clericorum ſtatutum eſt, ut nullus ſecularium ad clericatus officium aſſumatur, niſi aut cum regis juſſione, aut cum judicis voluntate: clericorum autem filii in Epiſcoporum poteſtate, ac correctione erunt.

V. Oblationes & poſſeſſiones eccleſiis ab ipſo Rege, factas, aut faciendas, ut in reparandis eccleſiis, alimoniis ſacerdotum, & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendantur, jubetur.

VI. Si quis ab Epiſcopo, vel de Eccleſiæ, vel de proprio jure crediderit aliquid repetendum, pro ſola conventione, a communione Eccleſiæ non liceat eum ſubmoveri.

VII. Abbatibus, Presbyteris, omnique clero ſine examine, vel commendatione Epiſcoporum, pro petendis beneficiis, ad domnos venire non liceat; alioquin, tamdiu loci ſui honore, & communione privetur, donec debitam ſatisfactionem ab eo ſacerdos accipiat.

VIII. Si ſervus, abſente, aut neſciente Domino, & Epiſcopo ſciente, Diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipſo in clericatus officio permanente, epiſcopus eum domino duplici ſatisfactione compenſet. Si vero epiſcopus eum ſervum eſſe neſcierit, qui teſtimonium perhibuit, aut eum ſupplicaverit ordinari, ſimili redhibitioni teneatur obnoxius.

IX. Si diaconus, aut presbyter, crimen capitale commiſerit, ſimul & officio, & communione pellatur.

X. Clerici, qui ad fidem catholicam plena fide, ac voluntate venerint, vel de baſilicis, quas in perverſitate ſua Gothi hactenus habuerunt; id obſervetur, ut ſi laudabili vixerint morum & actuum probitate, officium, quo eos epiſcopus dignos eſſe cenſuerit, cum impoſitæ manus benedictione ſuſcipiant: & eccleſiæ ſimili, quo noſtræ innovari ſolent, conſecrentur.

XI.

JESU CHR. AN. 511.

XI. De his, qui ſuſcepta pœnitentia religionem ſuæ profeſſionis obliti, ad ſæcularia relabuntur, placuit eos & a communione ſuſpendi, & ab omnium catholicorum convivio ſeparari. Si quis cum eis præſumpſerit manducare, & ipſe communione privetur.

XII. Diaconus, aut presbyter pro reatu ſuo ab altaris communione ſuſpenſus, neceſſitate cogente, baptiſmum conferat.

XIII. Mulier a presbytero, vel Diacono relicta, ſi alteri nupſerit, & in criminum intentione perſtiterint, pari excommunicatione ambo plectantur.

XIV. Antiquos Canones relegentes, priora ſtatuta credidimus renovanda, ut de his, quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem ſibi Epiſcopus vindicet, & medietatem diſpenſandam ſibi ſecundum gradus clerus accipiat, prædiis de omni commoditate in epiſcoporum poteſtate durantibus.

XV. De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculis fideles obtulerint, antiquorum Canonum ſtatuta ſerventur, ut omnia in epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his tamen, quæ in altario acceſſerint, tertia fideliter epiſcopis deferatur.

XVI. Epiſcopus pauperibus, vel infirmis, qui non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtitum, inquantum poſſibilitas habuerit, largiatur.

XVII. Baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur, in ejus epiſcopi, in cujus territorio ſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant.

XVIII. Ne ſuperſtes frater torum defuncti fratris aſcendat, neve ſe quiſquam amiſſæ uxoris ſorori audeat ſociare, quod ſi fecerint, eccleſiaſtica cenſura feriantur.

XIX. Abbates pro humilitate religionis in epiſcoporum poteſtate conſiſtant; & ſi quid extra regulam fecerint, ab epiſcopis corrigantur: ac ſemel in anno, in loco ubi epiſcopus elegerit, accepta benedictione, conveniant. Monachi autem Abbatibus omni ſe obedientiæ devotione monaſtica diſciplina ſubjiciant. Quod ſi quis per contumaciam extiterit indevotus, aut per loca aliqua evagari, aut peculiare aliquid habere præſumpſerit, omnia quæ acquiſierit, ab Abbatibus auferantur, ſecundum regulam monaſterio profutura. Ipſi autem, qui

qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Epiſcopi tanquam fugaces ſub cuſtodia revocentur. Et reum ſe ille Abbas futurum eſſe cognoſcat, qui hujuſmodi perſonas non regulari animadverſione diſtinxerit, vel qui monachum ſuſceperit alienum.

XX. Monacho uti orario in monaſterio, vel zangas habere, non liceat.

XXI. Monachus ſi in monaſterio converſus, vel pallium comprobatus fuerit accepiſſe, & poſtea uxori fuerit ſociatus, tantæ prævaricationis reus, nunquam eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.

XXII. Nullus Monachus, congregatione monaſterii derelicta, ambitionis & vanitatis impulſu, cellulam conſtruere ſine Epiſcopi permiſſione, vel Abbatis ſui voluntate præſumat.

XXIII. Si Epiſcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas, clericis vel Monachis præſtiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamſi longa tranſiſſe annorum ſpatia comprobentur, nullum Eccleſia præjudicium patiatur, nec ſæcularis legis præſcriptio, quæ Eccleſiæ aliquid impediat, opponatur.

XXIV. Id a Sacerdotibus omnibus decretum eſt, ut ante Paſchæ ſolemnitatem, non quinquageſima, ſed quadrageſima teneatur.

XXV. Ut nulli civium Paſchæ, Natalis Domini, vel quinquageſimæ ſolemnitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.

XXVI. Cum ad celebrandas Miſſas in Dei nomine conveniтur, populus non ante diſcedat, quam Miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.

XXVII. Rogationes, ideſt litanias ante Aſcenſionem Domini, ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari; ita ut præmiſſum triduanum jejunium, in dominicæ Aſcenſionis feſtivitate ſolvatur: per quod triduum ſervi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat: quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.

XXVIII. Clerici vero, qui ad hoc opus ſanctum adeſſe contempſerint, ſecundum arbitrium Epiſcopi, eccleſiæ ſuſcipiant diſciplinam.

XXIX. De familiaritate extranearum mulierum, tam Epiſcopi, quam Presbyteri, vel Diaconi, præteritorum Canonum ſtatuta cuſtodiant.

XXX. Si quis Clericus, monachus, ſæcularis, divina-

JESU CHR. AN. 511.

tionem, vel auguria crediderit obſervanda, vel ſortes, quas mentiuntur eſſe Sanctorum, quibuſcumque putaverint intimandas, cum his, qui eis crediderint, ab Eccleſiæ communione pellantur.

XXXI. Epiſcopus ſi infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſia, cui proximus fuerit, die dominico abeſſe non liceat.

Epiſcopi ſanctitate clari, qui Synodo Arelat. interfuerunt.

4. Hactenus Concilii Aurelianenſis canones, cui ſubſcripſerunt duo & triginta Epiſcopi, ſcilicet Cyprianus Burdigalenſis, qui concilio præfuit, deinde Tetradius Barcinonenſis, Licinius Turonenſis, Leontius Eluſanus, Gildaredus Rethomagenſis, qui omnes Metropolitani erant: ſequuntur ceteri, inter quos quamplurimi ſanctitate celebres, Aventinus Carnotenſis Epiſcopus, cujus vita legitur apud Bollandum, Principius Cenomanenſis, qui colitur 16. Kal. Octob., Cammillianus Epiſcopus Trecenſis, cujus memoria recolitur quinto Kal. Auguſti, Livanius Sylvanutenſis, qui ſeptimo idus octobris, Quintianus Ruthenenſis, & poſtea Arvernorum Epiſcopus, qui colitur a Rutenis die 17. Kal. Aug., & ab Arvernis idibus Novemb. Eufraſius Epiſcopus Arvernenſis, quem Turonenſis Sanctum appellat. Denique Sanctus Melanius Epiſcopus Rhedionenſis in Britania minori, cujus vitam ab antiquo auctore ſcriptam recitat Bollandus, in qua capite ſecundo dicitur: Melanium in refellendis hæreticorum objectionibus, atque in conſtituendis catholicæ fidei *ſaniſſimis ſententiis, inter omnes enituiſſe*: qui mortuus eſt anno 530. aut in ſequenti.

De tempore hujus concilii.

5. Hujus concilii epocham certo ſcimus ex Cypriani ſubſcriptione, quæ teſte Sirmondo in multis MSſ. Codicibus legitur in hunc modum: *Cyprianus in Chriſti nomine Epiſcopus eccleſiæ Burdigalenſis Metropolis canonum ſtatuta noſtrorum ſubſcripſi, ſub die VI. idus Julias, Felice viro Clariſſimo conſule*. Hujus ſubſcriptionis occaſione, quæritur ab eruditis hiſtoricis, præſertim Gallis, num in Galliis conſulatus nota adhiberetur. Cum Francorum Reges Imperio Romano non ſubeſſent, negativam tuetur Cointios, eaſque conſulares notas, ſi quando in conciliis leguntur, ſuppoſititias fuiſſe putat, ea potiſſimum ratione ductus, quod Gallici ſcriptores, uno excepto Mario Averticenſi Epiſcopo, qui Chronicon ſuum per conſules digeſſit, quia illud Proſperi chronico ſubjecit, qui per conſules ſuum diſtinxerat, annos aliter deſignare conſueverunt. Pagius econtra has con-

conſulares notas a Gallicanis Patribus ſæpe appoſitas contendit, idque multis confirmat exemplis, non tam ex Gallia, ſed etiam ex aliis provinciis Romano Imperio non ſubditis, extantque adhuc in Gallia inſcriptiones quamplurimæ cum nota conſulari, ut videre eſt apud eum; niſi ergo dicamus omnes has notas ſuppoſititias eſſe, nil mirum, ſi aliquando in ſynodis eam Epiſcopi quoque adhibuerunt.

6. Ab Aurelianenſi ſynodo ad Clodoveum redimus, atque adnotamus eum hoc anno, *Quinto Kal. Decembris*, ex hac vita exceſſiſſe, ut in duobus veteribus Calendariis legitur. *Depoſitio Magni Regis Clodovei*, qua die in templo ſanctæ Genovefæ, ubi ſepultus eſt, annua ſuffragia adhuc celebrantur. Annus in chronico Sancti Vincentii Metenſis deſignatur his verbis: *Felice conſule*, (hoc ſcilicet anno) quæ ſententia nunc inter eruditos communis eſt. De ejus morte hæc narrat Gregorius Turonenſis: *His ita tranſactis apud Pariſios obiit, ſepultuſque eſt in baſilica Apoſtolorum, quam cum Chrotilde Regina ipſe conſtruxerat. Migravit autem poſt Vocladenſe bellum anno quinto, fueruntque omnes dies Regni ejus triginta anni; a tranſitu ergo S. Martini uſque ad tranſitum Clodovei Regis, qui fuit undecimus annus Epiſcopatus Zicini Turonici Sacerdotis, ſupputantur anni centum duodecim.* Fredegarius etiam in epitome tradit Clodoveum obiiſſe poſt Vogladenſe bellum anno V. Regnum tenuiſſe annis 30. & a tranſitu S. Martini uſque ad tranſitum Clodovei fieri annos 112. Quare Clodoveum hoc anno obiiſſe extra dubium eſt, ait Pagius.

Mors Clodovei Regis.

Greg Tur. lib. 2. cap. 43.

7. Clodovei Epitaphium exhibet Aimonius his verſibus:

Dives opum, virtute potens, clarusque triumpho,
Condidit hanc Sedem Rex Clodoveus. Et item
Patricius magnus ſublimis fulſit honore,
Plenus amore Dei, contempſit credere mille
Numina, quæ variis horrent portenta figuris.
Moxpurgatus aquis, & Chriſti fonte renatus,
Fragrantem geſſit infuſo Chriſmate crinem.
Exemplum dedit, ſequitur quod plurima turba
Gentilis Populi, ſpretoque errore ſuorum,
Auctorem eſt cultura Deum, verumque parentem.
Hic felix mentis ſuperavit geſta piorum,
Semper conſilio, caſtris, belliſque tremendus,

Pagius not. 7. anni 514.

Clodovei epitaphium.

 Con-

Digitized by Google

Jeſu Chr. An. 511.

Hortatu dux ipſe bonus, ac pectore fortis,
Conſtructas acies firmavit in agmine primo.

Recentioris tamen ævi Clodovei Epitaphium eſſe putat Cointius.

Clodovei Regnum in quatuor partes diviſum.

8. Clodoveo mortuo, Crotildis ejus uxor, *Turonos venit*, ibique ad baſilicam S. Martini *deſerviens*, *cum ſumma pudicitia atque benignitate in hoc loco morata eſt omnibus diebus vitæ ſuæ, raro Pariſios viſitans*. Regnum ſuum quatuor filiis Clodoveus reliquit: *Defuncto Clodoveo Rege*, quatuor filii *ejus, ideſt Theudericus, Clodomeris, Childebertus, atque Chlotarius Regnum ejus accipiunt, & inter ſe æqua lance dividunt. Habebat jam tunc Theudericus filium nomine Theodobertum elegantem atque utilem*. Horum primum ſcilicet Theodericum habuerat Clodoveus ex uxore, ſive concubina, antequam Crotildi nuberet, alios tres ex eadem Regina ſuſceperat. De Regni diviſione hæc Fredegarius refert: *Sortitus eſt ſedem Theudericus Mettis. Clodomeris Aurelianis. Childebertus Pariſios, & Chlotarius Sveſſionis*.

9. Dum autem de Theoderico Clodovei filio ſermo occurrit, referre hic juvat, quomodo ejus filia vitæ ſit reddita, ipſe vero ab oculorum vulnere ſanatus ſit a Beato Theodorico Abbate, diſcipulo S. Remigii, cujus vitam ex mſſ. Cod. vulgavit Mabillonius. Theodoricus itaque humili genere natus, qui immo, teſte Trodoardo, *in Remenſi pago Alamannorum Corte, patre latrone velut roſa ſpinarum procreatur horrore; qui enim fortia quæque confundens, humilia Mundi elegit, hunc non ex ſuperbo ſanguine generari voluit*, ut in ejus vita legitur, tranſacta laudabiliter infantia, cum ad pubertatem perveniſſet, ut parentum voluntati obſequeretur uxorem duxit, cum propoſito tamen virginitatis cum ea ſervandæ. At cum ejus votis ſponſa reſiſteret, pacificis ei verbis valedicens, ait: *Tu ſponſo*, inquit, *utere terreno, quoniam mihi ſedet animo, ſic tranſire per terram hujus peregrinationis, ut ſequi merear Agnum, cantando canticum novum indefeſſa voce in Cœlis*, eaque relicta, urbem Rhemenſem petit, conſilium quæſiturus a Suſſanna Abbatiſſa congregationis virginum, quibus Remigius præerat. Interea accidit, ut Theodorici ſponſa, Remigii conſilio, & exhortatione virginitatem voveret, ipſe vero cœnobium in monte Or prope Rhemos ædificavit, in quo Pater ſpiritualis plurimorum effectus eſt monachorum. Sacerdos deinde a S. Remigio ordina-

Digitized by Google

dinatus, cum verbi prædicatione plurimos ex vitiis ad chriſtianam vitam revocaſſet, inter ceteros patrem quoque ſuum convertit, quem ex *laico monachum*, de lupo ovem, *de latrone datorem largiſſimum*, *& de ſervo diaboli Chriſti fecit libertum*.

Theodoricus Regis filiam mortuam reſuſcitat.

10. Defuncto autem Rege Clodoveo, cum Theodericus regni gubernacula ſuſcepiſſet, pro filia, quæ gravi incommodo tenebatur, ad Rhemigium miſit obnixe deprecans, ut ad eam veniret, & languore liberaret. Sed ſanctus Remigius moleſtia quadam corporis detentus, beato Theodorico, quem pie enutrierat, & divinis doctrinis inſtruxerat, quemque gratia curationum repletum eſſe ſciebat, ad regis filiam curandam miſit; dumque iter ageret, triſtes Regis nuncii occurerunt, dicentes ne ultra progrederetur, cum jam puella obiiſſet. At Theodoricus iter proſequens, cubiculum, ubi puella mortua jacebat, ingreſſus, elevatis ad cælum oculis, & manibus, preces Deo in cubiculo devotus cum lacrymis perſolvit: & ad corpus exanime accedens, oleo ſancto in morem reconciliantis quinque corporis ſenſus tactu pollicis illinit. Mirum in modum ſubito membra mortua in redivivam redeunt formam, oculi aperiuntur, vox refertur, & vitæ redditam ſimul cum ſanitate ſe eſſe, puella precibus beati Theodorici omnibus prædicat. *Accurrit Rex cum matre ſtupens miraculum, palatium omne exultat, familia gaudens tripudiat, dum vident vitæ iterum mortali redditam, quam plangebant paullo ante a conſpectibus humanis ſubtractam. Veneratur Sanctus tunc a Rege, & Conſulibus, glorificatur a palatinis omnibus, & laude attollitur a turmis vulgaribus. Cujus animum jubilationis gaudium non perfudit? Cujus de circumſtantibus os lacrymæ lætitiæ non rigaverant?* Pro tanto accepto beneficio, Theudericus Rex Remigio Villam Venderas ſuper fluvium Maternam dedit, Gaugiacum vero in pago Rhemenſi ſitum S. Theodorico donavit dicens: *Hoc parvum munuſculum, præclare famule Dei, tibi & ſub tua gubernatione doctrinaque degentibus prompto animo confirmamus; monentes & obſecrantes, ut dum hoc corporalibus augmentis creveritis, pro nobis, & parentum animarum remedio, ac prole conceſſa, & ſtabilitate Regni ſervanda, preces Deo in ara cordis, & quoties ad altare acceſſeritis, toties offerre non pigeatis, quatenus unde nobis robur corporis adoleverit, inde anima*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 511. *anima paſtu ſpiritali repleatur*. Hæc Theodericus Rex, qui cum poſtmodum oculorum dolore vexaretur, nullaque recuperandæ ſalutis in medicorum arte ſpes fulgeret, a B. Theodorico mirabiliter ſanatus eſt; ut pluribus narrat vitæ auctor.

De S. Quintiano ejuſque virtutibus.

11. Sub eodem Theoderico Rege alii plurimi ſanctitate & doctrina præſtantes viri floruerunt, ex quibus Quintianus Ruthenenſis primum, deinde Arvernenſis, Epiſcopus recenſetur, de quo hæc Gregorius Turonenſis: *Quintianus Afer natione, & ut quidem volunt, nepos S. Fauſti Epiſcopi*, (ex Africa profugus ut videtur ob Vandalorum perſecutionem tunc graſſantem) *qui genitricem ſuam ſuſcitaſſe perhibetur, ſanctitate præditus, virtutum dote fulgidus, charitatis igniculo fervidus, caſtitatis flore præcipuus, ad Epiſcopatum Ruthenæ eccleſiæ eligitur, expetitur, ordinatur*, cum eam eccleſiam aliquot annis ſanctiſſime gubernaſſet, ſubſcriptus legitur Agathenſi ſynodo anni 506., & Aurelianenſi hoc anno habitæ. Sed cum Ruthenam civitatem Theodericus occupaſſet, Gothi eum interficere cogitarunt, quod periculum præſentiens vir Dei, Arvernos tranſiit, & anno 515. mortuo Eufraſio Epiſcopo, in ejus locum ſubrogatus eſt, at non multo poſt, orto inter cives, & Epiſcopum ſcandalo: *Gothos, qui tunc in antedicta urbe morabantur, ſuſpicio attigit, quod ſe vellet Epiſcopus Francorum ditionibus ſubdere, conſilioque accepto cogitaverunt eum perfodere gladio. Quod cum viro Sancto nuntiatum eſſet, de nocte conſurgens cum fideliſſimis miniſtris ſuis ab urbe illa egrediens Arvernos advenit, ibique a Sancto Euphraſio Epiſcopo, qui Aprunculo quondam Antiſtiti ſucceſſerat receptus eſt*, cui poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit, ut narrat Gregorius, qui plura de miraculis ab eo tunc geſtis adnotat ibidem videnda; non etenim ſanctorum vitas, ſed eccleſiæ hiſtoriam ſcribimus; de cujus obitu, & ſepultura hæc addit: *Obiit autem perfectus in Sanctitate, & ſepultus eſt in baſilica S. Stephani ad lævam altaris, ad cujus nunc tumulum plerumque quartanæ febris melancholia compreſſa reſtinguitur*.

Theodoricus Ital Rex Hiſpania regnat.

12. Hic annus primus eſt Regni Hiſpanici Theodorici Italiæ Regis, quod per annos 15. tenuit Amalarici nepotis nomine, quod tamen propria auctoritate uſque ad mortem adminiſtravit. Hinc concilium Gerundenſe celebratum anno 517. Agapito conſule, *Septimo Theodorici Regis anno* notatur.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Hiſpanici Regni epocha notanda venit, ut concilia Hiſpaniæ his annis habita, ſuis annis alligari poſſint.

Macedonius in exilium mittitur.

13. Anaſtaſius interea Imperator, qui anno ſuperiori cum Macedonio metu coactus in amicitiam redierat, ſeu potius ſimulaverat, hoc anno, quod jamdiu animo conceperat, tandem exequutus eſt, ac eum per vim abreptum, in exilium miſit, ut Theophanes, aliique hiſtorici narrant. Ex his Evagrium audire præſtat, dum ait: *Poſtquam, inquit, Macedonius Epiſcopalem ſedem adeptus eſſet, Anaſtaſius cautionem ſuam,* (qua ſcilicet jurejurando promiſerat fidem ſe illibatam ſervaturum, nec aliquid novi in eccleſia invecturum, ſi Imperii compos fieret) *reddi ſibi voluit, aſſerens contumeliam fieri Imperio, ſi ſupramemoratum chirographum in eccleſia ſervaretur. Sed cum Macedonius ſtrenue admodum reſiſteret, neque fidem proditurum negaret, omni inſidiarum genere eum appetiit Anaſtaſius, ut Epiſcopatum ei adimeret. Inducti ſunt igitur in judicium pueri quidam calumniatores, qui tum ſe, tum Macedonium turpis flagitii falſo accuſarent. Verum ubi deprehenſum eſt, Macedonio abſciſſa eſſe genitalia, ad alias artes converſi ſunt; donec tandem conſilio Celeris Magiſtri officiorum, clam ex Epiſcopali ſede abceſſit.*

Timotheus in Macedonii locum ſubrogatur.

14. Expulſo Macedonio: *Sequenti luce Timotheum quemdam Presbyterum, & eccleſiæ Scevophilacem* (quem vaſorum cuſtodem Theodorus dicit) *ex quibusdam geſtis nominibus accommodatis, cognomento Litrobalem & celonem declarat Epiſcopum, qui primum Eccleſias ingreſſus, Macedonii depoſuit imagines, atque ita demum ſacris dedit operam; Joannemque Niceotam Alexandrinum* (Chalcedonenſis concilii acerrimum hoſtem) *in eccleſiæ tabulas recenſuit, ſynodicaſque litteras ad eum ſcripſit.* Hæc de Timotheo, qui cum ex iis eſſet, de quibus Apoſtolus ait: *Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*, ſic ipſe pietatem ſimulans, *ſupplicationes publicas, quæ die Paraſceves fiunt in eccleſia Deiparæ, quæ eſt in Chalcopratiis primus excogitavit*, ut habet Theodorus lector, qui etiam ut catholici ſpeciem haberet, *Symbolum fidei trecentorum, & octodecim Patrum, in ſingulis collectis recitari præcepit, in odium ſcilicet Macedonii, quaſi ille non ſuſciperet id Symbolum, quod antea ſemel tantum recitabatur quotannis, die magnæ Paraſceves ſive Dominicæ paſſionis, dum Epiſcopus baptizandos catechizaret.*

Thimoteus qui eſſet.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 511. *zaret.* Id commune ſemper fuit hæreticis, Apoſtolicum, & Nicænum ſymbolum (Arianis exceptis) profiteri coram populo, cum revera catholicam, & Apoſtolicam doctrinam impugnent. Sed inſignem veteratorem fuiſſe Timotheum, ac Imperatoris gratiam ſibi magis in deliciis fuiſſe, quam fidem, ſatis conſtat ex iis, quæ idem Theodorus, & Theophanes narrant. *Cum Præfectus monaſterii Studitarum mortuus eſſet, Timotheus Epiſcopus perrexit ad monaſterium, ut Præfectum illic ordinaret. Sed is qui ordinandus erat, dixit Timotheo, ſe ordinationem ſuſcipere non poſſe ab eo, qui Chalcedonenſem Synodum anathemate damnaret. Tunc Timotheus dixit ei; Anathema ſit omnibus, qui averſantur, aut qui anathematizant Synodum Chalcedonenſem. Hoc modo is, qui ordinandus erat, ordinationem Timothei ſuſcepit. Joannes autem Archidiaconus, cum eſſet Manichæus, convitiatus ob id Timotheo, currens ad Palatium, ea quæ Timotheus dixerat, Imperatori renuntiavit: Qui mox Timotheum ad ſe accerſitum gravi ignominia affecit. At ille id a ſe dictum negavit, his verbis auſus; Anathema omnibus, qui Chalcedonenſem Synodum ſuſcipiunt*; ſic fidem pro variis perſonarum, ac temporis circumſtantiis, mutabat.

Catholici perſecutionem ſuſtinent.

15. Quæ autem, Macedonio pulſo, paſſi ſunt ſectatores ejus, & fidei Zelatores, Nicephorus ſic narrat: *Senatus Populuſque CP. eam ob cauſam in magno fuit mœrore; nam & vitæ ſanctitatem, & doctrinæ ſinceritatem in Macedonio admirabantur. Etenim pietatis ſtudio, dignitateque ſacerdotali is valde eminebat, ut qui a Gennadio educatus atque edoctus fuiſſet, cujus etiam ex fratre nepos fuit. Contra ſectatores ejus poſtea gravis perſecutio orta eſt. Quidam enim exilio, nonnulli relegatione, alii accuſationibus iniquis, alii bonorum publicatione afflicti ſunt. Multi etiam, qui fuga ſibi conſuluerunt, Romam pervenerunt*. Complures autem ea de cauſa relegatos fuiſſe in Oaſin, ait Anaſtaſius Bibliothecarius in Chronico. His adde, quæ Theophanes, de Juliana illuſtriſſima fœmina Areobindi junioris uxore, & filia Olibrii Imperatoris, & Placidiæ, refert, cui cum nec Imperator, aut Timotheus ſuadere potuiſſet, ut Chalcedonenſem ſynodum reſpueret, aut cum Timotheo communicaret, multis eam calamitatibus oppreſſit Imperator. Ut autem Chalcedonenſis concilii memoriam, quantum fieri poterat, deleret Im-

Theoph. pag. 135.

Digitized by Google

Imperator, ejuſdem concilii acta igni tradidit. *Imperator Chalcedonenſium actorum libellum, quem Macedonius in arca ſanctiore depoſuerat, per Calepodium quemdam furtim ſublatum conſcidit, atque igni tradidit, & Macedonio, qui ſic ducebatur, condemnationis ſententiam miſit.*

Sidonienſis ſynodus.

16. Eodem anno, quo Macedonius ſua ſede pulſus, in exilium miſſus eſt, ut ceteros quoque Orientis Epiſcopos, præcipue Anthiochenum, & Jeroſolimitanum, Flavianum ſcilicet & Eliam, ad reſpuendum, Chalcedonenſe concilium cogeret, Sidone concilium fieri juſſit Imperator: *Reintegrata Anaſtaſius pravitate*, inquit Marcellinus ſub anni ſequentis Conſulibus, *infamem & irridendam ſynodum apud Sidonem civitatem, cujus de nomine in ridiculis nomina præponuntur, 80. ferme perfidorum Epiſcopis congregatis, adverſus orthodoxorum Epiſcopos fieri imperavit*; de qua libellus Synodicus hæc habet: Poſtquam dixit Flavianum Anthiochiæ Epiſcopum, ut Imperatori gratificaretur, Chalcedonenſem ſynodum ſilentio præteriiſſe, *Imperator autem Anaſtaſius per Eutropium tribunum Flaviano, & Eliæ Hyeroſolimitano mandavit, ut Sidone ſynodum convocarent, & Anathematiſmis ſacram Chalcedonenſem ſynodum ſubjicerent. Verum hanc Elias re infecta dimiſit, quapropter Patriarchis vehementer Imperator ſuccenſuit.* Theophanes addit, Flavianum Chalcedonenſem ſynodum ſilentio præteriiſſe, Eliam vero eamdem condemnaſſe. At ex ſynodico libello conſtat Eliæ induſtria factum, ut re infecta ſynodus ſolveretur, quod etiam confirmat Cyrillus in vita S. Sabæ, dum ait: *Itaque cum Flavianus & Elias Patriarchæ, ſicut dictum eſt, Sidonem veniſſent, litteraſque blandas ac diſpenſatorias Imperatori miſiſſent, Synodumque Sidoniam, quæ contra rectum fidem congregata fuerat, diſſolviſſent, atque ad proprias ſedes eſſent reverſi, indignati Soterius, & Philoxenus,* (Epiſcopi hæretici, Cæſareæ Cappadociæ primus, Hieropolis ſecundus) *ad effrenem iram concitaverunt Imperatorem, quaſi per Patriarcharum aſtutiam, fraudem, & ſimulationem deceptus fuiſſet. Unde accepta, quam volebant poteſtate, multum auri Antiochenæ plebi tribuendo, variis modis Flavianum affligentes, & quodammodo ſuffocantes, cogenteſque Chalcedonenſem ſynodum anathemate ferire, eum ab Epiſcopatu expulſum exilio damnarunt.*

JESU CHR. AN. 511.

S. Sabas Eliæ juſſu legationem ad Imperat. ſuſcipit.

17. Sed de ejus exilio infra agemus. Soluta pſeudo-ſynodo Sidonienſi, Flaviani & Eliæ induſtria, ut vidimus, in eos Imperatoris ira vehementer exarſit, eoſque e ſuis eccleſiis ejicere animo volvebat, quod poſtea factum eſt. Interea Elias Jeroſolimorum Patriarcha, ut hunc a ſe averteret ictum, & ut Imperatoris conceptam in Ortodoxos iram mitigaret, ſanctum Sabam ad eum legatum miſit cum aliis ſanctis monachis. Cujus legationis acta Cyrillus in vita S. Sabæ pluribus proſequitur, ac his verbis ad Imperatorem ſcripſiſſe Eliam adnotat:

Habitatores eremi, & Sabam cum eis, qui eſt caput eremi ad tuam potentiam mittimus legatos pro Eccleſiis. Tu vero eorum laborem reveritus, & eos qui ſunt in Deo ſudores, o Imperator, fac ut ceſſet bellum adverſus Eccleſias, & ne ſinas malum progredi ulterius: ſcimus enim tibi curæ eſſe, ut ea agas, quæ Deo grata ſunt, qui tibi conceſſit diadema. Hactenus Elias ad Anaſtaſium Imperatorem; quæ autem ſecuta ſint, idem Cyrillus narrare pergit. Cum itaque Sabas, qui tum ſeptuageſimum ætatis annum agebat, cum ſociis CPolim ingreſſus eſſet, unaque omnes ad Imperatoris conſpectum admiſſi; ille ſolus, ideſt Sabas, utpote viliori amictu, & cilicio indutus, a cuſtodibus ab ingreſſu arcetur. *Cum illos ergo benigne eſſet intuitus Imperator; & ea dixiſſet quæ dici ſolent in adventu, & deinde perquireret quiſnam eſſet is, qui erat præcipue in litteris poſitus Sabas: cum Monachi autem in omnem partem circumcurſarent (neque enim ſciebant quonam modo ille eſſet ab eis disjunctus, & ubinam manſiſſet) ſtatimque cum Imperatoris ſatellitibus ad eum quærendum quoquo verſus obirent, invenitur ſtans in quodam angulo ante aditum Regiæ, & pſalmos canens Davidicos. Cum illinc ergo eum diripuiſſent Satellites, & per Regiam eum feſtinanter introducerent: cum jam eſſet aſcenſurus limen, ubi præſidebat Imperator; vidit ille circa eum inſignem quamdam plane, admirabilem viſionem, non ut qui dignus eſſet talia videre, ſed ut fieret ei manifeſtum, quantum honorem ſit Sabas apud Deum conſecutus:* quem vir quidam ſub Angeli ſpecie comitabatur. Quæ cum vidiſſet Imperator, & virum vere ſanctum eſſe cognoviſſet, magno eum habuit in honore, ac omnes juſſit ſedere, deinde juſſit, ut unuſquiſque di-

Digitized by Google

diceret de quo vellet. *Illi autem velati obliti communis Eccleſiarum Legationis, & cujus cauſa miſſi fuerant, unuſquiſque proprias proponebat petitiones. Imperator vero cum earum poſtulata benigne concedens, quæ volebant, impleviſſet: quoniam petentibus omnibus ſilebat Sabas, nec omnino quidquam rogabat, ad eum vultum convertens Imperator: Tibi autem, o Pater, inquit, quid ſibi vult tantus labor itineris, cum nihil omnino nec roges, nec poſtules?*

Ad hæc ille reſpondens: Hac de cauſa (inquit) veni, o Imperator: primum quidem ut tuam adorem pietatem, donec ſum adhuc in hoc corpore: deinde ut rogem pro ſancta Dei civitate, & eo qui illic eſt præfectus, ut nullam tuæ potentiæ ſubeat indignationem, ſed pax concilietur potius Eccleſiis: ita enim & ipſe Deum habebis propitium, & tibi præclaras præbebit victorias adverſus inimicos. Ejus ergo libertatem admiratus Imperator, & quod nihil peteret ex terrenis, & iis quæ ad victum pertinent, ſed quæ ferunt ad Dei cultum, & Eccleſiæ conſtitutionem; aliis quidem conceſſit ut recederent, ei autem largitur munus mille aureorum, dicens ea diſtribuenda eſſe monaſteriis, quæ fuerunt ab ipſo conſtituta: & ſimul juſſit eum manere, ſtatuens, ut ad ſe poſſet ingredi citra ullum impedimentum.

S. Sabas mitigat Imperatoris iram.

18. *Cum vero non ſuſtineret ſedare iram, quam jam pridem conceperat adverſus Palæſtinæ Pontificem, aliquando dicit magno Sabæ: Qui veſtræ præeſt Eccleſiæ, o Venerande Pater, nos (ut videtur) magnæ damnat levitatis, non ſolum Synodi Chalcedonenſis ſuſcepit patrocinium, quæ confirmavit dogma Neſtorii, ſed etiam effecit, ut Flavianus Pontifex Antiochenus eamdem etiam viam iniret, & nunc ſolum reſiſtit Synodo Sidone congregatæ, Flaviano conſentiens, ut non feriantur anathemate, qui improbe tutantur dogmata Neſtorii. Unde etiam nos putans ludificari, per epiſtolas noſtris ipſis fert leges contrarias, jubens ejici quicquid in noſtram fidem ſentitur recens excogitatum. Sed non amplius tali noſtra fruetur lenitate. Sed ecce decernimus (ut vides) illum quidem ſede expelli, ejus autem loco eum ſuffici, qui ſit digne præfuturus Eccleſiæ: quoniam non convenit ſacra illa loca profanari ſceleratis decretis Neſtorii.*

Hæc cum dixiſſet Imperator, & adeo gravi ira ferretur in

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 512. *in Eliam; incipiens divinus Sabas Eliam defendere Patriarcham, ejus iram ita compreſſit, ut non ſolum illam latam reſcinderet ſententiam, ſed etiam Patriarchæ magis caveret, & juberet ei de cætero remanere, ſedem minime auferendam. Illinc autem cum ad Imperatricem veniſſet Ariadnam, eam multum rogavit, ut Patris Leonis tueretur ſententiam, & leges conſervaret pietatis. Hinc exercitatorem, Sabam videlicet, ſubiit amor vehementior quietis & ſilentii, & valde deſiderabat reditum. Quoniam vero menti ejus tempus minime congruebat (tunc enim vigebat hiems) ſtatuit urbanos tumultus in præſentia declinare; & egreſſus in quemdam locum non procul ab urbe remotum, qui dicebatur ſuburbanum Ruffini, hiemavit illic reliquo tempore. Quem quidem in locum, & alii quidam ad ipſum ventitabant, maxime autem Valentiniani Imperatoris neptis Juliana, & Pompei conjux Anaſtaſia, quæ in hodiernum uſque diem floret multis recte factis in monte Olivarum. Cum poſt hæc autem ver adventaſſet, ille quidem qui jamdiu teneretur, magno amore quietis & ſilentii, paratus erat de cætero proficiſci in ſolitudinem.* Hactenus Cyrillus de priori Sabæ legatione ad Anaſtaſium Imperatorem. Pluribus menſibus permanſit in ea civitate, quinimmo & hyemem tranſegit, nam cum Imperator Sabæ pecuniam obtuliſſet, ſic eam ad ſuſtendandam vitam accepit. *Quia*, inquit, *volo hic hyemem tranſigere*, ac ab urbe Regia non diſceſſit, niſi anno ſequenti, ad quem oratio noſtra transfertur.

JESU CHRISTI AN. 512. SYMMACHI PAPÆ 15. ANASTASII IMP. 22. THEODORICI REGIS 20.

CPli catholici adverſus Imperatorem tumultuantur.

1. Hoc Chriſti anno quingenteſimo cum duodecimo, Coſſ. Paulo & Muſchiano, cum Anaſtaſius Imperator catholicam fidem evertere, ac Catholicos ea de cauſa vexare non ceſſaret, magni adverſus eum tumultus CPoli excitati ſunt. *Die Dominico*, inquit Marcellinus, *dum jubente Anaſtaſio Ceſare per Marinum, perque Platonem in eccleſiæ pulpito conſiſtens in hymnum Trinitatis Deipaſſianorum quaternitas additur, multi Orthodoxorum priſtina voce pſallentes, perfidoſque præcones clamoribus objurgantes, in ejuſdem Eccle-* *ſiæ*

ſiæ gremio cæſi ſunt, ductique in carceres perierunt, altera nihilominus die in atrio ſancti Theodori majori cæde Catholici pro fide unica percuſſi ſunt. Quapropter commota Orthodoxorum agmina die ſequenti, ideſt VIII. Idus Novembris (in quo die memoria cineris dudum totam Europam tegentis apud Byzantios celebratur) in forum Conſtantini undique confluunt: quorum alii quidem, ceteris die noctuque hymnum Trinitatis Chriſto Deo pſallentibus, totam peragrant civitatem, & Anaſtaſii Cæſaris monaſtico habitu adſentatores ferro flammiſque interimunt: alii claves portarum, omniaque ſigna militaria ad forum, quo religionis caſtra metati fuerant deferunt: ibique Anaſtaſio *Cæſare in proceſſibus degente, Areobindam ſibi Imperatorem fieri clamitant. Imaginibus deinde, ſtatuiſque Anaſtaſii in terram dejectis, Celerem, & Patricium Senatores, ad ſe ſupplicandi ſibi, vel ſatisfaciendi gratia miſſos, jactis pluviæ inſtar lapidibus repulerunt. Domibus Marini & Pompei ſuccenſis, in circum ad Anaſtaſium venientes, & ante ſuum ſolium conſiſtentes, hymnum Trinitatis juxta morem Catholicorum concinentes, coruſcanſque Evangelium, Crucemque Chriſti ferentes, e foro plurimi convenerunt, Marinum, Platonemque pravitatis ejus auctores feris ſubjici conclamantes. Hos cives idem Anaſtaſius Cæſar ſolitis perjuriis, ſimulatiſque vocibus, ſe ſe facturum cuncta promittens, tertio die, quam in forum advenerant, ſine ullo rerum effectu, ad ſua fecithabitacula redire.* Hactenus Marcellinus. Eademque fere Theophanes, Victor Tunonenſis, & Evagrius, aliique, qui addunt plebem adeo commotam, ut Areobindum, & Vitalianum Imperatores proclamaverit. *Quam ob cauſam Anaſtaſius Imperator in circi tribunal aſcendit abſque diademate*: & per præcones, addit Theophanes, populo denunciavit ſe paratum eſſe Imperio cedere, ſed non omnes imperare poſſe. *Quo cognito populus omnis in circum pariter aſcendit, atque is (Imperator ſcilicet) habita oratione univerſam multitudinem ſibi conciliavit.* Imperatori Anaſtaſio nil facilius, quam ad tempus cedere: nil familiarius, quam mentiri, uti ſæpe alias adnotavimus.

JESU CHR. AN. 512.

Theop. pag. 136.

2. Pejora iis, quæ Conſtantiuopoli facta uarravimus, Antiochiæ ſunt geſta, eorumdem hæreticorum inſania, ac furore, hoc eodem anno, quo Flavianus Epiſcopus ſua ſede eje-

Epiſtola monachorum Palæſtinæ ad Alcyſonem.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 512. ejectus eſt, & in exilium relegatus, cujus ſedem Severus, hominum ſceleratiſſimus, ac Eutychianorum caput, adjuvante Anaſtaſio Imperatore hæretico, occupavit. Quid autem Eutychiani, & Acephali in eum tentaverint, narrant Palæſtini monachi in epiſtola ad Alcyſonem Nicopolitanum Epiſcopum, Epiri veteris Metropolitam, & Chalcedonenſis concilii defenſorem acerrimum; eaque poſt aliqua ſubdunt: *Xenajas quidam, vere nominis ſui, ideſt alienus a Deo: neſcio quo conſilio, nec qua de cauſa ſuſceptas adverſus Flavianum inimicitias exercens: prætextu tamen fidei, ut plerique narrant, adverſus eum commoveri, eumque tamquam Neſtorianum calumniari cœpit. Sed cum ille Neſtorium ſimul ejuſque opinionem ſub anathemate damnaſſet, Xenajas relicto Neſtorio, ad Dioſcorum tranſgreſſus eſt, & ad Theodorum, ac Theodoritum, & Ibam, ac Cyrum, & Eleutherium, ac Joannem, alioſque neſcio quos, nec unde collectos. Ex quibus quidam Neſtorii dogma revera ſectati fuerant: quidam vero, cum in ſuſpicationem ejus rei veniſſent, poſtea idem dogma ſub anathemate damnaverant, & in Eccleſiæ communione extremum diem clauſerant. Hos, inquit, omnes Neſtoriani dogmatis aſſertores niſi anathematizaveris, Neſtorianus es, licet Neſtorium millies cum doctrina ipſius anathematizes. Scriptis etiam litteris ad Fautores Dioſcori, & Eutychis eos concitavit, ſuadens eis, ut ſibi adverſus Flavianum auxilio eſſent, exigerentque ab eo, non quidem ut ipſam Synodum, ſed ut eas dumtaxat perſonas, quas ſupra nominavi, ſub anathemate damnaret. Quibus cum Flavianus Epiſcopus diu multumque reſtitiſſet,* tandem cum ſupradictas perſonas ſcripto anathematizaſſet, libellum ſuum ad Imperatorem miſit; nam & hunc adverſus Flavianum, tanquam Neſtoriani dogmatis propugnatorem, commoverant. Sed neque hac re contentus fuit Xenajas, exegit iterum a Flaviano, *ut & Synodum ipſam, & eos qui duas naturas in Chriſto prædicaverant, alteram carnis, alteram Deitatis, anathemati ſubjiceret. Qui cum id facere recuſaſſet, rurſus Xenajas eum ut Neſtorianum accuſavit. Interea Xenajas, & Dioſcorus multis Epiſcopis ſibi adjunctis intolerabiles erant, dum tumultus concitarent adverſus eos, qui Synodum anathemati ſubjicere recuſabant. Ex quibus eos, qui ad finem uſque ipſis non ceſſerant, multis machinationibus in exilium ejici curarunt. Hoc igitur modo Macedonium, & Joan-*

nem

nem Epiſcopum Palti, & Flavianum in exilium trudunt. Atque hæc ſunt, quæ in ſupradicta epiſtola commemorantur, ait Evagrius. Jesu Chr. an. 512.

3. Quæ autem Antiochiæ acciderint, dum Flavianus in exilium ejectus eſt, videamus. Cum itaque Sotericus, & Philoxenus Epiſcopi, primus Cæſareæ Cappadociæ, alter Hiepolis in Frigia Eutychianæ hæreſis patroni eſſent; ab Imperatore *accepta, quam volebant poteſtate, multum auri Antiochenæ plebi tribuendo, variis modis Flavianum affligunt*, ut pluribus narrat Evagrius, qui hæc ab iis audierat, qui cuncta, quæ Flaviani Pontificatu acciderant, memoria retinebant. *Hi affirmabant, Monachos regionis, quæ Cynegica dicitur, & quotquot in prima Syriarum provincia ſedes habebant, inductos a Xenaja: erat autem Xenajas Epiſcopus Hierapolis, quæ vicina eſt Antiochiæ, & Græco vocabulo Philoxenus dicebatur: in unum collectos, ſubito in urbem irrupiſſe cum maximo tumultu, & contumacia, compellentes Flavianum, ut Chalcedonenſem Synodum, & Leonis epiſtolam, ſub anathemate damnaret. Quod cum Flavianus ægre admodum ferret, & Monachi maximo impetu inſtarent, plebs civitatis inſurgens adverſus Monachos, plurimos eorum interfecit, adeo ut ingens eorum numerus Orontem fluvium pro tumulo ſortitus ſit: Cadaveribus in gurgite ſepultis. Accidit & aliud quidpiam, priore illo nequaquam levius. Monachi enim Syriæ Cæles, quæ nunc ſecunda Syria appellatur, cum impenſe faverent Flaviano, propterea quod is in monaſterio quodam, quod ſitum erat in agro, qui Tilmognus dicitur, monaſticam egiſſet vitam, ſubito Antiochiam advolarunt, ut Flavianum defenderent, ita ut tum quoque non exigua evenerint mala. Sive igitur ob priora illa, ſive ob ea, quæ poſteriore loco retulimus, ſive ob utraque ſimul, Flavianus ſede ſua expellitur, & Petras, quod oppidum eſt in finibus Palæſtinæ ſitum, relegatur.* Ejecto in hunc modum Flaviano, *Severus ad Epiſcopatum Antiochenſis eccleſiæ promotus eſt, anno urbis Antiochiæ quingenteſimo ſexageſimo primo menſe die, indictione ſexta currentis tunc circuli*, ſcilicet currenti anno 512., non vero ſequenti, ut habet Marcellinus ſub Clementini, & Probi conſulatu, quem ſequitur Valeſius in notis ad hunc Evagrii locum; at eos erraſſe demonſtrant Pagius, & Noriſius, ubi etiam refert verba Joannis Malelæ in chronico, qui ait Severum ſedem Antiochenam

Antiochena ſeditio adverſus Flavianum

nam

Jesu Chr. an. 512. *Evagr. lib. 3. cap. 33.*

nam occupaſſe, *menſe Novembri die ſexta, anno juxta Antiochenos DLXI.*, qui cum menſe Septembri ſuperioris Chriſti anni inchoatur, quapropter Evagrii Antiochiæ inquilini & Malelæ civis teſtimonia, Marcellino merito præponimus. Scribebat autem hæc Evagrius *anno Antiochenorum* 641. octoginta ſcilicet ab hinc annis, quo hæc evenerunt.

De Severi moribus & doctrina.

4. Severus autem, qui Antiochenam, pulſo Flaviano, invaſit eccleſiam, Sozopoli in Piſidia natus, Berythi primum cauſidicam egerat, deinde cum ſacrum baptiſmum ſuſcepiſſet, in Eccleſia Martyris Leontii, qui in urbe Phœnices maritimæ Tripoli ſummo honore colitur, monaſticam vitam egerat, in monaſterio, quod inter Civitatem Gazam, & Oppidum Majumam in medio itineris poſitum eſt. Porro Severus quadam die, diſputatione habita, congreſſus eſt cum Nephalio, qui prius quidem idem cum ipſo ſenſerat de unica Chriſti natura, poſtea vero defenſoribus Chalcedonenſis Synodi, & iis, qui duas in Domino noſtro Jeſu Chriſto naturas prædicabant, ſe ſe adjunxerat: *Ab hoc igitur Nephalio, & a Monachis, qui cum illo erant, Severus una cum illis, qui opinioni ejus adhærebant, ejectus eſt ex monaſterio. Qui mox ad Regiam urbem perrexit, tam pro ſe, quam pro illis, qui una cum ipſo expulſi fuerant, legationem obiturus. Hoc modo ad notitiam, & familiaritatem Imperatoris Anaſtaſii pervenit, ut pluribus refert is, qui vitam Severi conſcripſit.* Turpiora de eodem narrant Orthodoxi monachi in ſynodo CP. ſub Menna congregati anno 536. actione quinta in hunc modum: *Quis neſciat eorum vitam turpem admodum, & ſceleratam ab ineunte ætate eſſe, & dæmonibus addictam? Et quod in veneficiis Severus deprehenſus eſt in Civitate Berytiorum dæmonibus ſerviens; & hujuſmodi calumniam fugere volens, finxit tranſponere ac fingere diabolicam opinionem ſuam, & venire (ut dicebat) ad baptiſmum in Tripoli, in adorabili domo ſancti & ſereniſſimi martyris Leontii. Et nondum perfectis diebus his, quibus baptizabatur, poſtquam vidit (veritatem paululum ſimulans) quod rurſus perſpicue, ad antiquum Gentilis opinionis ſuæ vomitum reverti non poterat, per aliam viam ad id, quod ſtudebat, pervenit. Nam negavit ſtatim eccleſiam & eum, a quo baptizatus eſt, & proceſſit ad Acephalos hæreticos, qui ea, quæ Eutychis ſunt, ſapiunt: vocanſque ſanctas Dei domos diverſoria hæreſis, & impietatis, reprobans pro-*

propter hoc baptiſmum, quem dicit acceptiſſe, ut & in ipſo impleretur propheticus ſermo, qui de hujuſmodi dicit: Alienati ſunt a vulva, erraverunt a veritate, locuti ſunt falſum, furor ipſis ad ſimilitudinem ſerpentis. Hæc & alia plura de Severo orthodoxi monachi, quibus ſimilia fere ſunt, quæ narrat Liberatus; unde poſt pluſima: *Fertur autem expoſitio ejus, quæ ab eo dicta eſt, in qua Unitivum ſuſcepit Zenonis, & anathematizavit Chalcedonenſe Concilium, & communicare ſe confitetur Alexandrino, & Conſtantinopolitano. Erant autem tunc Conſtantinopoli Timotheus, Alexandriæ vero Joannes Machiota Epiſcopi; & tamen dum talis erat, valuit damnare Macedonium, & expellere ab Antiochena ſede Flavianum*. Hæc Liberatus de Severo Imperatoris patrocinio omnia audente, & invaleſcente in dies magis adverſus Catholicos. Sed Anaſtaſii conatus adverſus fidem Catholicam proſequimur, non enim tanta ei cura erat ut Barbaros ſubjugaret, quanta ut Catholicam fidem penitus aboleret. JESU CHR. AN. 512.

5. Poſtquam Macedonium CP, Flavianum Antiochenum, nec multo poſt anno 517. Eliam quoque Hieroſolymorum Epiſcopos ſuis ſedibus dejectos in exilium ejeciſſet Anaſtaſius Imp., alioſque ſuis erroribus, ſeu hæreſi conſentientes ſuffeciſſet, Monachorum quoque præcipuos in ſuam ſententiam trahere conatus eſt, ut iis victis, totam monachorum catervam ſuis erroribus ſubſcribere impelleret. Exemplo ſit Magnus ille Theodoſius Cœnobiarcha, qui his temporibus in Palæſtina claruit, in monaſterio a ſe non longe ab Hieroſolimis conſtructo, cujus vitam referunt Surius, & Bollandi. Hujus vitæ auctorem Baronius Cyrillum monachum fuiſſe tradit, qui acta Euthymii, Sabæ, & Joannis Silentiarii deſcripſit; Bollandus vero eamdem auctori anonimo ejuſdem inſtituti adſcripſit. Verum non Cyrillus, ſed Theodorus Petræ Epiſcopus, ſancti Theodori diſcipulus hujus vitæ auctor eſt, ut conſtat ex vita ejuſdem S. Theodoſii cœnobiarchæ, quam ex mſſ. Codice Græco bibliothecæ Mazarinæ in latinum vertit Combefiſius. Quapropter quæ ad hiſtoriam pertinent ex ea partim excribemus, dum ex ea, quæ extat apud Surium, & Bollandum nil aliud ea ſit niſi compendium ejuſdem vitæ. Is itaque in Capadocia natus circa annum 423., hoc tempore non ſolum ætate venerabilis erat, ſed etiam vitæ ſanctitate, & miraculorum gloria per totam Palæſtinam fulgebat.

Anaſtaſius Sanctiſſimos viros tentat.

S. Theodoſius concilii chalced. defenſor.

JESU CHR. AN. 512. gebat. Hanc itaque *magnam turrim*, ut ait auctor vitæ ejus, Imperator aggreditur, machinæ autem erant aurum, idque non parvum, ut poſſet contemni, ſed uſque ad ſummam triginta librarum auri, ut illud pauperibus diſtribueret, aut fratribus ægrotantibus neceſſaria ſubminiſtraret. Oblatum quidem ab Imperatore aurum Theodoſius accepit, ne forte ſuſpicari temere videretur, aut offenſionis cauſam præbere. At eodem tempore cum omnes ſimul congregaſſet monachos ſuos, eoſque inſtruxiſſet ad ſuſcipienda pro pietate certamina; ducem, ac militem ſtrenuum, & fortem, ſe eſſe eis oſtendit, atque armorum prælium imitatus, in quo antequam pede collato cominus concertetur, miſſilia mittuntur eminus; ita ipſe primum omnium cum Imperatore per litteras congreſſus eſt.

Theodoſii monachi epiſt. ad Anaſtaſium Imp.

6. Eaque epiſtola ſola Eccleſiæ traditione Imperatorem in errore verſari demonſtrat, unde poſt plurima: *Quomodo*, ait, *nos poſt annos quingentos, iiſque plures a Chriſti adventu, fidem addiſcemus? quamobrem certo liquet, eam quæ priori Chriſtianæ fidei nunc temporis emendatio inducitur, non vere Chriſti doctrinam eſſe, ſed Antichriſti, qui videlicet Eccleſiarum pacem, & unionem confundere ſtudeat, & ut turbatione atque ordinis everſione, nulla rerum firmitate, omnia impleat, prorſus ſatagat. Horum porro omnium auctor ipſeque opifex ille pridem, & a principio Acephalus, atque ab Eccleſiæ unione abſciſſus, Severus, qui ipſæ animæ ſuæ communiſque fidei exitio, Deo ſic indulgente, ob noſtra ſcelera, Antiochenus Præſul provectus eſt. Hic nempe Sanctos Patres noſtros anathemate percuſſit, eos nimirum, qui Apoſtolicam fidem, Sanctorumque omnium trecentorum decem & octo Patrum communibus calculis definitam, nobiſque traditam, per omnia confirmarunt, omneſque in ea illuminarunt: cujus nimirum Acephali communionem, ac unionem cum repudiemus ac prorſus rejiciamus, rogamus pietatem veſtram, ut Eccleſiarum omnium matris miſereatur, Deo cari Imperii veſtri tuentes partes, quæ ſic indigne probro habeatur ac diripiatur, & ut ſancire velitis, ut quæ Sanctæ Dei civitati imminet procella penitus depellatur.* Se quippe iis, quæ hactenus Imperator tentaverat, ſubſcribere non poſſe aperte teſtatur. *Quin ſanctas quatuor Synodos Evangelica figura numeroque orna-*

ornatas, eadem concordes ſententia in uno ſpiritu ſenſuque libenter recipimus; quæ nimirum diverſis temporibus ac locis, Deo adſpirante, adverſus ſubjectarum hæreſum multiplices errores coactæ, vocibus tantum, & non virtute differunt, ut quæ Dei digito exoratorum Evangeliorum imago virtus exiſtant. Paucis interjectis: *Certo ſciat veſtra Majeſtas coram Deo & electis Angelis, nullo nos modo aut ratione, illis, quos dicebam, communione jungendos, qui nimirum ab Eccleſiæ corpore ſe ſe abſciderunt, quin legitimum canonicumque procedat judicium: ac nec ulli unquam ullo modo circa fidem novitati aſſenſum præbebimus, aut ullum Acephalorum ullo unquam tempore per vim ordinatum recipiemus*; & poſt aliqua *adverſus hæc*, addit, *& ignis accendatur, & enſis acuatur, & mors quoque nobis acerba afferatur, immo vero, ſi fieri poteſt, pro una innumerabiles, nos vero numquam prodemus veram religionem, neque ea, quæ placuerunt Patribus, ea abrogando, probro afficiemus &c.*

Reſponſum Anaſtaſii Imp. ad Theodoſium.

7. Cum hanc accepiſſet epiſtolam Imperator, ad eum reſcribens factum excuſare conatus eſt: *Scripſit Pietas tua non debuiſſe mala hæc moveri Fidei cauſa, quæ noſtro Imperio mota ſunt. Ac quidem non eſſe nos horum auctores, teſtis eſt Dominus Deus univerſorum Judex: ſed quorum partium erat, ut pacem ac tranquillitatem diligerent, illi nobis hæc moverunt, & movent, dum alii aliis praviores videri volunt. Ecquid nos aliud faciemus, quam ut dum illi male moventur, non cum eis pariter moveamur, ſed quietem colamus, ut diſcant, qui hos motus cient, pari nos conſilio tranquillitati ſtudere. Omnino enim non neſcit tua Pietas, quoſdam Monachos, ac Clericos, qui videlicet rectæ fidei ſtudium præferant, hæc ſcandala moviſſe, dum ſibi myſterii cognitione primas ambiunt, ac fidem ore circumferunt. Quæ quidem cum humano ingenio incomprehenſa ſint, nihil aliud quam ſe mendaces ac ſycophantas oſtendunt. Ex quo etiam magna Dei indignatio in nos proficiſcitur, eo quod exiſtimamus myſterium non eſſe myſterium, nec ſola fide, ſed nugis noſtris conſtare, eoſque condemnamus, qui nos fide ac myſterio Divina venerari docuerunt. Vos itaque precibus ad Deum agite, ut ſua miſericordia mala deſpiciat, ac ſic diviſis ſanctiſſimis Eccleſiis per ipſorum Præſulum ſtudia tranquillitatem indulgeat,*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 512.

geat, ac eorum nemo cum proximo diſſideat. Quas vero miſit Pietas tua eulogias, labentes ſuſcepimus: ac, qui quid nobis animi ſit atque velimus, nunciabunt vobis, qui miſſi ſunt reverendi Monachi. Ita Anaſtaſius ad Theodoſium. His addit vitæ auctor: *Igitur Imperator, poſtquam hæc ſcripſerat, ac bellum adverſus Eccleſiam nonnihil remiſerat, velut pœnitentia ductus, quod vel paululum omnino pietati ſtudere videri voluerat*: at paulo poſt ad ſuum vomitum, tamquam canis rediit, & acrius catholicam Fidem, ejuſdemque aſſeclas & defenſores inſectatus eſt; ita ut Theodoſium inter monachos, ut diximus, celeberrimum in exilium ejici juſſerit, niſi mors ſubita e vivis eum eripuiſſet. Quare cum Anaſtaſius Imp. menſe Julio anni quingenteſimi decimi octavi interierit, hæc ſerius quam præſenti anno contigiſſe oportet, quæ tamen hic narravimus occaſione perſecutionis ab Anaſtaſio Imp. adverſus ſanctiſſimos viros motæ.

Symmachi Papæ epiſtola ad Orientales

8. In tanta Orientalium eccleſiarum perturbatione, tantoque periculo officio ſuo non defuit Symmachus Papa; ac datis epiſtolis octavo idus octobris, eos, qui catholicæ Fidei aſſertores erant, admonuit, ut viriliter agerent, & ſtrenui pro Fide certarent; eos autem in ea præcipue alloquitur, qui non ſolum rectam & orthodoxam fidem tenebant, ſed etiam in Romanæ Eccleſiæ communione perſeverantes, nomina Eutychetis, Dioſcori, Timothei, Petri, Acacii averſabantur, iique erant Epiſcopi Illirici, & Dalmatiæ, nam cœteri Orientales, etſi pro concilio Chalcedonenſi decertarent quampluriml, & fidei integerrimi eſſent, tamen ob Acacii nomen, quod in Dypticis retinebant, ab Romanæ eccleſiæ communione jamdiu ſeparati erant. Ad primos ergo ſcribens hæc habet: *Nullus ſtupeat ſervatum hactenus nos nunc ſolviſſe ſilentium, cum prudentiſſimi Salomonis iſta vox perſonet*: Tempus loquendi, & tempus *tacendi*. *Quia taciturnitatem præſens tempus expugnat: nam inter cætera, quæ accidunt, ſilere, nec Fidei ſtimulis excitari, magni conſtat eſſe faſtidii. Quippe ubi Religionis reverentia & ſumma concutitur, aptum juxta divinam Scripturam dicere, eos qui ſunt mites, debere eſſe pugnaces. Siquidem & ſpiritualis quædam Deo accepta congreſſio inde, & laudabiliter univerſa tolerat, ne quiſquam a divina charitate ſeparetur, & vos quidem docere, quod doceatis, grave onus pudoris, ſed neceſſarium & utile tales admonere: nec enim congruum illis religioſæ afferre dogmata di-*

Digitized by Google

diſciplinæ a quibus inſtitutionis ipſius expectatur plena perfectio. Sed breviter clara perſtringemus. Cui incognitum, Conſtantinopolitana Eccleſia, quæ Neſtorii contagione laboravit? Neſtorii, inquam, qui quaſi putre corporis membrum a ſocietate catholicæ communionis excisſus eſt. Ubi terrarum non prædicatur congregatio Chalcedonenſis ſancti concilii, quæ Eutychetem, & Dioſcorum, duo nomina famoſa & magnæ perfidiæ, unius ſententiæ integritate damnavit, iniquitatis complices uno ſpiritu divinis dogmatibus adverſa ſectantes? Quis Petrum & Timotheum præfatorum vernulas ignoravit, propugnatores intentionis additæ, auctores ac magiſtros ſuos ſævo errore vincentes? Illum Timotheum loquimur parricidam, qui ſanctæ recordationis Proterio ſuperſtite, non ſolum Eccleſiam non religioſis auctoribus occupavit, verum etiam effuſionem pii ſanguinis ad crimen pervaſionis adjecit. Ipſius nempe damnationem univerſalis eſt Eccleſiæ vox locuta, dum eum nomine quoque Chriſtiani honoris exueret. Ejus Petrum ſequacem notum fecerunt orthodoxorum plurimæ paſſiones, in quibus ille virtutem animi ſui exultavit oſtendere. Novit tunc Epheſus cum tota ſocietate Dioſcori, ubi cum prædicto auctore peccati finem ſancti Flaviani operatus innotuit. Tacenda ſunt Antiochiæ mala, ubi per alterius Petri nefanda ludibria reverendum ſacerdotii nomen irriſum eſt. Quis Apamiæ, & Tyri gemitus, tragicis criminibus comparandos, vel ſi ſolis vacet, digna poſſit lamentatione flere? Quid Acacium? qui quaſi boni ſui faſcino gravatus, quæ Baſiliſco imperante præmiſerat, novo exemplo pene deprehenſus eſt adverſus ſeipſum dicens ſententiam, illos mutata voluntate defendens, quos prius glorioſum putavit addicere, & laborans ſociare fidelibus, quos dudum hæreticos manifeſtæ prævaricationis oſtenderat: propter quod maxime fugiendus, illa propter quæ fidelis probatus eſt diſſolvens, præmixtus his, per quos læſio Eccleſiæ generalis evenit. Quare eos ad quælibet pro Fide catholica perferenda his verbis excitat: *Unuſquiſque ergo exilia, & peregrinationes tamquam domum patriamque reſpiciat, ne deſideriis retentus humanis, Chriſti ſocietate privetur. Ecce tempus, quo repetit fides milites ſuos, & inclamat ad defenſionem ſui fervorem gratiæ conſecutos. Fidem ipſam dicere judicemus: Ecce tempus optabile, ecce fructuum congregatio deſiderata fidelium parvis paſſio-*

JESU CHR. AN. 512.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 512. *paſſionibus munera magna compenſet. &c.* ac data dicitur octavo idus Octob. poſt Coſſ. Felicis VC. ideſt hoc anno.

Orientales Symmachi auxilium implorant.

9. Hoc quoque tempore Orientales Epiſcopi pro Fide catholica certantes, cum undique ex hæreticorum perſecutionibus vexarentur, prædeceſſorum veſtigia ſectantes, ad communem omnium Patrem Romanum Pontificem confugerunt, ac Symmachi opem & patrocinium implorarunt. Quia vero ob Acacii nomen in dypticis in Oriente retentum a Rom. Eccleſiæ communione jamdudum ſejuncti erant; totius fere epiſtolæ argumentum in eo verſatur, ut probent, ſe non debere ob Acacii peccatum ſubire pœnam; ac primo adnotant, ſummum eccleſiæ Paſtorem Jeſum Chriſtum pro ſumma in homines miſericordia e Cœlis deſcendiſſe, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, & adducta evangelica parabola ovis errantis, & dragmæ perditæ ſubdunt: Hæc diximus, Sanctiſſime, auſi ſupplicare, non pro perditione unius ovis, neque pro perditione unius drachmæ, ſed pro amica nobis ſalute, non Orientalium partium tantum, ſed trium prope plagarum habitabilis Mundi, non corruptibili argento aut auro redemptarum de vana converſatione a parentibus tradita, ſed pretioſo ſanguine agni Dei: ſicut docuit beatus glorioſorum Apoſtolorum Princeps, cujus Cathedram Beatitudini tuæ credidit Chriſtus optimus paſtor, qui venit quærens & liberans quod perierat, & ponens animam ſuam in redemptionem pro multis. Quem imitatus, ſanctiſſime beatiſſimeque, feſtina ad adjuvandum nos, ſicut beatus Paulus doctor veſter ad auxilium quandoque Macedonum feſtinavit: & quidem ille in viſione cognoſcens periclitari Macedones, in veritate adjuvare eos properavit. Unde poſt plurima adnotant, quod ſicuti filii non portabunt peccata parentum, neque parentes filiorum ſuorum, ſed unuſquiſque morietur pro ſuo peccato, ita ſe ob Acacii culpam ab ejus communione non eſſe rejiciendos: *Nam ſi propter Alexandrinorum, aut magis Eutychianorum amicitiam, qui averſantur, & anathematizant Sanctiſſimum & beatiſſimum Papam Leonem, vel in Chalcedone Synodum habitam anathematizatus eſt Acacius; quare nos a vobis æſtimamur hæretici, & in anathemate ſumus nos, qui amplectimur ſolam illam epiſtolam, & quæ dicta ſunt in Sancta Synodo? Qui propter prædicationem recti dogmatis ve-*

Digitized by Google

veſtri quotidie oppugnamur, & ut hæretici anathematizamur ab iis, qui Eutycheti conſentiunt. Noli facere judicium, per illum qui cunctam judicat terram: ne perdas juſtum cum impio:. nec fiat apud te juſtus ut impius: nec æqualiter judicentur a te orthodoxi & hæretici, vel qui anathematizant prædictam ſanctam Epiſtolam, ſanctamque Synodum veſtram rectam, & ii qui vobiſcum ab eis anathematizantur, & qui orant mori quotidie pro recta fide, quæ a vobis prædicatur. Quanta autem eſſet Orientalis Eccleſiæ plaga & calamitas, his iterum verbis exponunt. JESU CHR. AN. 512.

10. Quod ſi parva exiſteret ægritudo, nos forſitan ad ſpiritualem noſtrum medicum curreremus, quatenus & paſſiones bonorum medicorum, ideſt, glorioſorum Chriſti diſcipulorum, veſtrorumque doctorum, & ſancta adoraremus tua veſtigia, ut & prævaricationis medicinam, & ſolutionem vinculorum, & delicti remiſſionem de tuo ſancto ore ſuſciperemus: *Sed quia non eſt ulcus*, aut *macula*, *neque plaga tumens*, *ſed totum ulcus eſt a pedibus uſque ad caput*, ſicut beatus Iſaias antiquam prævaricationem deflens dixit, vos jam boni medici, & illius veri medici, vel bonorum diſcipulorum ipſius certiſſimi plantatores, feſtinate ad curam reſolutorum Eccleſiaſtici corporis membrorum, ut diſſolutas manus noſtras, diſſolutaque genua erigatis, & curſus rectos faciatis pedibus noſtris: ne quod claudum eſt, amplius diſtorqueatur, ſed curetur magis per ſtrenuitatem & optimam diligentiam veſtram. His fidei confeſſionem poſt plurima addiderunt, qua ſe S. Leonis epiſtolæ ad Flavianum, & Chalcedonenſi ſynodo ſubſcribere, ac venerari teſtantur, ac tandem longiorem epiſtolam his verbis concludunt: *Ipſi enim*, ideſt Sancti Patres Chalcedone congregati, *docuerunt nos divinis Scripturis, alteram eſſe viſibilem & palpabilem, & poſſibilem Carnis naturam in una Perſona, & ſubſtantia magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: alteram de matris ſubſtantia, & natura venientem de ſemine David, Abrahæ, & Adæ, ſecundum carnem natam, alteram vero ex utero ante Luciferum genitam de ſubſtantia & natura Patris. Sed ne rurſus propter immaculati partus duas naturas, & ſubſtantias occaſionem apprehendentes, qui ſecundum Neſtorium ſapiunt, duas perſonas, aut duos filios, vel*

Orientalis eccleſiæ calamitates exponunt.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 512. *vel duos Chriſtos male introducant; docuerunt ſancti illi, & beati Patres unam ſcire perſonam, & ſubſtantiarum inſeparabilem unitatem, ex duabus ſubſtantiis & naturis, & in duabus ſubſtantiis, & naturis magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Nos enim, o ſanctiſſime, & beatiſſime Symmache, eumdem eſſe exiſtimamus ex duabus naturis, & non (ſicut illi dicunt) ex duabus naturis unam naturam poſt adunationem, in duabus autem ſubſiſtentibus naturis cum unitate non pati confiteri; ut ſe doceant Arianorum eſſe imitatores, dicentium per Filium glorificari Patrem, cum Filio autem non pati ſe eum glorificari. Sed ſicut contra illos docuerunt fratres tui ſanctiſſimi patres, per quem, & cum quo æqualiter pati dicere nos, quia, per quem, humanitatem; cum quo, divinitatem ſignificantes magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: ſic, & nunc illis, ex duabus quidem naturis, dicentibus, in duabus autem non confitentibus, non ex duabus, & in duabus pariter dicimus. Ex duabus enim dicentes, ex quibus ſubſtitit unitas; in duabus autem, in quibus viſus eſt, & palpatus eſt, & aſſumptus poſt paſſionem, & reſurectionem, confitemur, & in quibus veniet judicaturus vivos, & mortuos.* Hæc & alia, quæ exſcribere piget, Orientales Epiſcopi. Nil evenire, ut puto, hominibus luctuoſius poterat, quem ea, quæ tunc Orientales patiebantur, dum rectam profitentes fidem, pro catholica Fide certantes innumeras ſuſtinebant calamitates. Nihilominus cum Acacii CPolitani olim Epiſcopi nomen in dypticis retinerent, ab Romanæ eccleſiæ communione, & ab unitatis vinculo ſejuncti, & alieni erant, ſicque cum non legitime certarent, coronari nequaquam meruerant, uſque dum reddita tandem eccleſiis pace, & in communionem Rom. eccleſiæ, abjecto Acacii nomine, reſtituti, catholicæ Eccleſiæ ſocietati conjuncti ſunt, ut ſuo loco infra dicturi ſumus.

JESU CHRISTI AN. 513. SYMMACHI PAPÆ 16. ANASTASII IMP. 23. THEODORICI REGIS 21.

Cæſarii epiſt. ad Symmachum Papam.

1. Conſulatu Probi, & Clementini præſeus Chriſti annus quingenteſimus decimus tertius inſcribitur. Probus diverſus plane eſt ab alio Probo conſule anni 502. Anaſtaſii Im-

Imperatoris nepote. Probo conſule, octavo idus Novembris inſcripta eſt Symmachi Papæ epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, qua ad ejus conſultationes reſpondet; quam aliqui ſub altero Probo Coſſ. Orientali anno 502. datam fuiſſe ſcribunt, alii vero ſub Probo hujus anni Coſſ., & quidem probabilius. Avenii enim Coſſ. Occidentalis nomine ſuam epiſtolam Symmachus inſcripſiſſet anno 502. non Probi Orientalis. Cæſarii interrogationes, quibus more majorum Apoſtolicum expoſtulavit oraculum, fere his verbis conceptæ ſunt. Sicut a Perſona Beati Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium; ita neceſſe eſt, ut diſciplinis competentibus, ſanctitas veſtra ſingulis eccleſiis, quid obſervare debeant, evidenter oſtendat. In Gallia ſiquidem provincia ab aliquibus perſonis eccleſiaſtica prædia diverſis titulis alienantur. Ita fit, ut pro ſuo quis arbitrio devota mente relinquentium, & egentium neceſſitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc poſtulamus, ut fieri prohibeat Apoſtolicæ ſedis auctoritas, niſi forſitan aliquid pietatis intuitu monaſteriis fuerit largiendum. Illud etiam pari ſupplicatione depoſcimus, ut de laica converſatione, qui in ſingulis judicium officiis meruerint, aut certe rexerint ſub aliqua poteſtate Provincias, niſi multo ante tempore præmiſſa converſatione legitima, & vita examinata, nullus Clericus, aut Epiſcopus ordinetur. Viduas etiam jamdiu religioſo habitu aſſumpto, & ſanctimoniales longo jam tempore in monaſteriis conſiſtentes, poſcimus ut unicuique conjugii cauſa, nec volentes ſibi jungere, nec invitas rapiendi, libera ſit facultas. Illud etiam humili prece ſuggerimus, ut nulli per ambitum ad Epiſcopatum concedatur accedere, nec data pecunia ſibi potentes homines ſuffragatores adhibeant. Et ut hæc facilius poſſint cuſtodiri, Clerici, vel Cives decretum facere, vel ſubſcribere, ſine metropolitani notitia, vel conſenſu penitus non præſumant. Hæc omnia ultione diſtrictionis veſtræ fieri prohibete, quatenus, & in Eccleſia veſtra, & in ſupradicta Provincia diſciplina bonis actibus amica ſervetur.

Symmachi epiſt. ad Cæſarium.

2. Juſtis Cæſarii expoſtulationibus continuo ſatisfecit Symmachus Papa, hæc reſcribens: *Hortatur nos æquitas poſtulationis deſiderio fraternitatis tuæ gratanter annuere de ſingulis, quæ ab Apoſtolica ſede concedi ſupplicas, quod a Patrum cautela, & proviſione non diſcrepat. Et quamvis ec-*

JESU CHR. AN. 513. *cleſiaſticæ regulæ pene omnia comprehendant, tamen ſuperfluum eſſe non credimus, denuo, quæ ſunt ſæpius interdicta, repetere*. Ac primo eccleſiæ poſſeſſiones, quas proprio jure poſſidet, quibuslibet titulis atque contractibus, non eſſe diſtrahendas jubet, niſi forſitan aut clericorum meritis, aut monaſteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis neceſſitas largiri ſuaſerit, ſic tamen, ut hæc ipſa non perpetuo ſed temporaliter donec vixerint perfruantur. Unde beneficiorum eccleſiaſticorum originem inde duxiſſe patet. Qui vero non Dei gratia, ſed promiſſione rerum eccleſiaſticarum ad ſacerdotium conantur accedere, canonum auctoritate jubet, omni officio privandos eſſe; laicas etiam perſonas ad Sacerdotium cito non eſſe promovendas docet, ſed per gradus, ita ut a minoribus ad majores tranſeant. Raptores vero viduarum, vel virginum, pro immanitate facinoris, ſi volentes vel invitas matrimonio ſibi ſociare tentaverint, a communione omnino rejiciendos eſſe decernit. Neque viduas ad nuptias tranſire permittit, quæ in religioſo propoſito diuturna obſervatione permanſerunt; aut Virgines, quas annis plurimis in monaſteriis ætatem peregiſſe contigerit. His aliiſque de Epiſcoporum ordinatione ſtatutis: *Hortamur itaque, ut pro catholicæ religionis intuitu, & eccleſiarum pace, hæc univerſi fideli ac devota mente cuſtodiant, quia non eſt dubium prævaricatores interdictorum talium, juxta venerandos canones propriæ communionis ſubire jacturam. Hæc tamen ad omnium Epiſcoporum volumus perferri notitiam. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data* VIII. *Idus Novembris, Probo viro clariſſimo Conſule*.

S. Cæſarius Virginum cœnobium ædificat.

3. Inter cetera Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi geſta, monaſterium ſorori ſuæ Cæſariæ eum ædificaſſe narrat Cyprianus ejuſdem vitæ auctor. At cum vix operi manum admoviſſet, anno 509. obſidentibus Arelatem Francis ac Burgundionibus, *monaſterium quod ſorori, ſeu reliquis virginibus inchoabat fabricari, multa ex parte deſtruitur, tabulis ac cænaculis Barbarorum ferocitate direptis, pariter & everſis*. Sed pace Arelatenſibus reddita, inchoatum tandem perfecit opus, ac Cæſariam, e Maſſilienſi monaſterio, quo eam monaſticis diſciplinis informandam miſerat, revocatam, Arelatenſi monaſterio præfecit, in quo *ſecundum ſtatuta Sanctorum Patrum præſcripta conveniunt ibi Virginum multitudines cater-*

Boll. die 27. Au. Act. SOB tom. 1. p. 664.

vatim: facultatibus quoque & *parentibus renuntiantes*. Porro Cæſaria tantæ virtutis erat, ut fratris nomen æque, & virtutes præſeferret, cujus meminit Venantius Fortunatus carmine de Virginibus: JESU CHR. AN. 513. *Venant. Fortunatus lib. 8. carmin. de virgin.*

> *Has inter comites conjuncta Cæſaria fulget,*
> *Temporibus noſtris Arelatenſe decus;*
> *Cæſarii monitis, luci ſociata perenni,*
> *Si non martyrii, Virginitatis ope.*
> Et inferius:
> *Dulce decus, ubi ſit veneranda Cæſaria præſens,*
> *Præſule Cæſario, non caritura ſuo.*

Cæſarii regula pro monialibus.

Cæſarii regulam virginibus traditam exibet, & pluribus explicat Cointius. Hanc primam pro monialibus ſcriptam autumat Mabillonius. Cujus prima lex erat, ut nulli ad mortem uſque monaſterio egredi liceret. Puellæ ante annos ſex aut ſeptem non admittebantur, Litteras diſcebant omnes, ac omni tempore duabus horis, hoc eſt a mane uſque ad horam ſecundam, lectioni vacabant, divinis cæterum officiis, ac labore communi, in primis lanificio occupatæ. Abbatiſſæ nec refectio, nec manſio privatim permittebatur. Veſtes vero nativi, aut candidi coloris erant. Eleemoſynas ad januam monaſterii propter nimiam inquietudinem dari prohibuit, maluitque per proviſorem ad Abbatiſſæ nutum diſpenſari. Janua monaſterii exterior numquam patebat, ita ut ipſa menſæ hora, claves apud ſe Abbatiſſa retineret. Lectio non modo ad menſam, ſed etiam tempore laboris communis fiebat. Librorum etiam ſcriptio nonnullis pro labore erat. Pullorum eſus infirmis tantum conceſſus erat, aliæ carnes citra deſperatam infirmitatem interdictæ. Cæterum cibaria, ſeu fercula diebus jejunii tria, in prandiis bina, tertio haud dubie in cænam reſervato. In feſtivitatibus majoribus ad prandium & ad cænam alia ſuperaddita, & in fine dulciamina. Vini uſus permiſſus pro infirmitate, aut qualitate conditionis delicatioris. Singulis diebus ſive hiemis, ſive æſtatis, bini caldelli ſeu calices, in diebus jejunii ad refectionem terni, junioribus tantum bini concedebantur. Jejunia, ſecunda, quarta, & ſexta feria a Kalendis ſeptembris, a Kalendis vero Novembris uſque ad Natale Domini quotidie, exceptis feſtivi-

Jesu Chr. An. 513. tatibus, & ſabbatis. Ante Epiphaniam ſeptena jejunia, abhinc ad quadrageſimam nonniſi feriis ſecundis, quartis, & ſextis. Nullum a paſchate ad Pentecoſten jejunium, deinceps ad Kalendas ſeptembris id Abbatiſſæ diſcretioni relinquitur. Hæc eſt Regula, quam beata Redegundis in Pictavienſi ſanctæ Crucis parthenone ſecuta eſt, tantopere a Venantio Fortunato, aliiſque laudata.

S. Cæſarii regula pro monachis. 4. Præter hanc regulam monialibus traditam; cum ipſe Cæſarius, etſi primo clericus, & Presbyter, deinde Epiſcopus, humilitate tamen, caritate, obedientia, monachi vitam ageret, ac Lirinenſium inſtituta ſervaret, ut habet Cyprianus, aliam quoque regulam pro monachis ſcripſit, quam Tetradio, ſive Tetridio Presbytero & Nepoti tradidit, quæ Tetradii regula dicta eſt. Hanc tamen ab eodem Sancto Epiſcopo dictatam, extra dubium eſt, cum eadem fere contineat, ac ea quæ Monialibus præceperat, ejuſdemque auctoris eſſe, ex utrarumque collatione patet: capitibus 26. eadem conſtat, quam his aliiſque monitis concludit: *Cogitate jugiter, unde exiſtis, & ubi pervenire meruiſtis. Reliquiſtis fideliter Mundi tenebras, ac lucem Chriſti feliciter videre cœpiſtis. Comtempſiſtis libidinis incendium, & ad caſtitatis refrigerium perveniſtis: reſpuiſtis gulam, & abſtinentiam elegiſtis: repudiaſtis avaritiam, atque luxuriam, & caritatem vel miſericordiam tenuiſtis. Et quamvis vobis uſque ad exitum vitæ non deerit pugna, tamen Deo donante ſecuri ſumus de veſtra victoria. Sed rogo vos, venerabiles filii, ut quantum eſtis ſecuri de præteritis, tantum ſitis ſolliciti de futuro. Omnia enim crimina, vel peccata cito ad nos revertuntur, ſi non quotidie bonis operibus expugnantur*; & poſt aliqua: *Veſtes enim ſeculares deponere, & religioſas aſſumere, unius horæ momento poſſumus: mores vero bonos jugiter retinere, vel contra maledulces voluptates ſeculi hujus, quandiu vivimus, Chriſto adjutore laborare debemus: quia non qui inceperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem ſalvus erit*. Hæc aliaque Cæſarius monachis æque ac monialibus, quibus frequentes exhortationes ſcripto dedit, in quibus ſuperbiam, invidiam, virorum colloquia, & familiaritatem, veſtium elegantiam, ſplendidumve colorem, colloquia vana, aut ſuperflua cavenda admonet. Ad Cæſariam vero ſororem, cum monaſterii præſes eſſet, duas dedit epi-

Holſt. collect. Regul p. 2. pag. 89. bibliotb. PP. to. 8. pag. 875.
Cæſarii monita ad monachos.

Cæſarii monita ex ejus epiſtolis.

epiſtolas, quarum tempus nos fugit. *Prior* ſic incipit: *Coegiſti me famula Dei, ac venerabilis ſoror*, eaque teſtatur Cæſariam divinis voluminibus aſſidua meditatione vacare, eamdemque ad pietatem excitat, præcipue vero ut fictam humilitatem fugeret: *Umbram enim hujus virtutis multi, veritatem autem ſequuntur pauci*. In altera, cujus exordium eſt: *Cæſarius Epiſcopus minimus omnium Servorum Dei famulus, Cæſariæ Sanctæ Sorori Abbatiſſæ &c.* optima vitæ ſpiritualis præcepta excurrit. Præclara item ſunt ejus monita ad Oratoriam Abbatiſſam Arlucenſis monaſterii, a Nazario Lirinenſi Abbate conditi, qua eam admonet, ut temporalia quaſi pro tempore agat, ut ſemper tenacius ſpiritualibus officiis inhæreat, illis expeditis ad orationem illico, vel lectionem, quaſi ad matris ſinum reverſura, ac tandem, ne plura addamus, ut exemplo magis, quam verbis ſubjectas ſibi ſorores regeret, hortatur.

Mabill. annal. Bened. p. 22. biblioth. PP. tom. 27. pag. 351.

Cæſarius Ravennam ſub cuſtodia perducitur.

5. Cumque in ea excolenda vinea totus eſſet Cæſarius, Romam uſque, quin Ravennam uſque ad Theodoricum Regem ſub arcta cuſtodia, tanquam proditionis reus perductus eſt, unde Cyprianus in ejus vita: *Contra Servum Chriſti Diabolus ut leo rabidus intumeſcens iterum accuſatione confecta extrahi ab Arelate Antiſtitem fecit, & in Italiam ſub cuſtodia, Ravennamque perduci: ut impleretur in eo, ſicut probatur aurum, & argentum in fornace, ita corda electorum apud Deum. Adiit ergo Palatium, Regem quoque Theudericum Chriſto duce ſalutaturus aggreditur. Ut vero Rex Dei hominem intrepidum venerandumque conſpexit, ad ſalutandum reverenter aſſurgit, ac depoſito ornatu de capite clementer reſalutavit, primum interrogans de labore ipſius atque itineris, dehinc de Gothis ſuis, ac de Arelatenſibus affectuoſe requirens. Egreſſo igitur viro ſancto Pontifice a conſpectu Regis, ſuos alloquitur Rex, dicens: Non parcat illis Deus, qui hujus innocentiæ virum, atque ſanctitatis fruſtra fecerunt itinere tam longo vexari &c.* cui etiam argenteum diſcum ſexaginta librarum cum ſolidis trecentis miſit. Ille vero, qui in uſum menſæ ſuæ argentum numquam habuit, præter cochlearia, die tertia diſcum publice venundari fecit, ejuſque pretio captivorum plurimos liberavit; eos præcipue, qui ex Galliis in Italiam perducti fuerant, eoſque plauſtris impoſitos, ut ad propria redirent, effecit.

apud Boll. vel Mabill. AOB. tom. 1.

6. Ipſe

JESU CHR. AN. 513. S. Cæſarius Romam pergit. Symmachus Papa Pallii uſum Cæſario tribuit. *Thomaſ. part. 1. lib. 2. cap. 54. Mabill. oper. poſthuma tom. 1. cap. 9. Greg. epiſt. 107. lib. 9.*

6. Ipſe vero Cæſarius Ravenna egreſſus, Romam perrexit, ubi a Symmacho Papa, & a Senatoribus maximo cum honore exceptus eſt. Cui etiam Symmachus Papa: *Tanta meritorum ejus dignitate permotus, non ſolum veriſſime eum metropolitæ honore ſuſpexit, ſed & conceſſo ſpecialiter, pallii decoravit privilegio. Diaconos ipſius ad Romanæ inſtar eccleſiæ Dalmaticarum fecit uſu præeminere*, atque tunc primum, cum vicaria Apoſtolicæ ſedis auctoritate, pallii uſum conceſſum fuiſſe adnotant, eruditi viri Thomaſſinus, & Mabillonius; ac Cæſarium in Occidente primum fuiſſe, cui tale ornamentum Romani Pontifices conceſſerint, addunt. Quod ſane circa Arelatenſes Epiſcopos ex Vigilii Pontificis epiſtola ad Auxanium ejuſdem ſedis Epiſcopum conſtat, cui cum Prædeceſſorum ſuorum more vices ſuas in Galliis demandaſſet, adjungit: *Quia digna credimus ratione compleri, ut agenti vices noſtras Pallii non deſit ornatus, uſum ſibi ejus, ſicut deceſſori tuo prædeceſſor noſter Symmachus legitur contuliſſe; Beati Petri ſancta auctoritate concedimus &c.* Non enim potius Symmachum nominaſſet Vigilius, quam alios Pontifices, ſi pallii uſum ante Symmachi tempora Pontificibus Arelatenſibus conceſſum fuiſſet. De privilegio etiam Diaconis Arelatenſis Eccleſiæ conceſſo a Symmacho Papa, ut Dalmaticis uti poſſent, adnotat Mabillonius, id etiam ex ſingulari beneficio tributum fuiſſe; eaſque Epiſcopis etiam conceſſas fuiſſe, Aregio ſcilicet Vapincenſi Epiſcopo, & Valatonio ejus Archidiacono, ex S. Gregorio Papa ſcimus. De Dalmaticis, quarum deinde uſus Diaconis communis evaſit, differit Baronius die 31. ad Martyrologium Rom. Nonnulla etiam obſervantur in notis ad dictam S. Gregorii epiſtolam.

Ennodii epiſtola ad S. Cæſarium. *Ennod. epiſt. 33. lib. 9. apud Sirmond. tom. 1. pag. 1390.*

7. Cæſarii Ravennam adventus meminit Ennodius Ticinenſis tunc Epiſcopus in epiſtola ad eum data his verbis: *Quod ſpe perceperam, litteris indicaſtis; nam venerandi promulgatione colloquii, quid Cæleſtis Imperator Dominum Regem circa vos facere compuliſſet, agnovi. Ergo cui poſtquam meritum veſtrum patuit, nequaquam ſe felicitas actionis abſcondit. Quis hominum nobiliſſimo in Chriſti ſervitute Pontifici terrenas dominationes neſciat eſſe ſubjectas, & minacem Regis potentiam innocentiæ objectione ſuperari? Quando principalis purpura aut cilicia deſpexit, aut pallium? Quando libertas illa potiſſima credidit ſibi ante Chriſtianam humilitatem*

lice-

licere quod voluit, *aut quando ei licuit velle quod læderet*; multa deinde in Cæſarii laudem addit, quæ brevitatis ſtudio præterimus. Jesu Chr. an. 513.

Symmachi epiſtola ad Epiſcopos Galliæ.

8. Dum Romæ Cæſarius ageret, a Symmacho Papa obtinuit, ut antiqua lis, quæ magna animi contentione inter Eonium prædeceſſorem ſuum, & Avitum Vienneuſem Epiſcopum agitabatur, finem imponeret. Nam Symmachus Leonis Magni veſtigiis inhœrens, quæ ab eo ſtatuta fuerant, circa utriuſque Diœceſeos limites, Galliarum Epiſcopis ſcribens, ſervanda juſſit: *Dilectiſſimis Fratribus univerſis Epiſcopis per Gallias conſiſtentibus Symmachus*, ac adSedis apoſtolicæ ſollicitudinem pertinere addit, ut de concordia univerſalis Eccleſiæ, quæ toto orbe diffuſa eſt, pervigili cura tractetur: quæ tunc præcipue efficacius adoleſcit, ſi ea, quæ a patribus ſtatuta ſunt, ætas ſubſequens reverenter obſervet. Cæſarius ſiquidem frater & Coepiſcopus noſter, metropolitanæ Arelate civitatis Sacerdos, eccleſiæ Beati Apoſtoli Petri liminibus præſentatus, ea quæ pridem de privilegiis eccleſiarum conſtituta ſunt, noſtris poſtulavit innovari ſermonibus. Cuncta igitur inter Eccleſias Arelatenſem, & Viennenſem a deceſſore noſtro beatæ recordationis Leone Papa, quæ ſuper hac parte ordinata ſunt, eccleſiæ Romanæ fidelis declarat inſtructio. Atque ideo ne ea, quæ ſemper veritatis eſt æmula, ſibi aliquid vindicare queat oblivio, & prioris decreti vigor temporis diuturnitate vergat in ſenium, neceſſarium duximus olim promulgata in lucem reddere noſtris affatibus. Idcirco quemadmodum deceſſor noſter Leo Papa, dudum cognitis allegationibus partium definivit, parochiarum numerum, vel quantitatem Arelatenſi, & Viennenſi ſacerdotibus deputandam, & nos præcipimus nullius uſurpatione violari: ſed ut ante prædiximus, juxta indulgentiam ſupradicti Pontificis, Valentiam, Tarantaſiam, Genevam, atque Gratianopolim oppida Viennenſis Antiſtes juri ſuo vindicet; nec quidquam amplius ab his, quæ ſemel ab Apoſtolica ſibi ſede conceſſa ſunt, æſtimet præſumendum. Alias vero parochias, vel diæceſes cunctas privilegio, & honore ſuo Arelatenſis epiſcopatus ſub temporum continuatione defendat. Nec enim obſervatio, & vetuſtatis reverentia cuſtoditur, ſi amplius de humilitate gloria Sacerdotalis attollitur. Proinde, fratres cariſſimi, ſinguli honoris ſui diſtributione contenti, nec per ſæcularia patrocinia

Jesu Chr. An. 513.

cinia, nec per cujuslibet excuſationis obtentum, illicita præſumptione, terminos conceſſæ poteſtatis excedant &c. Data idibus Novembr. Probo VC. Coſſ. Hactenus Symmachi epiſtola ad Galliæ Epiſcopos, quæ controverſiæ per plurimos optatæ circa diœceſeos fines inter Epiſcopos Viennenſes, & Arelatenſes finem impoſuit.

Sigiſmundus Burgundiæ Rex Apoſtolorum limina viſitat.

9. Hoc tempore cum Sigiſmundus Burgundionum Rex Aviti Viennenſis Epiſcopi opera, abdicata Ariana perfidia catholicam Fidem ſuſcepiſſet, ut teſtes ſunt Gregorius Turonenſis, Agobardus, aliique Galliarum ſcriptores, Romam uſque ad limina Apoſtolorum profectus, a Symmacho Papa multo cum honore exceptus, ac Sanctorum reliquiis ditatus, in Gallias rediit, quo cum eſſet, paulopoſt ad Symmachum Papam Aviti manu litteras per Julianum Diaconum miſit, quibus Symmacho pro acceptis, dum Romæ eſſet, beneficiis gratias agit, & ut aliæ Sanctorum reliquiæ ſibi concederentur, expoſtulat, quas ſane ante annum proximum 514., qui Symmachi ultimus fuit, eum ſcripſiſſe conſtat. Dignæ omnino, ut integræ eccleſiæ annalibus inſerentur. Sunt autem ejuſmodi: Dum ſacra Reliquiarum pignora, quibus per me Galliam veſtram ſpirituali remuneratione ditaſtis, negare petentibus non præſumo, me quoque ſanctorum patrocinia poſtulare ab irriguo veſtri Apoſtolatus fonte neceſſe eſt. Quamquam etſi eſt adhuc apud nos de dono veſtro, quod catholicæ Religionis debeat ſtudio celebrari, etiam illud tamen convenit juſtæ devotionis intelligi, ut directis litterarii ſermonis officiis alloquia illa captemus, quibus me Pontificatus veſter, vel præſentem monitis docuit, vel abſentem interceſſionibus acquiſivit. Nec nunc paginæ præſentis obſequium reperta opportunitas complectitur: ſed deſtinato ad vos diacono portitore, viro venerabili Juliano, ad univerſalis Eccleſiæ præſulem ſpiritu repræſentante concurrimus. Creſcit quippe beneficiorum recordatione deſiderium: nec unquam meis elui ſenſibus poſſunt, quæ nobis apud Italiam veſtram, vel Pontificalis benignitas, vel civilitas Regalis impendit, cum poſt familiaritatem totius munificentiæ commodis præferendam, quia iſtic liberius laxavit reditum, illinc tenacius vinxit affectum. Attentior pro veſtris, quod ſupereſt, incumbat oratio. In augmento namque ovium creſcit cuſtodia paſtoralis. Sacris nos Apoſtolorum liminibus commemo-

apud Sirmond. tom. 2. inter epiſt. Aviti num. 27.

memoratione aſſidua præſentantes, ſpeciali dum vixero prædicatori veſtro, ubi obtinuiſtis initium, impetrate profectum. Litteris nos, in quantum poſſibilitas patitur, aut libertas, quibus nobis doctrina, & incolumitas veſtra floreat, frequentate. Et ut ſupra ſperavimus, ambienda nobis venerabilium reliquiarum conferte præſidia, quarum cultu, & beatiſſimum Petrum in virtute, & vos ſemper habere mereamur in munere. Hactenus Sigiſmundi Regis epiſtola ad Symmachum.

Epiſtola monachorum Palæſtinæ ad Alcyſonem de geſtis Severi.

Evagr. lib. 3. cap. 33.

11. Quis Orientalium eccleſiarum ſtatus eſſet, aut luctus, Palæſtinæ Monachi ad Alcyſonem ſcribentes, his verbis narrant: *Porro Severus in epiſtolis ſuis Synodicis, Chalcedonenſem Synodum diſerte anathematizavit. Qua de re monachi Palæſtinæ in litteris ad Alcyſonem ita ſcribunt, Synodicæ quidem epiſtolæ Timothei Conſtantinopolitani hic in Palæſtina ſuſceptæ ſunt. Macedonii vero, & Flaviani depoſitio haudquaquam ſuſcepta eſt. Sed neque Severi Synodicæ ſuſceptæ ſunt litteræ. Verum hi, qui eas attulerant, contumelia & probris affecti, ſicut merebantur, fugam arripuerunt, cum Populus civitatis, & Monachi adverſus eos inſurrexiſſent. Et Palæſtina quidem hoc in ſtatu erat.* Aliarum eccleſiarum varia conditio erat, nam qui Antiocheno Epiſcopo ſuberant, alii per fraudem inducti ſunt, ex quorum numero eſt Marinus Epiſcopus Beryti. Alii vero vi ac neceſſitate compulſi, conſenſerunt Severi ſynodicis, quibus anathema continebatur, tam adverſus Synodum Chalcedonenſem, quam adverſus reliquos, qui duas in Domino noſtro naturas, aut proprietates dixerant, alteram carnis, alteram Deitatis. Quidam cum neceſſitate adacti conſenſiſſent, poſtea mutati, ſententiam revocarunt: inter quos ſunt Epiſcopi, qui ſubjacent Apameæ. Nonnulli conſentire penitus recuſarunt, ex quorum numero eſt Julianus Epiſcopus Boſtræ, & Epiphanius Tyri, & alii quidam, ut ajunt, Epiſcopi. Iſauri vero tandem ad ſanam mentem reverſi, priſtinum quidem errorem ſuum jam damnant. Severum autem cum ſectatoribus ſuis anathematizant. Quidam etiam ex iis, qui ſub Severo ſunt Epiſcopi, & Clerici, relictis propriis Eccleſiis, aufugerunt, ex quibus eſt Julianus Epiſcopus Boſtræ, & Petrus Damaſci, qui apud nos degunt. Mamas item: hic autem unus fuiſſe videbatur ex duobus anteſignanis Dioſcoranorum, a quibus Severus ipſe fuerat inſtitutus, cum eorum arrogantiam im-

probaſſet. Et paulo poſt. Monaſteria vero, quæ hic ſunt, & ipſa Hieroſolyma, aliæ item plurimæ civitates una cum ſuis Epiſcopis in recta fide conſentiunt. Pro quibus univerſis, & pro nobis, ora, ne intremus in tentationem.

Severus ab Elia Hieroſolym. Epiſcopo damnatur. *apud Cotel. monum. eccleſ. Græcæ tom. 3.*

12. Quæ autem Severus, Imperatoris fultus præſidio, & militum manu ſtipatus egerit, ut Eliam Hieroſolymorum Epiſcopum in ſuas traheret partes, a quo tamen rejectus eſt, Cyrillus in vita S. Sabæ his verbis narrat: *Severus accepto Patriarchatu, multa quidem mala iis, qui nollent cum eo communicare, intulit. Miſſis vero Synodicis ad Archiepiſcopum Eliam, nec admiſſus ad communionem, ad iram commovet Imperatorem. Iterumque eaſdem ſynodicas ſuas menſe majo ſextæ indictionis mittit Hieroſolymam, cum quibuſdam clericis, & Imperatoris copiis. Eaque re cognita, Sanctus Pater noſter Sabas in Sanctam civitatem aſcendens, una cum aliis Eremi Hegumenſis, tum eos, qui venerant cum ſynodicis Severi, a ſacra civitate expulit, tum multitudine monachorum undique collecta, ante Sanctam Calvariam cum Hieroſolimitanis clamabant, dicentes anathema Severo, iiſque, qui cum eo communicant, cum præſentes adhuc eſſent, & audirent magiſtriani, Duces, atque milites, quos miſerat Imperator*, eoſque in fugam vertit. Admirationis dignum ſpectaculum: hominem ſcilicet evangelica manſuetudine nulli ſecundum, cum periclitari videt fidem catholicam, & in diſcrimen adduci, ſuum ipſius Epiſcopum leonis induere animum, inſtarque ducis exercitus, orthodoxos monachos fide ac zelo armare ad pugnam, ac fidei hoſtes ad fugam cogere.

Coſmas & Severianus Epiſcopi depoſitionis libellum Severo mittunt.

13. Eadem conſtantia armati duo Epiſcopi, Coſmas Epiphaniæ, & Severianus Arethuſæ, Synodicis Severi epiſtolis commoti, non ſolum ab ejus communione receſſerunt, ſed etiam depoſitionis libellum ad eum mittere non dubitarunt, ut narrat Evagrius: *Porro hunc libellum* (depoſitionis) *Aureliano cuidam tradiderunt, Archidiacono Epiphanienſis eccleſiæ. Qui quoniam Severum ipſum, tantique Epiſcopatus faſtum reformidabat; ſimulatque Antiochiam venit, amictus muliebri veſte ad Severum acceſſit, jocans ac laſciviens, modiſque omnibus ſimulans ſe mulierem eſſe. Velo denique quo caput contexerat, ad pectus uſque demiſſo, lamentans atque altum ſuſpirans, & obteſtans, ſpecie ſupplicis libelli Severo procedenti depoſitionem tradit. Cumque omnes latuiſſet, ex tur-*

turba, quæ Severum ſequebatur, ſe ſubduxit: fugaque arrepta, ſalutem ſibi quæſivit, priuſquam Severus ea, quæ in libello ſcripta erant, cognoviſſet. Severus tamen, quamvis libellum ſuſcepiſſet, & quæ in illo continebantur, didiciſſet, nihilominus in ſede ſua permanſit ad obitum uſque Anaſtaſii. Porro cum Anaſtaſius ea, quæ Severo acciderant, comperiſſet: neque enim ſilendum eſt Anaſtaſii factum plenum clementiæ, atque humanitatis; mandavit Aſiatico Duci Phœnices Libanenſis, ut Coſmam, ac Severianum ſedibus ſuis expelleret, eo quod depoſitionis libellum ad Severum mittere auſi eſſent, qui cum ad Orientis partes veniſſet, & doctrinam Coſmæ, ac Severiani a multis defendi reperiſſet, urbeſque illorum admodum ſtrenue pro ſuis Epiſcopis propugnare, retulit ad Anaſtaſium, Epiſcopos iſtos propriis ſedibus exturbari citra cædem non poſſe. Tantum porro humanitatis inerat in Anaſtaſio, ut diſerte ad Aſiaticum reſcripſerit, nolle ſe quidquam ad exitum perduci, quamvis magnum atque eximium, ſi vel gutta ſanguinis effundenda eſſet. Hæc Evagrius, commendans inde Anaſtaſii clementiam, eo quod nullius ſanguinem effundi voluerit: ſed quot cœdes, quot concuſſiones, quot injurias ipſo, ſi non jubente, ſaltem conſentiente, protegente, adjuvante, Acephali catholicis non intulerunt? quot ſanctiſſimi viri, & Epiſcopi in exilium ab eo acti? quid Flavianum, Macedonium, Euphemium commorare neceſſe, qui in exilio pro fide catholica mortui ſunt. Quæ etiam hoc anno contra Eliam Hieroſolymorum Epiſcopum geſſit, immerito eum ob clementiam ab Evagrio laudatum fuiſſe probant.

JESU CHR. AN. 513.

14. Cum enim audiſſet Imperator, Severi legatos e Sancta Civitate cum ignominia expulſos; atque omnes ab ejus communione abhorrere; hæc dedecori, ac ignominiæ ſibi tribuens, *contra eos mittit*, ait Cyrillus, *Olympium quemdam Cæſarienſem, traditis ei copiis, quæ erant in Palæſtina, regia utens auctoritate, non legibus, nec judiciis. Qui cum primum aſcendit Hieroſolymam*, Eliam quidem de ſede deponit, ac eum damnat exilio: Joannem vero Marciani filium, qui promiſit, tum Severum in communionem ſuam admittere, tum Synodum Chalcedonenſem anathematizare, Epiſcopum Hieroſolymorum fecit, tertio Septembris menſis, initio undecimæ indictionis. At adveniens Sabas cum monachis ſuis Joanni perſuaſit, ne Severum ad communionem reciperet,

Elias Hieroſol. Epiſcop. in exilium mittitur.

Cyrillus vita S. Sabæ apud Cotelerium monum. eccleſiæ græcæ p. 310. tom. 3.

Bbb 2 ſed

JESU CHR. AN. 513.

ſed potius pro Synodo Chalcedonenſi adiret periculum, ut qui cunctos ſecum ſocios, & auxiliatores haberet. Sicque Joannes, etſi duci promiſiſſet, Severum a ſua communione repulit. Quod ſicut Anaſtaſius novit, in furorem verſus, Olympio amoto, Anaſtaſium Pamphili ducatui Palæſtinæ præfectum mittit, quo efficeret, ut Joannes ad communionem Severum ſuſciperet, ac Synodum Chalcedonenſem anathemate proſequeretur, aut eumdem Joannem Epiſcopatu deturbaret. Is vero Hieroſ olymam veniens, Archiepiſcopum ſtatim de improviſo adortum in publicum carcerem conjicit. Zaccharias porro quidam, qui Cæſarienſium Magiſtratum gerebat, clam in cuſtodiam ingreſſus, conſilium dat Joanni, ut ducem verbis falleret, ac diceret ſe quidem in loco quæ propoſita ſunt facere non poſſe, ne diceretur, me per neceſſitatem ac vim feciſſe: educar hinc, & poſt duos dies, proxima Dominica, quæ jubetis alacriter peragam. Quo ſermone perſuaſus dux reſtituit eum Eccleſiæ. Itaque Archiepiſcopus cum dimiſſus fuiſſet, omnem Monachorum cætum noctu ad ſanctam civitatem convocavit, & undique collegit, quam multitudinem quidam numerando, renunciarunt agmen decem millia Monachorum continuiſſe. Et quia tota Eccleſia tantum Populum capere non poterat, placuit, ut omnes die Dominico convenirent in ædem Sancti Martyris primi Stephani, quæ ad recipiendam multitudinem idonea erat; ſimul & obviam ire volente Hypatio Imperatoris ex ſorore nepote, qui tunc a Vitaliani captivitate ſolutus fuerat, & Hieroſolymam voti ac orationis cauſa ſe conferebat. Convenerunt ergo cuncti tum Monachi tum Cives in memorata venerabili æde, convenit etiam Anaſtaſius dux, & Zaccharias conſularis, cumque adveniſſet Hypatius, & cum multitudine in Protomartyris Stephani templum intraſſet, expectaretque dux voluntatem Imperatoris eſſe eventuram, aſcendit in ambonem Archiepiſcopus, ſecum habens Theodoſium, & Sabam, Monachorum principes, ac ductores, omniſque populus per multas horas clamabat; Hæreticos anathemati ſubjace, Synodum confirma. Statim igitur ex conſenſu, unaque voce, tres illi anathematizant Neſtorium, Eutychem, Severum, Sotherium Cæſareæ Capadociæ, & omnem qui Synodum Chalcedonenſem non reciperet. Quæ poſtquam ii tres prædicaverunt, atque deſcenderunt, reverſus Abbas Theodoſius, hanc ad Popu-

Joannes publice fidem Catholicam profitetur.

Digitized by Google

Populum vocem emiſit: *Si quis*, inquit, *quatuor Synodos non admittit, ſicut quatuor Evangelia, anathema ſit*. His ita geſtis, Dux quidem multitudine Monachorum territus, Cæſaræam fugit.

15. Anaſtaſius autem Imperator, cum ea quæ Hieroſolymis geſta fuerant didiciſſet, Joannem Epiſcopum, Theodoſium, & Sabam, qui ambonem una cum Epiſcopo conſcenderant, in exilium ejicere meditabatur. At re cognita, Monachorum præſides, Theodoſius, & Sabas, graviſſimis ad Imperatorem datis litteris, ut ab eccleſiarum perturbatione, catholicorumque vexatione deſiſteret admonuerunt. *Quomodo igitur*, ajunt poſt plurima, poſt quingentos & amplius a Chriſti adventu annos, Hieroſolymitæ fidem diſcimus? Unde certo intelligere eſt, hanc quæ nempe nunc priori ſecundum Chriſtum fidei inducitur correctionem, non veri Chriſti, ſed Antichriſti eſſe doctrinam, qui unionem & pacem Eccleſiarum Dei confundere nititur, cunctaque tumultu ac ſeditione replevit. Porro horum omnium auctor & opifex extitit, qui pridem & ab initio Acephalus & Apoſchiſta eſt Severus, quique Antiochiæ Antiſtes in exitium animæ ſuæ communiſque Reipublicæ, Deo ob peccata noſtra permittente, promotus eſt, nec non ſanctos patres noſtros, qui Apoſtolicam fidem definitam & traditam nobis a ſanctis patribus Nicææ congregatis, *anathemate ferit*. *Cujus ſane Acephali communionem ac unionem refugientes, prorſuſque abnegantes, oramus pietatem veſtram, ut Sionis miſereatur matris cunctarum Eccleſiarum &c.* His fidei confeſſionem addiderunt, ac concilia, Nicænum nempe, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, ſe amplecti profitentur, atque Neſtorio æque, ac Eutycheti, eorumque erroribus, anathema dicunt, ac iterum Imperatorem rogant, & admonent, *Ut deinceps deſinant mala, quæ quotidie audacter perpetrantur, aſſiduæque agitationes adverſus ſanctam hanc Dei civitatem, ſanctiſſimumque noſtrum Archiepiſcopum Joannem, ab hoſtibus nempe veritatis, idque pietatis nomine: perſuaſa veſtra poteſtas coram Deo, & electis Angelis, quod nullo modo nullaque ratione unionem cum dictis Apoſchiſtis admiſſuri ſumus, abſque legitimo, & canonico judicio &c.*

Theodoſii & Sabæ epiſt. ad Imp.

S. Sabæ petitio.

16. Hactenus S. Sabæ epiſtola ad Anaſtaſium, qua ejus furorem in catholicos aliquandiu lenivit. Eliæ abdicationem, & Joan-

De anno quo Elias in exilium pulſus eſt.

Jeſu Chr. an. 513.

& Joannis ordinationem, *quæ tertio Septembris, menſis initio undecimæ indictionis*, facta dicitur in vita S. Sabæ, quam ex Græco emendatiorem habemus ab Cotelerio editam, aliqui collocant anno 517., quo indictio undecima a Septembri cœpit, non vero currenti 513., quo ſeptima indictio in curſu fuit, atque Baronium in errore verſari tradunt. Verum, ut ab eruditis viris adnotatum eſt, vix ab hoc anno Æliæ exilium removeri poteſt, & loco indictionis undecimæ legendum ſeptimæ, vel Cyrillus eo anno Joannem Eliæ ſucceſſorem dixit, quo Elias in exilio mortuus, non vero quo ſolum vertere coactus eſt. His in Palæſtina geſtis, ira Dei illico exarſit, eamque provinciam variis flagellis ac calamitatibus quinquennio affecit. *Poſt injuſtum illud Eliæ Palæſtinæ Antiſtitis exilium, ſubdit* Cyrillus, *fames quædam & penuria rerum neceſſariarum, ſiccitas quoque & locuſta, & graves quædam plagæ integris quinque annis oppreſſerunt Palæſtinam.*

Baſnag. annal. ann. 517. n. 5.

Palæſtina variis calamitatibus exagitatur.

Cyrill. vita Sabæ p. 322.

In monachos penuria laborantes Dei providentia elucet.

17. Quomodo autem Sabæ, ejuſque monachis penuria, ac fame laborantibus, uberrimam annonam Deus miſerit, idem Cyrillus narrat. Nam cum quadam die Oeconomus maximæ Lauræ acceſſiſſet ad eum, ac dixiſſet: Non poſſum, pater, hoc Sabbato, vel Dominico die pulſationem ſigni ad Synaxim facere, quia nihil habemus, non vel dilutum pro patribus, qui conveniunt. Et ait illi ſenex: Ipſe ſacrum Dei miniſterium non inhibeo, ſi quid autem ex neceſſariis deeſt vobis, Cenonarcha ex ſupellectile aliquid pretioſum, aut indumentum mittat in urbem per oblationarium, vel procuratorem, eoque divendito, quod deeſt, emat, noſque Dei Liturgiam, & miniſterium compleamus. Attamen fidelis eſt qui dixit: *Nollite ſolliciti eſſe de craſtino*. Tum die paraſceves veniunt quidam ſanctæ civitatis popinarii & caupones nomen Sozæ gerentes, habentes prorſus triginta equorum ſeu jumentorum onus, afferentes vinum multum, panes, frumentum, oleum, mel, caſeum, ac reliqua; & cellam penariam variis repleverunt bonis, faciuntque patribus magnum feſtum. Clarius adhuc in ſanctum virum Dei providentia eluxit, cum hoc eodem tempore, ad alendos catholicos monachos, ab hæretico Imperatore annonam accepit, quem graviter offendiſſe videri poterat, cum adverſus Eccleſiam miſſis ab eo ducibus ad hæreſim Severianam propagandam reſtitiſſet idem Sabas. Neque annonam ſolum pro mo-

Matt. VI. 34.

Digitized by Google

monachis accepit, ſed etiam Palæſtinæ incolis tributi remiſſionem obtinuit, cum alteram ad Imperatorem legationem Sabas ſuſcepiſſet, ut in ejus vita pluribus proſequitur Cyrillus, quæ ibidem videri poſſunt.

Alamandurus Seracenorum dux catholicam fidem ſuſcepit.

18. Cum catholica fides ab Anaſtaſio Imp. per totum Orientem perſecutionem ſuſtineret, Eccleſiæ luctum aliquo modo temperavit Alamanduri Seracenorum ducis, cum gente ſua ad catholicam fidem converſio, quem fruſtra ab ea evertere conatus eſt Severus, ut his verbis narrat Theodorus lector. Cum Alamandurus Saracenorum Phylarcus Chriſtianam religionem amplexus eſſet, Severus duos ad illum Epiſcopos miſit, quo erroris ſui labe eum inficerent. Sed Deus id præveniens, ut Phylarchus ab iis, qui Chalcedonenſem Synodum ſuſciplebant, baptizaretur, effecit. Porro cum ii, qui a Severo miſſi fuerant, doctrinam rectæ fidei dogmatibus adverſantem Phylarcho tradere conarentur, fraudem quamdam commentus eſt Alamandurus ad doctrinam eorum convincendam. Finxit enim ſe litteras accepiſſe, quibus ipſi nuntiabatur Michaelem Archangelum fato functum eſſe. Cumque illi id fieri non poſſe dicerent: Quoniam igitur modo ſubjecit Phylarcus, Chriſtus Deus tantum exiſtens, crucis mortem ſuſtinuit, ſi duas naturas non habuit, cum ne Angelus quidem pati, vel mori poſſit? Hoc modo Epiſcopi partis Severi, pudore ſuffuſi, vale non dicto, receſſerunt. Hæc de Alemanduro Seracenorum Duce Theodorus, cui conſentiunt Theophanes, Anaſtaſius, aliique. Alterum Alamandurum Seracenorum Principem vidimus anno 509. Palæſtinam diripientem, an idem ille ſit cum eo, qui hoc anno Chriſtianam ſuſcepit fidem, in incerto eſt, nobis ea ſententia arridet, quæ unum ab altero diſtinguit, Procopii præcipue auctoritate fultis, qui de Alamanduro agens: *Per annos 50. rex peſſum Romanam dedit*, uſque ad Juſtiniani tempora, ac de cladibus ab eo illatis plura ibidem narrat.

Theoph. in cronog. pag. Anaſtaſius Hiblioth. Paul. Diac. Niceph. Cedrenus.

JESU CHRISTI an. 514. Hormisdæ Papæ 1. Anastasii Imp. 24. Theodorici Regis 22.

De Caſſiodoro conſule, ejuſque genere, & officiis.

1. Inſequens annus Domini quingenteſimus decimus quartus Magni Aurelii Caſſiodori conſulatu ſine collega in faſtis notatus eſt. Hic ex inſignioribus Romani Imperii familiis

Squil-

Jesu Chr. an. 514.

Squillaci in Calabria natus erat, virtutibus tamen magis, quam nobilitate clarus extitit. Odoacri Italiæ Regi primum chariſſimus, & dignitatibus ornatus, deinde Theodorico, cui a ſecretis fuit, utens ad conſularem dignitatem evectus eſt, poſtquam ampliſſima dignitatum ſubſellia obtinuiſſet. Primo enim privatarum æque, ac ſacrarum largitionum Comes fuit, (quam dignitatem ab Odoacre habuerat) a Theodorico præfecturis Siciliæ utriuſque, Brutiorum, atque Lucaniæ, deinde Patriciatus honorem habuerat, ac etiam Palatinam quæſturam geſſerat. At poſtea magiſter officiorum effectus, auctuſque Præfecti Prætorii officio, hoc tandem anno ad ſummi honoris apicem pervenit, Conſul creatus. Horum omnium munerum a ſe perfunctorum meminit ipſe in præfatione epiſtolis appoſita. Quomodo autem his omnibus ſpretis, conſularem purpuram in monaſticum mutaverit habitum, ſuo loco dicetur. Jam quæ eo conſule facta ſunt videamus. *Me conſule* (ait idem Theodorico alloquens) *in veſtrorum laude temporum, adunato clero, vel populo, Romanæ eccleſiæ rediit optata concordia*: quia hoc anno mortuo Symmacho, in novi Pontificis electione, omnes in unum convenerunt, & Hormiſdæ ordinatione perfectam pacem (quam aliqui Symmachi adverſarii adhuc turbabant) diu expetitam tandem conſecuta eſt Romana eccleſia.

Caſſiod. præf. in epiſt. & epiſt. 4 lib. 1.

Caſſiod. in chron. tom. 1.

2. Sed antequam Symmachum mors abriperet, ad eumdem legatos ſuos Ægidium Abbatem, & Meſſianum notarium Cæſarius miſerat, una cum libello. *Cujus* initium eſt. *Quantum in omnibus eccleſiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffuſæ ſunt &c.* In eo de Aquenſis Epiſcopi pertinacia conqueritur, qui ad ſynodum vocatus venire recuſaverat. Unde Symmachum rogabat, ut Arelatenſis eccleſiæ privilegiis confirmatis, Aquenſem Epiſcopum auctoritate ſua argueret, ac juberet ut Metropolitano (Arelatenſi ſcilicet Epiſcopo) ſubeſſet. Symmachus vero his acceptis, Cæſario reſcribens Arelatenſis eccleſiæ privilegia confirmavit, & ut Metropolitani jura tueretur, admonuit. Rationabile eſt, ut Sancta Arelatenſis Eccleſia propriis privilegiis perfruatur, & quod vetuſtas præſtitit, & patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare præſumptio. Sic tamen, ut cæterarum eccleſiarum privilegia temporibus acquiſita non titubent: quia nec poteſt ex parte firmum eſſe, quod generalitatis tangit inju-

Google

injuriam. Manentibus ſiquidem his, quæ Patrum conſtituta ſingulis eccleſiis conceſſerunt, decernimus, ut circa ea, quæ tam in Galliæ, quam in Hiſpaniæ provinciis de cauſa Religionis emerſerint, ſolertia tuæ fraternitatis invigilet, & ſi ratio popoſcerit præſentiam Sacerdotum, ſervata conſuetudine, unuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat, et ſi Dei adjutorio controverſia incidens amputari potuerit, ipſius hoc meritis applicemus; alioquin exiſtentis negotii qualitas ad Sedem Apoſtolicam te referente perveniat, ut cunctis ordine ſuo peractis, unde inimicus bonitatis ſibi blandiatur, locum invenire non poſſit. Igitur, quemadmodum ſupra diximus, per ſingulas eccleſias beneficia, quæ ſunt diu cuſtodita, ſerventur. Et ſi tam Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes, vel alius quilibet, metropolitano Pontifici juxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit ſubdendum ſe, quod non optamus, eccleſiaſticæ diſciplinæ. Et in hac parte magnopere te volumus eſſe ſollicitum, ut ſi quis de Gallicana, vel Hiſpania regionibus, eccleſiaſtici ordinis atque officii, ad nos venire compulſus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat, ut nec honor ejus per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulſa a nobis animo ſecuro in communionis gratiam poſſit admitti. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Idus Junias Flavio Senatore viro clariſſimo Conſule. Atque hæc de Symmachi Papæ geſtis dicta ſufficiant, nam hoc anno 14. Kal. Auguſti, ſeu die 19. Julii, cum ſediſſet annos 15. menſes ſeptem, & dies aliquot obiit, cujus memoria Martyrologio Romano eadem die 19. Julii recolitur, eumque plurimas Sanctorum Martyrum eccleſias ædificaſſe vel reſtauraſſe, pretioſiſque donariis exornaſſe narrat Anaſtaſius, ut mirari ſubeat, tantam auri argentive copiam hiſce ædificiis erogari potuiſſe a Romano Pontifice, ea ætate, cum urbs ipſa captiva veluti ſub Barbaro Rege teneretur.

Symmachi Papæ obitus.

apud Anaſt. t. 3 pag. 119. & 131.

3. Inter cetera a Symmacho ad eccleſiaſticam diſciplinam ſartam tectamque tuendam ſtatuta, memoria dignum eſt, quod Apoſtolica auctoritate fultus, Laurentius Mediolanenſis eccleſiæ Epiſcopus ſubjectis ſibi Epiſcopis juſſit, ut Epiſcopi, & presbyteri converſationis ſuæ, & continentiæ concellaneos teſtes haberent, ne ſuſpicionibus, aut falſis accuſatio-

Decretum de concellaneis adhibendis.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 514. tionibus facile locus daretur, ut non multo ante in Symmacho Papa acciderat, quem adulterii crimine accuſatum fuiſſe ſupra vidimus. Hinc poſt aliqua addit, maxime cum mali ipſius recens oculis offeratur exemplum, cum Apoſtolicæ Sedis Præſulem, & omnium pene Eccleſiarum gubernacula tractantem, per proximi tumultus incendium inimicorum rabies tali ore momordiſſet &c. Nullum ergo Sacerdotum, antiquis & modernis legibus obſequentem, nullumque Levitarum, ſine bene probata volumus in quocumqne loci manere perſona: vel quem ſubſtantiæ exilitas non permiſerit habere conſortem, ipſe concellaneus fiat alterius. Publicum ſit apud Religioſos omne quod geritur; clandeſtina repudietur obſcuritas, multos habeat actnum conſcios, qui Deo debet innocentiam &c. Hæc autem Apoſtolicæ ſedis auctoritate vulgaſſe, ſequentia verba teſtantur. Unde manſuro cum Dei, & Redemptoris noſtri ordinatione conſtituto ſancimus, Apoſtolicæ ſedis B. Petri, vel Præſulis ejus auctoritate Papæ ſubnixi, qui vitia deſiderat radicitus amputari, ut nullus Religioſorum de memoratis ordinibus aliter, quam præfati ſumus, audeat converſari; vel quicumque præſumpſerint, cum amiſſione pudoris honorum damna ſuſtineant. Quomodo grande malum eſt, dicatam Deo Perſonam ſalutaribus monitis non parere. Nullus ſecum extraneas habeat mulieres, præter perſonas canonibus deſignatas, ne agendo taliter, etiamſi vita ſit innocens, damnum opinionis incurrat &c. Idem etiam

Anaſtaſius ut ſupra. Symmachus *conſtituit, ut omni die Dominico, vel natalitiis Martyrum hymnus Gloria in excelſis, diceretur*, & paulo poſt: *Hic fecit ordinationes quatuor in urbe Roma per menſem Decembrem, & Februarium, Presbyteros 92. Diaconos 16. Epiſcopos per diverſa loca numero 117. ordinavit. Qui etiam ſepultus eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli 14. Kal. Auguſti, & ceſſavit Epiſcopatus ejus dies ſeptem*. Ad ultimum addimus,

Epiſtola Symmacho ſuppoſita. Symmachi nomine a nonnullis proferri epiſtolam Theodoro Lauricenſis Epiſcopo data, qua pallii uſum eidem concedit, hancque, quod mirum eſt, Pagius vir tantæ Critices Symmacho vindicandam credidit. At ejuſdem ſtylus toto

Dupin. tom. ſecul. 6. pag 30. Cœlo ab aliis Symmachi epiſtolis differt, indignamque prorſus tanto Pontifice judicavit Dupinius.

Hormiſdas Symmacho ſuccedit. 5. Symmacho e vivis erepto, Hormiſdas Romanæ eccleſiæ Diaconus, ex Patre Juſto, patria Fruſinatis Pontifex ele-

electus, die 27. Julii, quæ cum dominica concurrebat, Jesu Chr.
ordinatus eſt, eaque occaſione Clerus populuſque Romanus ad priſtinam concordiam rediit. De geſtis ab Hormiſda hoc anno nil certi habemus, ex veteri tantum traditione, cujus teſtes ſunt Hincmarus in Remigii vita, & Anaſtaſius, Clodoveum Francorum Regem, audita novi Pontificis ordinatione ad eum miſiſſe *Regium cum gemmis pretioſis donum B. Petro Apoſtolo*, ideſt coronam auream gemmis ornatam; idque ipſo Remigio ſuggerente factum, addit Baronius. Verum quin hæc admittamus, obſtant ea, quæ diximus anno 511., quo Clodoveum e vivis abiiſſe adnotavimus. Eadem ratione inter apocryphas Hormiſdæ epiſtolas recenſenda eſt ea, quam ex Vaticana bibliotheca eruiam Baronius ſuis annalibus inſeruit, & poſt eum conciliorum editores ad Remigium datam, qua Hormiſdas Remigio ob præclara ejus, & ſuæ ſedis merita, & virtutes Vicariatum Sedis Apoſtolicæ per omnes Gallias confert, quam dignitatem Cæſario Arelatenſi Epiſcopo paulo ante Symmachus Papa tribuerat. Quæ ſane, ut cetera falſitatis argumenta prætercam, tanti ſunt, ut hujus epiſtolæ nullam rationem habuerit Sirmondus, eamque a Gallicanis conciliis rejecerit; eam nihilominus Dupinius inter Hormiſdæ epiſtolas recenſere non dubitavit.

an. 514.

Baronius ann. 514. num. 14.

Labb. tom. 4. pag. 1420.

Dupin. ſæcul. 6. pag. 33.

6. Eccleſiæ ſtatum jamdiu turbaverat Anaſtaſius Imp., cum præcipue catholicis dejectis Epiſcopis, Macedonio ſcilicet CP., Flaviano Antiocheno, & Elia Hieroſolymitano, aliiſque, eorum eccleſias hæreticis tradiderat; hoc autem anno, quas in Eccleſia turbas excitaverat, in Imperio ipſe expertus eſt, ac Imperiali throno Vitaliani factione pene dejectus, ut Theophanes, Marcellinus, Evagrius, aliique narrant. Religionis prætextum ſuæ adverſus Imperatorem rebellionis Vitalianus induerat, ut ſcilicet Catholicorum cauſam, & fidem tueretur. Unde Theophanes hoc anno: Vitalianus, occupata univerſa Thracia, Scytia, & Myſia, ducens ſecum ingentem Unnorum, & Bulgarorum numerum cepit Anchialum, & Odyſſopolim, ipſumque Thracicæ militiæ Magiſtrum Cyrillum, prædis quaque verſus ad Byzantium uſque abactis, comprehendit. At cum Urbi parceret, ad Soſthenum caſtra metatus eſt. Anaſtaſius rebus pene deſperatis, Senatorii ordinis nonnullos, qui de pace cum eo agerent, miſit: juravitque una cum univerſo Senatu Epiſcopos exules Heracleam

Vitalianus adverſus Anaſtaſium Imp. rebellat.

Theoph. pag. 137.

Jesu Chr. an. 514.

Anaſtaſius Imp. Vitaliani metu revocaturum ſe ab exilio Epiſcopos jurat.

Thraciæ ſe revocaturum. His addit Vitalianus, ut totius exercitus Principes, & urbis Magiſtratus idem jurejurando confirmarent, atque ut Macedonius, & Flavianus propriis thronis injuſte expulſi, una cum ceteris Epiſcopis ad ſuas redire eccleſias poſſent, ac convocaretur Synodus, ad quam Pontifex Romanus, & cuncti accederent Epiſcopi; ut hoc pacto, quæ adverſus Orthodoxos perperam hactenus geſta fuerant, ſynodi judicio ſubjicerentur. Imperator vero, & univerſus Senatus, cum hæc ſe facturos jurejurando promiſiſſent, pax tandem Vitalianum inter & Anaſtaſium Imp. conciliata eſt, iiſque geſtis ad ſua Vitalianus repetiit, ait Theophanes. Qua autem mente, hæc omnia juramento firmaverit Anaſtaſius, infra videbimus, cui nil facilius erat, dum in anguſtiis eſſet promittere, & jurare, ſed eadem facilitate familiare ei erat, datam fidem fallere. Ut tamen ſerio ſe paci ſtudere populo perſuaderet, Synodum Heracleæ indixit, ad quam una cum Epiſcopis plurimis, Hormiſdam quoque Pontificem invitavit, cui hanc dedit epiſtolam. *Victor Anaſtaſius, Pius felix, inclytus, Triumphator ſemper Auguſtus, Hormiſdæ Sanctiſſimo, ac religioſiſſimo Archiepiſcopo & Patriarchæ. Omnibus negotiis divinæ res præponendæ ſunt, Deo etenim Omnipotente propitio, rempublicam & conſervandam & meliorandam eſſe confidimus. Quia igitur dubitationes quædam de orthodoxa religione in Scythiæ partibus videntur eſſe commotæ, id ſpecialiter clementiæ noſtræ placuit, ut venerabilis Synodus in Heracleotana civitate Provinciæ Europæ celebretur, quatenus concordantibus animis, & omni veritate diſcuſſa, vera fides noſtra omni Orbi terrarum manifeſtius innoteſcat, ut deinceps nulla poſſit eſſe dubitatio, vel diſcordia. Quapropter Sanctitas tua cum quibus ſibi placuerit reverendiſſimis Epiſcopis, quos de eccleſiis ſub ſui ſacerdotii cura conſtitutis idoneos, & inſtructos erga orthodoxam religionem eſſe probaverit, ad præfatam Heracleotanam civitatem intra diem Kalendarum Juliarum venire dignetur. Data V. Kal. Januarii Conſtantinopoli, Senatore VC. conſule. Accepta pridie Idus Maii, Florentio VC. conſule.* Accepta (ſcilicet Romæ) pridie idus Maii Florentio VC. Coſſ. Hæc Anaſtaſius ad Hormiſdam, ad quem alias etiam dedit, ut anno ſequenti dicturi ſumus.

JESU

JESU CHRISTI an. 515. Hormisdæ Papæ 2. Anastasii Imp. 25. Theodorici Regis 23.

1. Inſequens annus Domini quingenteſimus decimus quintus Conſulatu Anthemii, & Florentii ſignatus, novas gravioreſque moleſtias Anaſtaſio Imperatori peperit, ut iterum adnotant Marcellinus, aliique: *Vitalianus eidem Anaſtaſio immanior factus eſt inimicus: præmiſſis ſuorum equitibus, armatiſque naviculis, ſiniſtro ſibi littore decurrentibus, ipſe peditum armis ſtipatus Siſthenſe prædium aggreſſus eſt, totiuſque loci palatium habuit manſionem*: ab Imperatore Marinus contra eum miſſus eſt, & inito navali certamine, Vitalianus terga vertit, ut narrat Evagrius. Nihilominus poſt hæc de fœdere ineundo actum eſt. *Miſſi ſunt ad Vitalianum Senatòres, qui pacis cum eo leges componerent. Nonaginta auri pondera, exceptis regalibus muneribus, pro pretio tunc accepit Hypatii, jam mille centum auri libris cum Uranio captivo ſibi a ſuis in Sozopoli oblatis. Magiſter militum Vitalianus per Thraciam factus, Hypatium, quem captivum catenatumque apud Acres caſtellum tenebat, reverſus ſuo remiſit avunculo*. Hæc Marcellinus. Inter conditiones ea præcipue erat, ut exules Epiſcopi ab exilio revocarentur, & ad finiendas de Fide quæſtiones ſynodus celebraretur.

Vitalianus bellum proſequitur contra Anaſtaſium.

Evag. lib. 3. cap. 43.

Marcell. ut ſup.

2. Eam ob cauſam Anaſtaſius, & Vitalianus Patricium ad Hormiſdam Romanum Pontificem legatum miſerunt, rogantes ut officio, & auctoritate ſua, pacem eccleſiis reſtitueret. Vitaliani epiſtolæ deperditæ ſunt, ſed remanent alteræ ab Anaſtaſio Imperatore ad Hormiſdam, & Hormiſdæ ad Anaſtaſium. In iis Imperator Pontificem ſic alloquitur: Beatitudini veſtræ non putamus ignotum, quod pro temporis qualitate loquendum, atque tacendum, etiam divinæ Scripturæ provida eſt admonitione diſpoſitum. Exactum proinde ſilentii tempus incitamenta nobis loquendi conceſſit, atque ideo opportunum eſſe perſpeximus, quæ apud nos ſub religionis ſpecie commoventur, auditui veſtro committere. Ante hoc ſiquidem duritia eorum, quibus Epiſcopatus, quem nunc geritis, erat ſolicitudo commiſſa, temperare a tranſmittendis faciebat epiſtolis. Nunc autem currens de vobis ſuavis opinio ad memoriam noſtram, bonitatem paternæ affectionis ad-

Anaſtaſius & Vitalianus Rom. Pontificem interpellant.

JESU CHR. AN. 515. duxit, ut illa requiramus, quæ Deus & Salvator noſter ſanctos Apoſtolos divino ſermone docuit, ac maxime beatum Petrum, in quo fortitudinem Eccleſiæ ſuæ conſtituit. His igitur præfatis initiis, hortamur, ut ad ea, quæ de Scythiæ partibus mota ſunt, unde & concilium fieri convenire perſpeximus, mediatorem ſe Apoſtolatus veſter faciat, ut contentionibus amputatis, unitas ſanctæ reſtituatur Eccleſiæ. Nobis autem omnia optata præſtantur, ſi orationibus veſtris, & frequenti paginarum allocutione noſtri memores fueritis. Data pridie Idus Januarii Conſtantinopoli. Et accepta Anthemio, & Florentio VV. CC. conſulibus V. Kal. Aprilis per Patricium.

Epiſtola Dorothei Epiſcopi Theſſaloni ad Hormiſdam.

3. Ea occaſione, qua Anaſtaſius Imp. ad conciliandam eccleſiis pacem legatum ad Hormiſdam Pontificem miſit, Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus, quod nuper in Romanum Pontificem electus fuiſſet, cum Hormiſda gratulatus eſt; unde inquit: *Ait quodam loco cuncta beatiſſimus divinorum præceptorum promens miracula Salomon: Sicut aqua frigida animæ ſitienti ſuavis eſt, ſic benignum nuntium longinquis ex terris. Et ſacer David ſpiritualem pulſans lyram pſallit: Quam ſpecioſi pedes eorum, qui evangelizant bona! ſic equidem & nos cunctos docens. Quidquid autem eſt ita animæ hominis ſuave, aut ita impinguat oſſa, quam ſpecioſo nuntio cognoſcere veræ pacis nuntiatorem? & rectæ nunquam errantes propugnatores fidei ad Eccleſiarum ſanctarum tranſire gubernacula; & tamquam ex arce quadam ad conſenſum Dei congregare diſperſa, & continuo quidem ad principatum tuæ ſedis feſtinantes venerandi fratris ſupplicationibus annuentes. membra Eccleſiæ, quæ vobis Chriſtus & Deus noſter credidit, contemnentia prius concordiam, ad unitatem venire ec.* His multa in laudem Romanæ eccleſiæ, ipſiuſque Hormiſdæ addit, atque ut Orientalibus eccleſiis pacem & communionem ſuam redderet, pluribus hortatur, quæ ibidem videri poſſunt.

Prov. 25. apud Paulum ad Rom. 10.

Epiſtola Hormiſdæ ad Imperatorem.

4. Cum autem Anaſtaſii Imp. epiſtolas accepiſſet Hormiſdas, tum eas, quas anno proximo ſcripſerat, cum has alteras hujus anni, duas quoque ipſe reſcripſit, quibus Imperatori gratulatur, ac gratias agit, eo quod pro pace eccleſiis procuranda ſollicitus eſſet, quod ſibi quoque, ac præceſſoribus ſuis cordi fuiſſe teſtatur, ac tandem: *De his vero, quæ pro ſynodali congregatione præcepiſtis, quid fieri oporteat, per fra-*

Digitized by Google

fratres & Coepiſcopos meos, qui propere ſubſequentur, Gloriæ veſtræ inſinuanda mandavi: quorum ſuggeſtione (ſi divinus favor mea vota proſequitur) competentius poteritis univerſa cognoſcere: Data octavo idus Julii, Florentio Coſſ. Hæc ipſe. Cautius quippe agendum cenſuit S. Pontifex, ne ab Hæretico Imperatore, & inſigni veteratore illuderetur, qui Apoſtolicam imploraverat auctoritatem, ut Vitalianum religionis prætextu rebellantem falleret. Cuncta igitur voluit Pontifex a legatis prius dignoſci, examinari, perpendi, anteꝫ quam quidquam de his ſtatueret. Eodemque tempore ad Dorotheum Theſſalonicenſem Epiſcopum reſcribens, ſe eccleſiarum pacem quammaxime cupere indicat. Jesu Chr. an. 515.

5. Ad arduum opus peragendum, eamque legationem ſuſcipiendam, viri quatuor præſtantiſſimi delecti ſunt, quorum primus erat Ennodius Ticinenſis Epiſcopus, deinde Fortunatus Epiſcopus (ut creditur Tudertinus), ac Venantius Presbyser, & Vitalis Diaconus Rom. eccleſiæ, quibus comes datus eſt Hilarus ejuſdem eccleſiæ notarius. His Conſtantinopolim proficiſcentibus monitorium Pontifex dedit, his verbis conceptum: *Indiculus qui datus eſt Ennodio &c.* Cum Dei adjutorio, & orationibus Apoſtolorum venientes in partes Græciarum, ſi Epiſcopi voluerint occurrere, ea qua decet eos veneratione ſuſcipite. Et ſi voluerint ſeceſſionem parare, nolite ſpernere, ne judicetur a laicis nullam vos cum illis velle habere concordiam. Si vero vos ad convivium rogare voluerint, blanda excuſatione eos declinate, dicentes: Orate, ut primum illam myſticam menſam mereamur habere communem, & tunc erit nobis iſta jucundior. Victualia vero, & quæ alia offerre voluerint, excepta tamen ſubvectione, ſi cauſa popoſcerit, nolite ſuſcipere: ſed taliter excuſate, nihil deeſſe dicentes, ſperantes etiam, ut animos ſuos vobis accommodent, ubi ſunt dona, & divitiæ, & charitas, & unitas, & quidquid ad gaudium religioſum certum eſt pertinere. Cum iſta ordinatione, Deo propitio, Conſtantinopolim pervenientes, ibi ſecedite, ubi ordinaverit clementiſſimus Imperator; & antequam ipſum videatis, nulli detis ad vos veniendi licentiam, præter quos pietas ejus miſerit. Poſtea tamen quam Principem videritis, ſi qui orthodoxi, & noſtræ communionis, aut zelum habentes unitatis, vos videre voluerint, eos ſub omni cautela ſuſcipite; per quos

Hormiſda commonitorium legatis datum.

forte

JESU CHR. AN. 515. forte, & quid agitur deprehendere poteritis. Præſentati itaque Imperatori litteras porrigite cum tali allocutione: Salutat vos Pater veſter; Deum quotidie rogans, & interceſſionibus Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli veſtrum Regnum commendans, ut Deus, qui vobis tale deſiderium dedit, ut pro cauſa Eccleſiæ mitti, & conſulere beatitudinem ipſius eligeretis, ipſe & perfectionem tribuat voluntatis. Et ſi voluerit, antequam chartas ſuſcipiat, ordinem legationis agnoſcere, his verbis utimini: Jubete ſcripta ſuſcipere. Si dixerit: Quid habent chartæ? Reſpondete: Salutes ad pietatem veſtram continent, & Deo gratias agunt, quod vos ſolicitos de unitate cognoſcunt Eccleſiæ: legite, & agnoſcetis. Et nullius cauſæ mentionem penitus faciatis, niſi prius acceptæ litteræ relegantur. Et poſt ſuſceptas litteras & relectas, adjicite. Nam & ad Vitalianum famulum veſtrum miſit litteras, qui accepta a pietate veſtra (ſicut ipſe ſcripſit) licentia, ſuos ad Patrem veſtrum Sanctum Papam homines deſtinavit. Sed quia juſtum erat, ut prius ad Clementiam veſtram dirigeret, hoc fecit, ut vobis jubentibus, atque ordinantibus, ad eum ſcripta, quæ detulimus Deo propitio perferamus. Si Imperator petierit epiſtolas a nobis ad Vitalianum directas, ſic reſpondendum eſt: Non hoc nobis Pater veſter ſanctus Papa præcepit, nec ſine juſſione illius aliquid poſſumus facere. Tamen ut ſciatis ſimplicitatem litterarum, quia nihil aliud habent niſi preces ad pietatem veſtram directas, ut accommodetis animum veſtrum pro unitate eccleſiæ; jungite nobiſcum perſonam, qua præſente traditæ a nobis litteræ relegantur. Si vero dixerit Imperator eas ſe debere legere, reſpondebitis: jam vos ſuggeſſiſſe, juſſum non fuiſſe a Sancto Papa. Si dixerit: hoc tantum eſt quod in litteris continetur: poſſunt enim, & mandata alia nuntiari. Tunc reſpondebitis; abſit a conſcientia noſtra. Nobis non eſt conſuetudo: Nos pro Dei cauſa venimus, & In Deum commiſſuri ſumus? Simplex eſt Sancti Papæ legatio, & omnibus nota ipſa ejus petitio, ipſæ preces: ut conſtituta Patrum non corrumpantur: ut hæretici de eccleſiis removeantur: præter iſta, legatio noſtra nihil continet. Si dixerit: Inde & ad Synodum invitavi ſanctum Papam; ut ſi quid eſt ambiguum, tollatur de medio. Reſpondendum eſt: Agimus Deo gratias, & petitioni veſtræ, quia hunc vos

vos affectum & animum habere cognoſcimus, ut ea quæ a Patribus conſtituta ſunt generalitas ſervet: quia tunc vera & ſancta unitas poteſt eſſe inter Eccleſias Chriſti, ſi Deo adjuvante, hoc quod prædeceſſores veſtri Marcianus, & Leo cuſtodierunt, elegeritis eſſe ſervandum. Si ille dixerit: Quæ ſunt iſta, quæ dicitis? Reſpondete: Ut Synodus Chalcedonenſis, & epiſtolæ Sancti Leonis Papæ, quæ ſcriptæ ſunt contra hæreticos Neſtorium, & Eutychetem, & Dioſcorum, nullatenus corrumpantur. Si dixerit: Nos ſynodum Chalcedonenſem, & epiſtolas Papæ Leonis & recepimus, & tenemus: Vos mox gratias agite, & pectus ejus oſculamini, dicentes. Modo cognovimus Deum eſſe vobis propitium, quando facere talia feſtinatis: quia iſta eſt fides catholica: iſta eſt, quam prædicaverunt Apoſtoli, ſine qua nullus poteſt eſſe ortodoxus, iſtam debet ſacerdotum generalitas tenere, & prædicando ſervare. Si dixerit: Ortodoxi ſunt epiſcopi: de conſtitutis patrum non recedunt. Reſpondebitis: Ergo ſi conſtituta Patrum ſervantur, & in nullo corrumpitur, quod in Sancta Chalcedonenſi ſynodo firmatum eſt: quæ cauſa eſt, tantum inter eccleſias partium iſtarum eſſe diſcordiæ? Vel quæ cauſa facit, in uno Orientis Epiſcopos non conſentire? Si dixerit, Quieti erant Epiſcopi, nulla inter ipſos diſcordia verſabatur: prædeceſſor Sancti Papæ animos eorum miſſis litteris excitavit, & ad confuſionem excitandam perduxit. Reſpondendum: Litteras, quas Sanctæ memoriæ Symmachus deſtinavit, præ manibus habemus. Si extra hæc, quæ pietas veſtra dixit, hoc eſt, Chalcedonenſe concilium ſequor, epiſtolas Papæ Leonis admitto, aliud nequidquam continent, niſi exhortationem ut iſta ſerventur; quomodo verum eſt, quod per ipſum eſt generata confuſio? At ſi hoc continetur in litteris, quod & Pater veſter ſperat, & pietas veſtra conſentit, quid ille fecit? quid enim in eo videatur eſſe culpabile? His adjicite preces, & lacrymas, rogantes: Domine Imperator, conſiderate Deum, ponite ante oculos veſtros futurum ejus judicium. Sancti Patres, qui iſta conſtituerunt, beati Petri Apoſtoli fidem ſunt ſecuti, per quam ædificata eſt eccleſia Chriſti.

Qua conditione Imperator ad communionem eſt admittendus.

6. Si Imperator dixerit: Quod me vultis per locutionem facere, habete: Ecce mihi communicate, qui Synodum Chalcedonenſe recipio, & Epiſtolas Papæ Leonis ample-

Jesu Chr. An. 515.

plector: Nunc communicate mihi. Reſpondendum eſt: Quo ordine pietas veſtra communicari ſibi deſiderat? Nec nos prædicantem iſta pietatem veſtram vitamus, quod ſcimus Deum timere, & gaudemus quia gratum vobis eſt Patrum conſtituta ſervare. Fiducialiter ergo rogamus, ut per vos in unitatem revertatur Eccleſia. Sciant omnes Epiſcopi voluntatem veſtram, & quia Synodum Chalcedonenſem, & Epiſtolas Papæ Leonis ſervatis, vel Apoſtolica conſtituta. Si dixerit: Quo ordine facienda ſunt hæc oſtendere oportere. Iterum preces adhibete cum humilitate dicentes: Pater veſter ſcripſit epiſcopis generaliter. Jungite his litteris ſacras veſtras, ſignificantes hoc vos vindicare, quod Sedes apoſtolica prædicat: & tunc qui ſunt Ortodoxi, de unitate Sedis Apoſtolicæ minime ſeparentur, & qui his ſunt contrarii cognoſcantur. Quibus ordinatis, paratus eſt Pater veſter, etiam, ſi opus fuerit, ſuam accommodare præſentiam, & quidquid expedit, ſervatis Patrum conſtitutis, pro integritate Eccleſiæ non negare. Rogati autem ut interim cum Timotheo CP. Epiſcopo communicarent, reſpondere debebant. *Generalitas Epiſcoporum prius ordinetur: fiat una communio catholica, & ſequenti loco de iſtis, vel ſi qui ſunt alii extra Eccleſias ſuas, tunc diligentius poteſt cauſa cognoſci. Si dixerit Imperator: De Macedonio dicitis: intelligo ſubtilitatem veſtram; hæreticus eſt: nulla ratione revocari poteſt. Reſpondetis: Nos, Domine Imperator, nullum perſonaliter judicamus. Et ſi pietas veſtra conſideret, magis pro anima veſtra, & opinione loquimur, ut ſit diſcuſſio, & ſi hæreticus eſt, judicio cognoſcatur, ut non ſub opinione ortodoxi, injuſte dicatur oppreſſus, atque interea Timotheus teneat locum Conſtantinopolitani ſacerdotis, ſi cum Dei adjutorio Epiſcopi voluerint ſe Sedi Apoſtolicæ ſubjicere.*

Peregrini Epiſcopi per CP. Epiſcopum Imperatori præſentatur.

7. Si tamen contra alios Epiſcopos Catholicos fuerint datæ petitiones, maxime contra illos, qui ſine verecundia Chalcedonenſem Synodum anathematizant, & epiſtolas non recipiunt Sancti Leonis Papæ, petitiones ſuſcipite, cauſam tamen in Sedis Apoſtolicæ reſervate judicio; ut & ſpem de audientia detis, & tamen nobis debita reſervetur auctoritas. Si tamen Imperator Sereniſſimus totum ſe promiſerit eſſe facturum, tantum ut noſtram præſentiam accommodemus, modis omnibus prius ſacram ipſius per epiſcopos, & per epiſtolam

ſtolam veſtram, uno de veſtris perferente per provincias, una cum perſonis, quas Imperator deputaverit, deſtinate, ut ſic eum ſervare Chalcedonenſe concilium, & Epiſtolas Sancti Leonis Papæ omnibus innoteſcat. Quibus ita procedentibus, ad nos in Chriſti ſigno, ut adventum procuremus, ſcripta dirigite. Præterea eſt conſuetudo per Epiſcopum Conſtantinopolitanum omnes Imperatori Epiſcopos præſentari: ſi hoc illorum callidus tractatus invenerit, volentium formam legationis agnoſcere, ut cum Timotheo, qui modo videtur Conſtantinopolitanam gubernare Eccleſiam, Imperatorem videatis; ſic facite, ut ſi ante agnoveritis, quam ad Imperatorem ingrediamini, iſta diſponi per aliquos, nec dum præſentari, dicite: Mandata talia nobis dedit, & præcepta pater Pietatis veſtræ, ut ſine aliquo Epiſcoporum veſtram clementiam videamus. Ergo agite, donec ſe ab hac conſuetudine ipſe removerit. Quod ſi omnino noluerit, aut ſi captioſe contigerit, ut ante Imperatorem inopinate Timotheum videatis, ita ſuggerite: Præcipiat pietas veſtra nobis dare ſecretum, ut cauſas, pro quibus miſſi ſumus, exponamus. Si dixerit: Dicite, ecce ante ipſum, reſpondebitis: Non injuriam facimus: ſed quod ad cauſas pertinet, etiam ipſius continet legatio noſtra perſonam, & ſuggeſtionibus noſtris præſens eſſe non poteſt. Et nulla ratione eo præſente aliquid allegetis, ſed egreſſo, delegationis textum exerite. Hactenus Indiculus, ſive quod dicunt commonitorium. Sequuntur eum aſſertiones ſingularum cauſarum, in hunc modum.

JESU CHR. AN. 515.

Capitula ſingularia cauſarum.

8. Ut Synodus Chalcedonenſis, & epiſtolæ Sancti Leonis Papæ ſervetur. Utque clementiſſimus Imperator conſentiens debeat pietatis ſuæ ſacra generalia ad univerſos Epiſcopos deſtinare, in quibus ſignificet, prædicta ſe & credere, & vindicare. Conſentientes etiam epiſcopi in eccleſia, præſente plebe Chriſtiana, hæc prædicare debeant. Amplecti ſe ſanctam fidem Chalcedonenſem, & epiſtolas Sancti Leonis Papæ, quas ſcripſit contra hæreticos Neſtorium, & Eutychetem, & Dioſcorum, ſed & contra ſeguaces eorum, Timotheum Ælurum, Petrum, vel contra eos, qui in ipſa cauſa tenentur obnoxii, ſimul etiam & Acacium, qui quondam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus, ſed & Petrum etiam Antiochenum anathematizantes cum ſociis eorum. Hæc manu pro-

Leges ab Orientis Epiſc. ſervandæ.

 pria.

JESU CHR. AN. 515.

pria, præſentibus electis venerabilibus viris, ſcribentes, faciant ſecundum textum libelli, quem per notarium noſtrum edidimus. In exilium deportatos pro cauſa Eccleſiaſtica ad audientiam ſedis Apoſtolicæ revocandos, ut judicium & vera examinatio de his poſſit haberi: ita ut cauſa eorum inquiſitioni integre reſervetur. Si qui vero ſacræ Sedi apoſtolicæ communicantes, catholicam fidem prædicantes atque ſequentes fugati ſunt, vel in exilio detinentur, hos juſtum eſt ante omnia revocari. Præterea quæ Legatis inter reliqua injunximus, ut ſi contigerit libellos porrigi adverſus epiſcopos qui perſecuti ſunt catholicos, de his judicium ſedi Apoſtolicæ reſervetur, ut circa eos venerandorum Patrum poſſint conſtituta ſervari, per quæ ædificatio generalitati proveniat. Hactenus Hormiſdæ commonitorium legatis datum, quibus etiam dedit epiſtolam Imperatori tradendam, qua eum admonet, nullum glorioſiorem ducere poſſe triumphum, quam de perfidia, ac quod ſe ad concilium in Oriente celebrandum, quo de eccleſiarum tranquillitate, ac catholicæ fidei reſtitutione ageretur, evocaverit, gratulatur cum eo & gratias agit his verbis. *Quia manſuetudo veſtra futuram ſynodum ſacratiſſimis ſcriptis indixit, cui nos intereſſe debere iiſdem paginis Deo (ut credimus), ſibi imperante commonuit, gaudemus, ſcientes quoniam directarum mentium eſt, venerabilis eccleſiæ magiſtros expetere. &c.* ſe tamen ad omnes pro eccleſiarum pace fovenda paratum eſſe teſtatur, ſi tamen Neſtorius cum Eutychete, Dioſcoro, Timotheo, Petro Fullone, & Acacio eorum communione polluto condemnarentur, utque Chalcedonenſi ſynodo, & epiſtolæ Leonis Papæ cuncti ſubſciberent, ac tandem legatos CPol. ea de cauſa miſſos ei commendat dicens: *Suſcipite preces noſtras per Ennodium, atque Fortunatum fratres, & coepiſcopos noſtros, nec non Venantium Presbyterum atque Vitalem Diaconum, vel Hilarum notarium filios noſtros; quorum apud nos fides in Dei timore ſtudiumque perclaruit, pro veſtro amore tranſmiſſos, & placidam vice noſtra ſupplicationibus conſcientiam accommodate. Speramus enim, & de Deo habentes fiduciam, pollicemur, ſtudia, quæ a vobis veræ religioni impenſa fuerint, ſine retributione & præmio non futura. Data III. Idus Auguſti, Florentio V. C. Conſule.* Hactenus epiſtola Hormiſdæ ad Imperatorem legatis tradita, ex quibus, aliiſque patet, quam caute prudenterque ſe geſſerit

tom. 4. pag. 1430. Epiſtola Hormiſd ad Anaſtaſii.

rit Hormiſda, dum propoſitum ſtabiliendæ pacis laudat, & amplectitur, additis tamen conditionibus, quibus fides æque ac Patrum ſtatuta illæſa ſervarentur, quarum una erat, ut quæ Epheſino, & Chalcedonenſi concilio contra Neſtorium, & Eutychem definita fuerant, intacta manerent; inſuper, ut omnino Acacii nomen expungeretur. Quem hæc exitum habuerint, infra videbimus; Legatos interim CPolim proficiſcentes comitemur.

Jesu Chr. an. 515.

9. Eo feliciter appulſi, honorifice ab Imperatore ſuſcepti ſunt, at cum ejus ſtudium in eo eſſet, non ut catholicam Fidem reſtitueret, ſed ut per ſimulatam pietatem, infenſum ſibi conciliaret populum Conſtantinopolitanum, atque milites Vitalianum ſectantes in ſuas partes revocaret; mox capitibus cunctis a legatis oſtenſis aſſenſus eſt, atque omnibus, quæ per eoſdem Legatos Hormiſdæ nomine poſtulata ſunt, libentiſſime acquievit, uno illo excepto capitulo, quod neque populo Catholico Conſtantinopolitanæ urbis eſſe gratum ſciret, immo cujus inficiatione magis magiſque ſe populi gratiam conſecuturum cognoſceret; illud ſcilicet de nomine Acacii cum aliis hæreticis condemnando. Hac igitur arte ſubdolus Imperator hæreticus, opportuna oblata ſibi occaſione captata, quod diu fuerat aucupatus, adſciſcere ſibi populi ſtudium, ob retentum nomen Acacii, facillime conſecutus eſt, cum præſertim id abſque jactura catholicæ fidei præſtari poſſe, hac ex parte cum populo ſentire profiteretur. Nactus igitur quam quæſierat accommodatam ſatis ad Catholicos fallendos artem, perſtat in ſententia, ut ſe Catholicum in omnibus præſeferat civibus ſimilem, quorum gratiam Acacii nominis retentione atque defenſione ſubdola mente redemerat. Verum quod temporis dilationem ſuæ ſciret cauſæ conducere, haud Legatos dimittere voluit, ſed bona ſpe aluit, & uſque ad ſequentis æſtatis tempus retinuit, atque omni eſt proſecutus humanitatis officio: plurimum enim ſciebat ſibi conducere ad concitatos compeſcendos tumultus moram iſtam, & ipſorum Legatorum in urbe præſentiam, ſed ad majorem faciendam animi ſui fidem honorificentiſſimam in ipſorum reditu ad Hormiſdam Romanum Pontificem legationem decernit, populo valde gratam, qua cum retentione Acacii nominis ſanciri petebat, ut ab omnibus expetitam Eccleſiarum concordiam firmaretur. Deinde ad majo-

Artes ſubdolæ Anaſtaſii Imp.

Jesu Chr. An. 515.

majorem Populi gratiam ſibi conciliandam, dedit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ redditum ſeptuaginta librarum auri, ut exequiæ ſine ſumptu, & gratis fierent Conſtantinopoli, editque ea de re publicam ſanctionem: qua quidem Anaſtaſii munificentia plurimum commendata fuit a Juſtiniano Imperatore in Novella Conſtitutione de impenſa debita in exequiis defunctorum, cujus eſt exordium: *Singula bonorum operum &c.* Sic igitur his officiis populum demereri conatus, atque dulcis prætextu pacis ſub iſtius modi ſimulationis involucro latuit qualis intus eſſet Anaſtaſius. Hæc quidem tranſacta fuiſſe in hac legatione Conſtantinopoli, litteræ ipſius Imperatoris per Legatos ab eo miſſos Romam redditæ Hormiſdæ Papæ declarant, quas ſequenti anno, quo ſunt acceptæ, referemus.

Juſtin. Novel. 59.

Moritur Ariadna Auguſta

10. Sub hujus anni conſulibus Ariadna Auguſta *ſexaginta exactis in Palatio annis, vita deceſſit*, ait Marcellinus in chronico, cui Theophanes, aliique conſentiunt. Hanc quidem malorum omnium, quibus hac ætate Orientalis eccleſia afflicta eſt, conciliatricem fuiſſe, ait Baronius, eo quod Anaſtaſium thalamo ſuo, & Imperio ſociaverit; eam nihilominus per ignorantiam in eo peccaſſe, nec mariti perfidiæ unquam conſenſum præbuiſſe aperte teſtatur Theophanes, quin eum ab inferenda catholicis, vel concilio Chalcedonenſi injuria non ſemel revocaſſe addit; quod etiam in vita S. Sabæ confirmat Cyrillus, dum ait: Egreſſus ab Imperatore ſenex (Sabas) ad Auguſtam Adriadnam intravit, eamque poſt benedictionem hortatus eſt, ut fidem ſancti Patris ipſius, Leonis Magni Imperatoris tuendam ſuſciperet. At illa dicit ei, bene mones, bone ſenex, ſi eſſent, qui audirent. Ex quibus ſe Mariti perfidiam execrari teſtata eſt.

Theoph. pag. 179.

vita S. Sabæ cap. 53. pag. 303. apud Cotel.

Macedonius in exilio moritur.

Theoph. pag. 138.

11. Funeſtiora adhuc ſunt, quæ hoc anno narrant Marcellinus, & victor Tunonenſis, de Hunnorum ſcilicet irruptione, qui Caſpii portis ſuperatis, *Armeniam ſuis incurſionibus infeſtarunt, Cappadociamque & Galatiam, & Pontum depopulati, & Euchaita uſque, quæ tantum haud ſubegerunt, progreſſi ſunt: a quibus* (addit Theophanes ceterique hiſtorici) *fugiens Macedonius, & de vita ubique per viam periclitans, ſalvus tandem Gangram ſe recepit. Viri ſalutem ægre audivit Anaſtaſius, & ſub cuſtodia teneri juſ-*

ri juſſit, miſſis etiam, ut ferunt, qui eum tollerent e medio. Ita conſummatus Gangra in templo S. Martyris Gallinici, ad ejus reliquias proximus, ubi morborum ſanationes præſtat, eſt reconditus. Macedonium mortuum ac jacentem narrant manu Crucis ſibi ſignum expreſſiſſe, ſeu ut habet Cedrenus, ſublata dextera Cruce conſignaſſe. Theodorus autem lector addit: *Theodorus vero unus ex iis, qui cum illo* (Macedonio) *familiariter verſabantur, cum jurejurando affirmavit, vidiſſe ſe in ſomnis Macedonium ipſum iſta ſibi dicentem: Excipe iſta quæ dico, & abiens lege Anaſtaſio. Ego quidem vado ad Patres meos, quorum fidem ſervavi. Dominum autem interpellare non ceſſabo, donec tu venias, & ambo ad judicium accedamus*. Hæc Theodorus, ex quo Theophanes, cœterique hiſtorici eam hiſtoriam excripſerunt; Macedonii memoriam in Græcis Menologiis non haberi, nec apud Græcos cum aliis Sanctis recenſeri tradit Baronius; verum Macedonio cultum a Græcis exibitum fuiſſe indicant MS. Sinaxarium Collegii Claromontani Pariſienſis, & varia Grecorum Mænea tam MS. quam edita, quæ habentur apud Maximum Cytherorum Epiſcopum pro Eccleſiis ortodoxis. Quare adnotat Henſchenius in Elogio S. Macedonii: Sirleti Cardinalis oſcitantia ſcripſit Baronius apud Græcos S. Macedonii Epiſcopi Conſtantinopolitani memoriam non extare, & Menologia nullum ipſius veſtigium habere; neque enim in Sanctis ſuo Menologio inſcribendis accuratiſſimus fuit Sirletus, ut aliis exemplis conſtat. Ablatum quidem Macedonii nomen dypticis ad tempus fuiſſe, infra videbimus; at non multo poſt reſtitutum fuiſſe ſcimus. Macedonio addendus Euphemius, qui ſicuti in paſſione & exilio ſocius fuit, ita ejuſdem honoris particeps, & cum tempus ejus obitus in obſcuro ſit, eadem die 25. Aprilis ejus vita, & memoria una cum Macedonio apud Græcos recolitur.

Bar. anno 515 num. 50. Macedonii & Euphemii. religioſa memoria. Henſch. die 25. Aprilis.

12. Hormiſdas interea Papa iis acceptis, anno proximo, ab Imperatore litteris, cum inter Orientales & Occidentales Eccleſias pacem conciliandam fore ſperaret, conceptæ ſpei Gallicanos Epiſcopos participes effecit, data ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, & Romanæ ſedis in Galliis legatum, epiſtola, eaque Dardaniæ & Illyrici Epiſcopos, Eutychiana hæreſi damnata, ad Romanæ Eccleſiæ communionem rediiſſe, ſeque legatos ad conciliandos animos in Orien-

Epiſtola Hormiſdæ ad Cæſarium.

Jesu Chr. an. 515. tom. 4. pag. 1474. t. Carin. 12.

Orientem miſiſſe, certiorem reddidit his verbis: *Juſtum eſt, ut qui catholica communione* lætamini, nobiſcum de Eccleſiæ, ſi qua provenit, concordia gaudeatis: ut quemadmodum unus nobis conſenſus eſt fidei, ita ſit individua gratulatio proſperorum. Noſtis qualiter deteſtabilis Eutychiana hæreſis per Orientales ſerpat Eccleſias, & quoties præfatæ ſuperſtitionis virus ſynodus generalis extinxerit, vel quoties ejus ſeguaces ſalubria monita Apoſtolicæ ſedis ſpreverint, & quaſi erubeſcentes manus dare veritati, aut Apoſtolicæ ſedis predicationibus obedire, in hac tamen obſtinatione perſtiterunt. Pro his nobiſcum ſæpiſſime fraternitas veſtra condoluit, Apoſtolicæ non immemor lectionis, qua monſtratur: *Si Patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Sed Dominus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, nunc multorum ſenſus illuminans, eis deſiderium Apoſtolicæ communionis infundit, ut quod dudum intentione prædicabant, hoc nunc correctionis profeſſione condemnent. Quorum reditum ideo abſque ſuſpicionis morſu recipimus, quia dum peccatum ſine aliquo excuſationis velamine confitentur, manifeſtum deſiderium correctionis oſtendunt. Ergo Epiſcopi tam Dardani, quam Illyrici pene omnes, ne ſint errore condemnandi præterito, petentes B. Petri Apoſtolorum Principis communionem, & ſcriptis & legationibus deſtinatis ſe Apoſtolicæ ſedis regulis obedire confirmant. Pro quibus quantum nos oporteat gratulari, ſoli quorum fides ſervet intelligunt; & poſt quam dixit ab Orientalibus Anathematizari non ſolum Neſtorium, & Eutychem, eorumque defenſores, cum Acacio, ſubdit: Longum eſt epiſtolæ brevitate per univerſa diſcurrere: Unde ex totius ſumma negotii partem aliquam pro inſtructione direximus, judicantes quod tanta res veſtram non poſſit latere notitiam, præcipue cum hoc per prædeceſſorum noſtrorum litteras veſtris fuerit regionibus nunciatum. &c. data 6. Idus Septemb. Florentio V. C. Conſule.

13. Hoc etiam anno Coſſ Florentio & Arthemio, *monaſterium Agaunum a Rege Sigiſmundo conſtructum eſt*, ut narrat Marius Aventicenſis, Sigiſmundus, Gundebadi Burgundiæ Regis filius felicior patre, haud primum Arianam ejuraverat perfidiam, in qua perſeverans Gundebadus, anno ſequenti mortuus eſt Petro conſule, ut idem Marius adnotat: *Sigiſmundus*

Digitized by Google

Sigiſmundus Monaſterium Agaunenſe ædificat.

mundus poſt ejus obitum levatus eſt Rex. Monaſterium porro Agaunenſe, quod ſolerti cura, regiaque munificentia, *cum domibus baſiliiſque* ædificavit Sigiſmundus, teſte Gregorio Turonenſi, S. Mauritii cœnobium vulgari nomine appellabatur, quoniam ibi Beatorum martyrum Thebeorum, quorum dux Mauritius erat, reliquiæ aſſervantur. In novæ baſilicæ dedicatione magnum Epiſcoporum numerum congregaverat Sigiſmundus, ſi fides habenda ſit inſtrumento fundationis. Horum tamen tres tantum ſubſcripti leguntur, Maximus Genevenſis, Victor Gratianopolitanus, & Viventiolus Lugdunenſis, cæteri omiſſi ex ſcriptorum incuria, ut ait Mabillonius. Avitus certe Viennenſis Epiſcopus in ejus eccleſiæ dedicatione adfuit, qui homiliam coram congregatis Patribus recitavit, extatque cum hoc titulo: *Dicta in baſilica Sanctorum Agaunenſium, in innovatione monaſterii ipſius, vel paſſione martyrum*, cujus exordium: *Præconium felicis exercitus &c.* ejuſdemque homiliæ fragmentum inter Aviti opera extat apud Sirmondum. Ceterum de tempore, quo hæc facta ſunt, variæ agitantur quæſtiones. Pagius etſi hoc anno inceptum dicat monaſterium, ejus tamen dedicationem ad annum 523. differt, quando Sigiſmundus illatam filio ſuo Sigerico necem illuc ſe contulit, ut a congregatis Epiſcopis remedium & pœnitentiam pro ſcelere admiſſo acciperet, eorumque conſilio Monaſterium illuc ædificaſſe, aut magnificentius extruxiſſe, & latifundiis locupletaſſe adnotant ſcriptores. Unde chronicon S. Benigni Divionenſis hæc verba ſunt: *Unde poſtea pœnitentiam agens, Monaſterium Sanctorum, Agaunenſium miri operis conſtruxit. &c.* In ſynodo autem ibidem tunc habita Theodorus Sedunenſis Epiſcopus dixit: *Inſtantia cordis mei eſt, ut proferat ſermonem veſtris ſalubribus conſiliis, quid agendum ſit, de Beatorum Martyrum corporibus, ideſt Mauritii cum ſuis commilitonibus, qui pro Deo a Maximiano perempti ſunt, & inhumati jacent. Neſcio qui ſit homo, qui prævaleat ſecundum merita eorum ſingulis fabricare Eccleſias*. Tunc Sigiſmundus in fletu erumpens Antiſtites ſic alloquitur: *Videte quomodo auxiliante Deo honorificam accipiant ſepulturam*, Communi conſilio adſtantes Epiſcopi Regem hortati ſunt. *Hi tantum, quorum nomina comperta ſunt, ideſt, Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris infra ambitum Baſilicæ, quam clementia Regis ad hoc opus ornare juſſit, reliqua*

Jesu Chr. an. 515.

vero corpora congerantur in tutiſſimo loco, & ſub eximia cuſtodia, ſanctiſſimi cuſtodes deputentur, (monachi ſcilicet) ne forte, quod abſit, ex eis furentur, & conſtituatur officium pſallendi, die noctuque indeſinenter. Perennem ac perpetuam pſalmodiam ibidem, Acemetarum ſeu inſomnium exemplo inſtituta fuiſſe, invictis argumentis probat Mabillonius. Monaſterio Himmemodus Abbas electus eſt, qui novem monachorum turmis præeſſet: *ſuccedentes ſibi in officiis canonicis, ideſt nocturnis, matutinis, prima, tertia ſexta, nona, veſpertina, die noctuque indeſinenter Domino famulentur.* De regula iis data non levis eſt difficultas, Tarnatenſem regulam, quæ ex regulis S. Pachomii, Auguſtini, Cæſarii deſumpta eſt, conſtatque capitibus 23., quæ Lucæ Holſtenii opera in lucem prodiit, huic monaſterio plerique traditam fuiſſe ſcribunt, ac Tarnatenſe monaſterium idem fuiſſe, ac Agaunenſe adnotant, de quibus tamen Mabillonius dubitat. In incerto rem relinquimus, nobis enim nec otii tantum eſt, ut in his diu immoremur. Illud tantum addimus, ante Sigiſmundi Regis tempora Agauni Monachos conſediſſe, ſi fides habenda Fauſto ſcriptori vitæ S. Severini Abbatis, quem anno 505. a Clodoveo Pariſios ad eum a febre ſanandum evocatum diximus. Certum tamen eſt a Sigiſmundo, & novum monaſterium, & Baſilicam ibidem ædificatam, & poſſeſſionibus auctam, prout teſtantur Gregorius Turonenſis, Marius Aventicenſis, aliique ſcriptores.

Amalaſunthæ nuptiæ cum Eutharico.

15. Cum Theodoricus Italiæ Rex filium non haberet, cui Regnum tranſmitteret, Generum ſibi adſcivit, Eutharicum, cui filiam Amalaſuntham dedit uxorem. *His Coſſ.*, ait Caſſiodorus, *Dominus Noſter Rex Theodoricus filiam ſuam, Dominam Amalaſuntham, glorioſi viri Domini Eutharici matrimonio, Deo auſpice, copulavit.* Eutharicus autem ex illuſtri Amalorum familia erat, ex qua ipſe Theodoricus originem ducebat, & in juvenili licet ætate, prudentia, virtute, corporiſque integritate pollebat, uti pluribus narrat Jornandes.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.

A

ACacius CP. Ep. pro Chalced. concilio certat. 88. 7. *& ſeqq.* Simplicii Pap. epiſt. ad eumd. 93. 4. & 95. 7. Altera ad Simplicium de reditu Timothei, & ordinatione Petri Mongi. 100. 4. Concilium convocat. 105. 11. Cum hæreticis communionem init. *ibid.* & *ſeq.* Ejus reſponſio pro eiſdem ad Simplicium. 128. 7. A Felice Pap. Romam vocatur pro reddenda ratione. 139. 4. Catholici Epp. ab Acacio paſſim depoſiti. 172. 4. Ejus perfidia nulla ratione excuſari poteſt. 173. 5. Ejuſd. obitus. 192. 4. Cui ſuccedit Flavita. 193. 5.

Acephalorum origo, & qui eſſent. 142. 6.

Adulterio probato, aliam ducere uxorem licebat. 14. 9.

Ægidii Comitis geſta, & obitus. 16. 2.

Æquitius Evangelium prædicat. 302. 7. Accuſatus ob eam cauſam, Romam vocatur. *ibid.* Quid inde acciderit. *ibid.* & 303. 8.

Africa fame ac peſtilentia vaſtatur. 168. 28.

Africana Eccl. Zenonis opera ſublevatur. 114. 3. Dira perſecutione vexatur. 154. 13.

Alamandurus Seracenor. dux Cathol. fidem ſuſcipit. 383. 18. An ab alio diſtinguendus. *ibid.*

Alani a Richimere deleti. 16. 3.

Alaricus Romanarum legum Codicem promulgat. 315. 9.

Alexandr. Eccl. libellus ad legatos Rom. Sedis 243. 3.

Ambroſius Britanniæ Regnum occupat. 108. 14.

Anaſtaſius Imp. Zenonis ſucceſſor 201. 2. Cathol. fidei profeſſionem edit. 202. 3. De Gelaſii commonitorio & Litteris vid. *Gelaſius.* Ejus de Iſauris Victoria. 247. 8. Tributum Chryſargyrum dictum remiſit ſumma populi lætitia. 258. 6. De hoc S. Sa-

Sabas ei gratias agit. *ibid.* Patrocinium ſuſcipit Eutychianiſtarum toto Imperii tempore. 271. 1. An excommunicatus fuerit. 296. 4. *& ſeq.* Jubet catholicos tantum in Eccleſiæ defenſores eligi. 307. 4. Macedonium CP. in exilium pellit. 316. 10. Anaſtaſiopolim ædificat, & Acephalis favet. 336. 2. Non ſervat Eccleſ. immunitatem, earumque jura hæreticor. Templis tribuit. *ibid.* Macedonio iterum in exilium miſſo, ei Timotheum ſuffecit. 351. 13. *& ſeq.* Inde Catholici perſecutionem ſuſtinent. 352. 15. Chalcedon. Synodi acta igni tradit. *ibid.* Flavianum Antioch., & Eliam Hieroſol. tentat in ſuam ſententiam trahere, Synodo Sidone coacta. 353. 16. Sed non obtinet, ac Synodus, infecta re, dimittitur. *ibid.* Ob id in iram concitatur. *ibid.* Ad eum Hieroſolymitanus Epiſcopus Elias S. Sabam, alioſque legatos pro Cath. Eccl. mittit. 354. 17. Qui benigne ſuſcipiuntur. *ibid.* & *ſeqq.* Adverſus eumdem magni tumultus excitati, quo pacto ſedantur, 356. 1. Præcipuos Monachorum nititur in ſuam trahere opinionem. 361. 5. Theodoſii Monachi epiſt. ad eumd. pro fide cathol. 362. 6. Ejus reſponſio ad Theodoſium. 363. 7. Perſecutionem in Coſmam & Severianum Ep. movet. 378. 13. Item contra Eccl. Hieroſolym. 379. 14. *& ſeqq.* Vitaliani rebellionem ſuſtinet. 387. 6. Vitaliani metu revocaturum se ab exilio Epiſcopos jurat. *ibid.* Una cum Vitaliano Romanum Pontif. pro pace Eccleſiis reſtituenda interpellat. 389. 2. Subdolæ illius artes. 397. 9. Moritur Ariadna ejus uxor. 398. 10.

Anaſtaſius Hieroſolym. Ep. obiit, cui Martyrius ſuccedit. 107. 13.

Anaſtaſius Pap. II. poſt Gelaſium. 236. 7. Ejus gratulatoria Epiſt. ad Clodoveum. 240. 11. Altera ad Anaſtaſium Imp. 242. 1. De ejus obitu. 248. 1. Unde in eum ortæ ſint ſuſpiciones. 249. 2. De epiſt. eidem ſuppoſita. *ibid.* 3. Cui Symmachus ſuccedit. ibid. 4.

Angli ſeculo VI. zelo Gregorii Magni ac opera ad Fidem cathol. convertuntur. 272. 2.

Anthemius Imp. electus quis eſſet. 34. 1. Romam pergit, quidve ibid. geſſerit. 36. 2. Sidonii panegyricum de eodem. 38. 1. An Idolor.

lor. cultum reſtituere voluerit. 47. 1. Ejus cum Ricimere diſſidia componuntur. 53. 6. Ab eod. occiditur. 55. 2. Matrimonia Dominor. cum libertis prohibuit. *ibid.* Olybrium ſucceſſorem habuit. 56. 3.

Apoſtata Fidei cathol. a Theodorico morte mulctatus. 222. 11.

Ariani in Oriente repreſſi in Occidente validiores exurgunt. 52. 5. Romæ Eccleſiam S. Agathæ obtinent. 56. 4. A Zenone repreſſi ſunt. 91. 2.

Arvandus Galliar. Præfectus in exilium ejicitur. 40. 4.

Aſparis filius Patricius & Cæſar creatur. 44. 2. Ejus & filiorum interitus. *ibid.*

Aſterii. Conſ. eruditio 214. 1.

Athanaſius Alex. Ep. poſt Petrum Moggum. 197. 2. Ejus obitus, cui Joannes ſucceſſit. 247. 7.

S. Auguſtini corpus in Sardiniam defertur. 329. 8. Inde Ticinum a Luitprando Longobardor. Rege. *ibid.*

Auguſtulus, Nepote dejecto, in Imp. ſuccedit. 69. 1.

Avitus Vienen. Gundobaldum ad Fidem Cathol. perducere tentat. 267. 10. Ejus collatio cum Arianis. *ibid.* 11. Cathol. fidem etiam miraculo comprobandam proponit. 270. 14.

Aurelius Caſſiodorus, vid. *Caſſiodorus*.

Auxanius una cum Fauſto Epp. legatus ad Rom. Pontificem miſſus. 3. 5.

B

S. Barnabæ Ap. reliquiarum inventio. 188. 4.

Baſilii Cæcinæ Conſ. præclara memoria. 7. 1.

Baſiliſcus CP. rediens, ad Eccleſiam confugit. 43. 8. Orientale Imp. invadit. 85. 3. Et Marcum filium ſuum Cæſarem creat. *ibid.* Chalcedon. Synodum condemnat. 86. 5. Ejus in catholicos perſecutio. 88. 7. Litteras ſuas retractat. *ibid.* 8. Eo occiſo, Zeno Imperium recuperat. 90. 1.

Boetius conſul creatur. 339. 1. Quem laudat Ennodius, & Theodoricus. *ibid.* & *ſeq.*

Bulgari Thraciam depopulantur. 258. 6. & 291. 11.

C

Cæſarius Eonii Arelat. ſucceſſor. 288. 8. Quomodo ſe in Epiſcopatu geſſerit. 289. 9. Ejus epiſt. ad Ruricium Lemovicenſem. 314. 7. In exilium miſſus. 315. 8. Inde revocatus *ibid.* Multa patitur, multaque diſpenſat in obſidione a Theodori-

dorico facta. 325. 5. Monaſterium Sorori ædificat. 370. 3. Regulam tradit Virginibus. *ibid.* Aliam Tetradio pro Monachis. 372. 4. Quaſi proditionis reus Ravennam perducitur. 373. 5. Innocens agnoſcitur, & diſcum argenteum ſexaginta libr. a Theodorico accipit, cujus pretio captivos liberat. *ibid.* Romam pergens a Symmacho pallio, & Vicaria auctoritate decoratur. 374. 6. Ægidium, & Meſſianum legatos ad eumdem mittit. 384. 2.

Calendio Antioch. Ep. poſt duos Stephanos ordinatus. 110. 1. & 124. 1. Litteras mittit ad Simplicium Pap. 125. 2. Reliquias S. Euſthaſii Antiochiam tranſfert. 126. 3. In exilium mittitur. 149. 7.

Caſſiodorus Conſ. ejuſque genus, & officia. 383. 1.

Catholici ab Evarico in Galliis vexati. 70. 2. Vandalicam perſecutionem ſuſtinere incipiunt. 117. 3. Dira patiuntur. 154. 13. & ſeqq. ad 23. Illorum pro ſervanda Fide conſtantia. 164. 24.

Chalcedon. concilium a Baſiliſco Imp. damnatur. 86. 5. Illius auctoritas iterum vindicata. 88. 8. & 91. 2. Aſiæ Epp. reſipiſcunt. 94. 5. Ejus acta ab Anaſtaſio igni tradita. 352. 15.

Claudianus Mamertus doctrina clarus. 12. 8.

Clodovæi Regis Francor. geſta uſque ad Baptiſmum. 121. 6. Chriſtianam fidem ſuſcipit. 236. 8. Cum gente ſua baptizatur. 237. 9. Quo anno, & die. 238. 10. Ab Anaſtaſio Papa, & Theodorico gratulatorias litteras accipit. 240. 11. Bellum gerit adverſus Alaricum. 317. 1. Benedictionem accipit a Remigio Ep. *ibid.* Illius monita ſervat. 318. 2. & ſeq. Clodovæo appropinquante, muri Engoliſmi ſponte corruunt. 320. 5. Ab Imp. Anaſtaſio Conſul creatus. 323. 1. & 2. Regnum ſuum amplificat. 340. 3. Epp. Synodum Aurelias congregat. 342. 2. Ejus obitus, & epitaphium. 347. 6. & ſeq. Ejuſdem vidua in Baſilica S. Martini Turon. ad finem vitæ deſervit. 348. 8. Quatuor filii Regnum diviſum poſſident. *ibid.* Ejus ex Theodorico filio nepotem Theodoricus Monachus a mortuis ſuſcitat. 349. 10. Pater pro beneficio Gaugiacum ei donat. *ibid.*

Concilium Veneticum vid. *Synodus*. Cimbricum in Anglia. 34. 4. De Romano & CPtano adverſus hæreticos. 105. 11.

105. 11. De quatuor Æcumenicis. 231. 1.
CPtanæ Urbis incendium. 22. 1. Terræmotu concutitur. 96. 8. Plebis ſeditio exoritur. 203. 6. Iterum excitata. 280. 15. Aliud in ipſa urbe incendium. 336. 2.
Cyrilla Arianor. Patriarcha falſum miraculum fruſtra tentat. 167. 27.

D

DAniel Monachus Simeonis exemplo columnam aſcendit. 21. 8. CPoli incendium prædicit. *ibid.* Acacio Ep. opem tulit. 88. 7.
Dei providentia in Monachos penuria laborantes. 382. 17.
Dorothei Ep. Theſſalon. epiſt. ad Hormiſdam. 390. 3.
Dypticorum variæ ſpecies. 198. 4. De Dypticis vivorum, & mortuorum. 200. 5.

E

ECcleſiarum azilus qua lege a Leone Imp. permiſſus. 30. 1. Reverentia eiſdem debita. 33. 2. Mira Dei in Eccl. Cath. providentia. 121. 7. Earum bona non alienanda. 134. 14. Nunquam præſcribenda. *ibid.* Eccleſiæ dogmata a Victore Vitenſi probata. 182. 3.
Ecdicius ſenator pauperum nutritor. 72. 4.
Elias poſt Saluſtium Hieroſolym. Ep. ordinatur. 225. 14. Severum damnat Antioch. ſedis invaſorem. 378. 12. A S. Saba & Monachis adjuvatur. In exilium mittitur. 379. 14. Ei ſufficitur Joannes Marciani filius. *ibid.* De anno quo Elias in exilium pulſus eſt. 381. 16.
Ennodii adoleſcentis infelix ſtatus. 191. 2.
Epiphanius Ticinen. Ep. ordinatur. 33. 3. Legationem apud Evaricum pro pace obtinenda ſuſcipit. 68. 4. Aliam ad Theodoricum. 221. 9. Item ad Gundebadum. *ibid.* 10. Ad eumdem alteram, ejuſque obitus. 241. 12.
Epiſcoporum electio quomodo facienda. 46. 3. Quam difficilis ex Sidonii ſententia. 61. 9. Ab Hunnerico variis modis vexati. 154. 13. & *ſeqq.* In Bizacena Provincia ordinantur. 326. 7.
Evaricus in Gothorum Regno ſuccedit poſt Theodoricum. 37. 3. In Galliis Regnum dilatat. 57. 5. Catholicos perſequitur. 70. 2. Arverno potitur. 108. 14. Alaricum filium ſucceſſorem habuit. 175. 8.
Eudoxia junior ex Africa fugiens Hieroſolym. petiit, ibique obiit. 62. 10.

Euge-

Eugenius Carthag. Ep. quis eſſet. 115. 5. Hunnerico libellum offert. 157. 17. Cæcum illuminat. *ibid.* 18. Ejus epiſt. ad Gregem ſuum. 166. 26. Ejuſdem geſta & obitus. 306. 2. & *ſeq.*

Euphemius CP. Ep. poſt Flavitam ordinatus. 196. 1. Quo pacto Anaſtaſium Imp. agnoverit. 202. 3. Ejus epiſt. ad Gelaſium Rom. Pont. & Gelaſii reſponſio. 205. 3. In exilium ejicitur. 229. 3. & in ejus locum Macedonius ordinatur. *ibid.*

S. Euſtaſii reliquiarum translatio. 126. 3.

Eutharicus Theodorici Italiæ Reg. gener eidem in Imperio ſociatur. 402. 15.

Euthymii Monachi obitus. 63. 12.

F

FAuſtus Rejenſis Ep. ordinatur. 3. 5. Legatione apud S. Sedem fungitur. *ibid.* Semipelagianos defendit. *ibid.* Leontio Arelaten. libros inſcribit. 5. 7. Ejus epiſt. ad Lucidum Presbyt. 73. 6. Lugdunenſis Synodi juſſu libros de gratia & libero arbitrio ſcribit. 76. 9. Prædeſtinatianam hæreſim confutans, Semipelagianis favet. 77. 10. Ejus libri & errores undique confutantur. *ibid.* 11. & *ſeq.* In exilium mittitur. 109. 16.

Felix III. communiter dictus, poſt Simplicium Pont. creatur. 136. 2. Zenonis henoticon abrogat. *ibid.* Epiſtolæ eidem falſo adtributæ *ibid.* Legationem CPolim mittit. 138. 3. Citationis libellum ad Acacium. *ibid.* Epiſtolæ ad Zenonem, & Zenonis ad Felicem. 145. 2. Ejus legati in carcerem conjecti. *ibid.* 3. Qui cum Acacio & Petro communicant. 146. 4. Acacium aperte damnat. 151. 9. Epiſt. alteræ ad Imp. & ad Clerum, populumque CP. *ibid.* 10. Nolanam Eccl. Joanni Talajæ gubernandam tradit. 152. 11. Tutum ad Acacium miſſum condemnat. 153. 12. Ad Monachos CP. & Bithiniæ ſcribit. 171. 2. Ex his plurimi in Cathol. fide, ac Rom. Eccl. communione perſeverant. *ibid.* 3. Flavitæ CP. Ep. communionem denegat, & qua de cauſa. 195. 7. Iterum ad Zenonem ſcribit. *ibid.* 8. Ad Thalaſium Archimandritam CP. 198. 3. Cum Anaſtaſio ob adeptum Imp. gratulatur. 203. 5. Gelaſium ſucceſſorem habuit. 204. 1.

Feſtis diebus a quibus abſtinen-

nendum. 46. 3. Feſtum Apoſt. Petri & Pauli CP. ſolemnius celebratum. 244. 4.
Feſtus Senator alteram CP. legationem ſuſcipit. 243. 2. Romæ ſchiſmatis auctor. 249. 4.
Flavianus Antioch. Ep. hæreticis cedit. 245. 6. Ipſe Palladii ſucceſſor. 252. 9. De Synodo CPoli eo Præſide congregata. ibid. An fuerit catholicus. 253. 10. Ejicitur in exilium. 357. 2. Multa ob cathol. fidem patitur. ibid. & ſeqq. Ejus ſedem Severus occupat. ibid. Quis hic fuerit. 360. 4.
Flavita poſt Acacium CP. Ep. ordinatur. 193. 5. Ejus epiſt. ad Felicem Pap. & Felicis ad eumdem. ibid. 6. Ei ſuccedit Euphemius. 196. 1.
Fides cathol. miraculis comprobata. 157. 18. & ſeq. Item 164. 24. & 25.
Francorum origo, & mores. 118. 4. De primis illorum Regibus. 119. 5.
S. Fulgentii ortus, & ſtudia. 260. 2. Vitæ compendium. ibid. Fit Monachus. 261. 3. Mater eum a Monacatu revocare nititur. ibid. 4. In Siciliam, deinde Romam venit. 263. 5. Ex triumpho Theodorici cæleſtem gloriam contemplatur. 264. 6. Ruſpenſis Ep. ordinatur. 326. 7. Cum ſexaginta & amplius ſuæ Provinciæ Epp. mittitur in exilium. 327. 8. Iterum revocatur. 331. 10. Argumenta Thraſimondi pro Arianiſmo confutat. 332. 11. & ſeqq.

G

Gelaſius Rom. Pont. poſt Felicem III. ordinatus. 204. 2. Quid ad Euphemium CP. Ep. reſponderit. 205. 3. Ejus epiſt. ad Anaſtaſium Imp. 206. 4. Altera ad Laurentium Macedoniæ Ep. ibid. 5. Ad Dardaniæ Epp. alteræ. ibid. 6. & 7. Ipſius commonitorium ad Fauſtum. 210. 6. Quid contineret. ibid. 7. De epiſt. ad Anaſtaſium Imp. 211. 8. Pelagianos in Dalmatia & Piceno repullulantes comprimit. 212. 7. Ad Honorium Dalmat. Ep. ſcribit. 213. 8. Ejus decreta ad varios Epp. 215. 2. Aliæ ejuſdem conſtitutiones. 217. 3. Epiſtolæ diverſæ. 218. 4. & 5. Ad Epp. Dardaniæ. 226. 1. Miſenum abſolvit. 228. 2. Ejus decretum de libris, quos Eccl. recipiebat, vel reſpuebat. ?, 1. 1. Hujus decreti veritas vindicata. 232. 2. De aliis ejuſdem ſcriptis. 233. 3.

De libro adverſus Andromacum. *ibid.* 4. Alter de duabus naturis an eidem inſcribendus. 234. 5. De illius Sacramentario. 236. 6. Ei ſuccedit Anaſtaſius. *ibid.* 7.
Gennadii CP. Ep. obitus. 49. 1. Ei ſuccedit Acacius. *ibid.*
Gennadius Maſſilien. Presbyter catalogum de Scriptorib. Eccleſ. vulgat. 218. 6. Semipelaglanor. laudator, & Catholicor. obtrectator. 219. 7.
Genſerici Vandalor. Regis obitus. 96. 9. Quanta in Eccleſiam egerit. *ibid.* cui ſuccedit Hunnericus. 97. 10.
Glycerius Occidentale Imperium ſumit. 64. 1. E ſolio dejectus Salonæ Ep. creatur. 67. 3.
Gothi S. Quintianum interficere cogitant. 350. 11.
Gundabundus Vandalor. Rex poſt Hunnericum. 169. 30. Catholicor. Eccleſias aperiri permittit. 224. 13. Ejus obitus. 242. 13. Cui Thraſimondus ſuccedit. *ibid.*
Gundibaldo hortante Glycerius Imperium occupat. 64. 1. Legationem accipit Epiphanii pro redemptione captivorum. 221. 10. Adverſus Godegeſilum fratrem pugnat. 266. 9.

H

HÆretiorum conventicula Romæ prohibita. 36. 2. Reipubl. adminiſtratio eiſdem caute tradenda. 44. 2. Quanto cum periculo Eccleſiam ſub catholico etiam Principe adminiſtraut. 51. 4. An hæreſis Prædeſtiniana unquam fuerit. 79. 13. Obſcura fuit. 80. 14. Eutychiani confutantur. 177. 3. & 4.
Heraclii contra Vandalos expeditio, & pax inde firmata. 48. 2.
Herbedeus Ep. ab Arianis vexatus. 166. 26.
Hilari Pap. enclyclica ad Leontium Arelat. Ep. 1. Epiſt. alteræ ad eumdem Leontium. 2. 2. De Synodo Rom. ſub eodem. vid. *Synodus*. Altera ad Leontium epiſt. 7. 2. Ad Gallıæ Epp. alia. 8. 3. Synodum alteram in Urbe celebrat. 24. 4. Ad Epp. Tarraconen. Provinc. ſcribit. 27. 7. Hæreticor. conventicula Romæ prohibet. 36. 2. Illius obitus, & dona Eccleſiis facta. 38. 2. Simplicium habuit ſucceſſorem. 39. 3.
Honoratus Novariæ Ep. caſtrum ædificat. 191. 3.
Honoratus alter Maſſilien. Ep., ejuſque ſcripta. 220. 8.

Hormiſdæ Papæ de Fauſti libris judicium. 78. 12. Ejus ordinatio poſt Symmachum 386. 5. Vitalianus & Anaſtaſius eumdem pro pace Eccleſiis reddenda interpellaut. 389. 2. Epiſtolam accepit ab Dorotheo Ep. Theſſalon. 390. 3. Ad Imperatorem reſcribit. *ibid.* 4. Ejus commonitorium legatis datum. 391. 5. Qua conditione Imperator ad communionem admittendus. 393. 6. Leges ab Orientis Epp. ſervandæ. 395. 8. Ejus epiſtola ad Cæſarium. 399. 12.

Hunnericus Genſerico ſuccedit, ejuſque mores. 97. 10. Ejus edicto Carthagin. Ep. ordinatur. 114. 4. In ſuos crudelitas. 116. 2. Sævit adverſus Catholicos. 154. 13. *& ſeq.* Edictum alterum ut Catholici cum Arianis de fide diſputarent. 156. 16. Catholici Epp. libellum fidei eidem offerunt. 160. 20. Catholicor. Eccleſias claudi jubet. 161. 21. Infelix ejuſdem obitus. 168. 29. Cui ſuccedit Gundabundus. 169. 30.

I

JAcobus Syrus Anachoreta quomodo ſe geſſerit. 291. 11.

Idacius Chronicum ſuum abſolvit. 47. 4.

Ingenui Ebrodunen. Ep. cauſa. 51. 10.

Joannes Mela Eutychianus in Alex. ſede Athanaſio hæretico ſuccedit. 247. 7.

Joannes Marciani filius Hieroſolym. Sedi ſuffectus. 379. 14. Catholicam fidem publice profitetur. *ibid.*

Joannes Presbyter Eutychianos confutat. 177. 3.

Joannes Talaja Alex. Epiſcopatum invadit. 104. 9. *& ſeq.* Epiſcopus ordinatur. 121. 8. Qua de cauſa Alex. Throno excluditur. 123. 9. & 126. 4. Ad Simplicium Pap. appellat. 127. 5. Nolæ Epiſcopus creatur 152. 11.

Juſtinianus Imp. dum acerrimus hæreticor. hoſtis videri voluit in corrupticolar. hæreſim incidit. 271. 1. Damuationem trium capitulorum præcipit. *ibid.* Vigilium fere invitum cogit ad ſubſcriptionem. *ibid.*

L

LAurentius contra Symmachum Rom. Pont. ordinatus. 249. 4.

Leo junior Cæſar & Auguſtus renunciatur. 65. 3. Zenonem Patrem Imperii ſocium dicit, & moritur. 66. 1.

Leonis Imp. lex de Eccleſiar. azilo. 30. 1. Anthemium Imp. in Occidente deſignat. 34. 1. Arianos exagitat, & legem de feſtis promulgat. 37. 4. Illius & Anthemii adverſus Genſericum expeditio. 41. 6. & ſeqq. Aſparem & Ardaburium occidi jubet. 43. 8. Aſparis filium Patricium & Cæſarem creat. 44. 2. Eidem filiam ſuam deſponſat. *ibid.* Legem edit de feſtis, & Epiſcoporum electione. 46. 3. Expeditionem alteram in Vandalos parat, & pacem firmat. 48. 2. Altera illius lex de Monachis vagis, & tumultuantibus. 50. 2. Ejus obitus. 66. 1.

Leontius Arelaten. Ep. ab Hilaro Pap. litteras accepit. 1. & 2. Ejuſdem ad Hilarum epiſtola. 4. 6. Synodum congregat. 8. 3.

Longinus Conſ. Zenonis Imp. frater. 176. 1.

Lucidi Presbyteri confeſſio fidei, & palinodia. 74. 7. Eadem Semipelagianis favet. 76. 8.

Lupercales ludi Romæ a Gelaſio Pap. prohibiti. 233. 4.

Lupi Tricaſſini epiſt. ad Talaſium Andegav. Ep. 16. 4. Ejus vita, & geſta. 17. 5. Attilæ Regis animum lenivit. *ibid.*

M

Macedonius CP. Ep. Euphemio ſuffectus. 229. 3. Quis eſſet. 230. 4. Synodum celebrat. 245. 5. Ejus cura pro Concilio Chalcedon. & pace Monaſteriis firmanda. 254. 11. In Exilium ſemel & iterum pulſus. 316. 10. & 351. 13. Diem ſuum obivit. 398. 11.

Mamertus Viannen. Ep. ab Hilaro Pap. exprobatur. 8. 3. Rogationes inſtituit, & quanam occaſione. 9. 4. & ſeq. Hujuſmodi inſtitutio ab Eccleſia adoptata. 10. 6. Illius pietas, miracula, & obitus. 11. 7. De Claudiano Mamerto ejus fratre. vid. *Claudianus*.

Marciani rebellio adverſus Zenonem. 113. 1.

Martyrius Hieroſol. Ep. poſt Anaſtaſium. 107. 13. Ejus obitus. 179. 6. Cui ſuccedit Saluſtius. 180. 7.

Matrimonia Dominor. cum libertis prohibita. 55. 2.

Maximi Taurin. Ep. dignitas, & opera. 27. 8. De ſermonum ejus præſtantia. 28. 9.

Miſenus Ep. a Gelaſio abſolutionem obtinet. 228. 2.

Monaſterium Matronæ quale fuerit. 255. 12. Agaunenſe a Sigiſmundo Rege conſtructum. 400. 13.

Na-

N

NAtalis dies ordinationis ab Epiſcopis celebratur. 29. 10.
Nepos Imp. poſt Glycerium cum Gothis pacem firmat. 68. 4. Imperio ſpoliatur, eique Auguſtulus ſuccedit. 69. 1. Tandem occiditur. 113. 2.
Nocturnæ vigiliæ, & orationes. 269. 12.

O

OCcidentalis Imp. infelix ſtatus. 52. 5. Item & Eccleſiæ. 272. 2.
Odoacer Italiæ Regnum invadit. 82. 1. Modeſte ſe gerit. 84. 2. Legatos ad Zenonem mittit, ac pacem petit. 97. 11. Ejuſdem præclara geſta. 111. 4. Legem edit de bonis Eccl. non alienandis. 134. 14. Febam, ſeu Febanum Rugorum Regem debellat. 184. 4. Cum Theodorico pugnat. 203. 7. A quo tandem captus occiditur. 208. 1.
Olybrius Imperium poſt Anthemium ſucceſſorem habuit Gundibaldum. 56. 3.
Olympius Arianus blaſphemiæ dat pœnas. 223. 12.
Olympius Monachus una cum Daniele Baſiliſcum Imp. libere alloquitur. 88. 7.
Oreſtes in Nepotem Imp. rebellat. 69. 1. Paulo poſt ab Odoacre occiditur. *ibid.*
Orientalis Eccl. ſtatus luctuoſus. 107. 12. Item 271. 1. & 377. 11.

P

PAlæſtina variis plagis quinquennio vaſtata. 381. 16.
Palladius Petro Fulloni in Antioch. ſede ſuccedit. 187. 3. Ei vero Flavianus. 252. 9.
Parochiale officium ſub Simplicio Pap. exordium habuit. 135. 1.
Paſchaſius Diac. Purgatorii pœnis addictus. 251. 7.
S. Patientis Lugdun. Ep. egregia geſta. 71. 3.
Pelagiani repullulantes a Gelaſio Pap. compreſſi. 212. 7.
Pelagius vir Illuſtris a Zenone Imp. interficitur cum aliis. 247. 9.
Perſecutionis Vandalicæ initia. 117. 3.
Petrus Fullo Antioch. Sedem invadit. 50. 3. In exilium ejicitur. 51. 4 Iterum revocatus. 66. 4. Antioch. ſedem recuperat. 87. 6. A Zenone iterum relegatus. 91. 2. & 110. 2. Antiochiam rediens quid egerit. 150. 8. Alia illius geſta adverſus Eccleſiam. 177. 2. De ipſius obitu. 187. 2.

 Cui

Digitized by Google

Cui Palladius ſuccedit. *ibid.* 3.
Petrus Mongus Ep. poſt Æluſum ordinatus. 100. 3. In Alex. ſede a Zenone collocatur. 126. 4. *& ſeq.* Synodum Chalced. damnat. 141. 5. Athanaſium ſucceſſorem habuit. 197. 2.
Prætextati, & Prætextatæ epitaphium. 54. 1.
Principibus ea non licent, quæ privatis prohibentur. 55. 2.

Q

S. QUintianus a Gothis ad necem quæſitus. 350. 11. Ejus virtutes, & obitus. *ibid.*

R

REliquiarum translatio S. Euſthaſii. 126. 3.
Ricimeris ſeu Richomeris cum Anthemio diſſidia componuntur. 53. 6. Ejus obitus. 56. 4.
Rogationum inſtitutio in Galliis ab Eccleſia adoptatur. 10. 5. *& ſeq.*
Romana Sedes per Vicarios Eccl. Cathol. præſidet. 133. 12. Romani Pont. electio ab Italiæ Rege confirmata. 134. 14. Ejuſmodi lex a Rom. Synodo abrogatur. *ibid.* Omnium Eccleſiar. caput agnoſcitur. 157. 17. & 169. 1. Iterum 231. 1.
Romanorum claſſis a Vandalis incenſa & profligata. 42. 7. Strages & cædes in Urbe Schiſmatis cauſa patratæ. 250. 5.
Ruſticus, & Olybrius Conſules a Leone Aug. creati. 15. 1.

S

S. SAbas Joanni Hieroſolym. pro Fide cathol. impigre decertare ſuadet. 379. 14. Ad Anaſtaſium pro cathol. ſcribit Eccleſia. 381. 15.
Salluſtius Hieroſolym. Ep. ordinatur. 180. 7. Eliam ſucceſſorem habuit. 225. 14.
Saraceni Palæſtinam vaſtant, & Monachos occidunt. 338. 4. Ad fidem catholicam convertuntur. 383. 18.
Seronati Galliarum Præfecti ſcelera. 40. 5.
Severi Imp. obitus. 23. 2. Anthemium habuit ſucceſſorem. 34. 1.
S. Severini Abbatis obitus. 133. 13.
Severus ab Elia Hieroſolym. Ep. damnatur. 378. 12.
Sidonii Apollinaris oratio panegyrica de Anthemii Conſulatu. 38. 1. Quis eſſet. 57. 6. Arvernenſis Ep. ordinatur. 59. 7. Ejus de Epp.

Digitized by Google

Epp. electione ſententia. 61. 9. De Evarici perſecutione in Galliis. 70. 2. Arverni invaſionem luget. 109. 16. Ejus epiſt. ad Oroſium, & obitus. 174. 6. Perſecutionem a Presbyteris ſuſtinet. 175. 7.

Sigiſmundus Burgundiæ Rex opera Aviti Viennen. catholicam fidem ſuſcipit. 376. 9. Apoſtolorum limina viſitat, a Symmacho reliquiis ditatus in Gallias redit. *ibid.* Inde ad Symmachum ſcribit. *ibid.* Monaſterium Agaunum conſtruit. 401. 13.

Simeonis Stylitæ obitus. 18. 6. Quanto tempore in columna perſeveraverit. *ibid.* Ejus reliquiæ Antiochiam translatæ. 19. 7. Imitatorem ſui Danielem reliquit. 21. 8.

Simplicius poſt Hilarum Rom. Pont. creatur. 39. 3. Gaudentium Ep. damnat, qua de cauſa. 73. 5. Ad Zenonem Imp. ſcribit. 91. 2. *&* *ſeq.* Ad Acacium. 93. 4. Ad Clerum, & Monachos CP. *ibid.* Iterum ad Acacium. 95. 7. & 101. 5. Ad Zenonem. 102. 7. Ad eumdem Acacium contra Paulum Epheſinum, & Petrum Antioch. Epp. 103. 8. Alteræ ad Acacium. 127. 6. & 7. Joannem Ravenn. Ep. arguit. 132. 11. Ad Zenonem Hiſpalen. Ep. 133. 12. Ejus obitus. 135. 1. Cui Felix ſuccedit. 136. 2.

Spectacula diebus feſtis Leonis Imp. lege prohibita. 46. 3.

Stephanus Antioch. Ep. Martyr occubuit. 110. 1. Cui Stephanus alter ſuccedit, & eidem Calendion. *ibid.* & 124. 1.

Studius Templum S. Joannis Baptiſtæ CPoli ædificat. 6. 8. Alia ejuſdem geſta. *ibid.*

Symmachus, & Laurentius ead. die Pontifices electi. 249. 4. Symmachus quis eſſet. 252. 8. Ejus electione probata, Schiſma judicio Regis Theodorici finitum. 255. 1. Illius reſcriptum ad Eonium Arelatenſem. 258. 4. Epiſt. ad eumd. Eonium. 265. 8. Altera ad Avitum. 280. 14. Apologetica ejuſdem ad Anaſtaſium Imp. 295. 3. *&* *ſeq.* Manichæos ab Urbe ejicit. 297. 5. Epiſcopos a Traſamundo extorres ſolatur. 330. 9. Iiſque pecunias, & veſtes miniſtrat. *ibid.* Orientales Epp. perſecutione vexatos per litteras conſolatur. 364. 8. Ab eo auxilium implorant. 366. 9. Cæſarii Arelaten. de variis interrogation. reſpon.

ſpondet. 368. 1. Scribit ad Epp. Galliæ. 375. 8. Illius obitus. 384. 2. Decretum de concellaneis habendis. 385. 3. Epiſtola eidem ſuppoſita. *ibid.* Hormiſdam ſucceſſorem habuit. 386. 5.
Synodus *Agathenſis*, ejuſque ad Deum preces pro Alarico Ariano 310. 3. Ejuſdem canones. *ibid.* 4. & *ſeqq.*
Arelatenſis a Leontio congregata. 8. 3.
Arelaten. altera quando, & qua de cauſa celebrata. 73. 6.
Aurelianen. ejuſque canones. 342. 2. & *ſeqq.*
Bituricenſis, qua Simplicius Ep. ordinatur. 60. 8.
Cabillonen. Joannem Ep. ordinat. 48. 3.
CPolitana a Macedonio celebrata. 245. 5.
Lugdunenſis. 76. 9.
Romana ſub Hilaro Pap. contra Hermetem Narbonen. Ep. 2. 4. Plura pro reparanda Eccl. diſciplina decernuntur. *ibid.* Altera ſub eodem, ejuſque geſta. 24. 4. & *ſeq.* Sub Simplicio celebrata. 105. 11. Item ſub Felice III. Vitalem & Miſenum Epp. damnat. 147. 5. Ejuſdem geſta adverſus Acacium. 149. 6. Altera Petrum Alex. & Petrum Antioch. una cum Acacio damnat. 169. 1. Sub eodem Felice de Lapſis reſtituendis. 180. 1. Ejuſque decreta de eiſdem. 181. 2. Sub Gelaſio Miſenum abſolvit. 228. 2. Alia ſub eodem de Libris Eccleſiaſticis. 231. 1. Sub Symmacho quid in electione Papæ ſervandum decernit. 255. 1. Schiſma iterum contra Symmachum ſuſcitatur maxima Urbis turbatione. 273. 3. & *ſeqq.* Per Synodum Palmariam Regis Theodorici diligentia comprimitur. 279. 13. Tertia ſub eodem Symmacho Legem Odoacri de Pontificis electione revocat. 286. 5. Item alteram de bonis Eccl. non alienandis irritam declarat. *ibid.* Quarta ſub eodem an extiterit, legitimaque fuerit. 292. 1. & *ſeqq.*
Venetica, ejuſque canones. 14. 9.

T

Talmud Babilonicum vulgatur. 317. 12.
Theodoli Presbyteri ſcripta. 202. 4.
Theodorici geſta in Oriente poſt Theodomirum. 64. 2. De ejus obitu. 115. 1. Ejuſd. pietas & juſtitia. 298. 1. & *ſeqq.*

Theo-

Theodoricus Gothorum Rex Evaricum habuit ſucceſſorem. 37. 3.

Theodoricus alter Gothor. Rex & Conſul. 145. 1. Adverſus Zenonem arma convertit, & CPolim minatur. 185. 6. De Regno Italico occupando cum eodem agit. *ibid.* 7. Quo iter dirigit. 186. 1. Italiam ingreditur. 189. 1. Odoacrem ſemel & iterum fugat. *ibid.* Tandem victum occidit. 208. 1. Legatos ad Anaſtaſium Imp. mittit. *ibid.* 2. Quinam fuerint, & Legationis exitus. 209. 4. Pacem cum Regibus Galliæ init. *ibid.* 5. Epiphanii Ticinen. Ep. & Laurentii Mediol. ad illum legatio. 221. 9. Catholicis favet. 222. 11. Ejus epiſt. gratulatoria ad Clodoveum. 240. 11. Pro ſchiſmatis extinctione laborat. 251. 6. Romæ ſumma Senatus populique lætitia exceptus, Annonas donat. 259. 1. B. Petrum Apoſtolum veneratur. *ibid.* Omnia Impp. conſtituta ſe populo ſervaturum promittit. *ibid.* Legationem & epiſtolas mittit pro bello inter Clodoveum & Alaricum impediendo. 317. 1. Bellum ſuſcipit adverſus Clodoveum. 324. 4. Spectacula ſpernit. 335. 1. Hiſpaniæ regnat. 350. 12. Eutharicum generum in Imperio ſibi adſcivit. 402. 15.

Theodorus Conſul mutuo conſenſu ab uxore ſejunctus, caſtam vitam amplectitur. 305. 1. S. Fulgentii epiſtola gratulatoria ad eumd. *ibid.*

Theodoſii Monachi & Sabæ epiſt. ad Imp. pro Eccleſiæ pace. 381. 15.

Thraſimondus Vandalor. Rex poſt Gundabundum. 242. 13. Pluſquam centum & viginti Epp. Africanos in exilium mittit. 328. 7. Catholicos perſequitur. 331. 10. Fulgentium ab exilio revocat. *ibid.* Argumenta pro Arianiſmo obiicit, ea Fulgentius confutat. 332. 11. & *ſeqq.*

Timotheus Ælurus Eccleſiam iterum turbat. 86. 4. Illius geſta. 87. 6. A Zenone iterum dejectus. 91. 2. Tandem obiit. 98. 1. Sectatores ſui Timotheanos dictos reliquit. *ibid.* Eiuſdem & aliorum ſcripta. 99. 2. Cui Petrum Mongum ſucceſſorem dederunt. 100. 3.

Timotheus Soloſaſciolus Alex. redit. 100. 3. Legationem ad Simplicium Pap. mittit. 101. 5. Alteram ad Zenonem Imp. 104. 9. Joannem habuit ſucceſſorem. 121. 8.

Tutus a Felice Pap. CPolim miſſus cum Acacio communicat. 153. 12.

Van-

V

VAndali Siciliam, & Italiam incurſant. 23. 3. Eorum perſecutionis initia. 117. 3.
Veſuvii horrenda eruptio, & incendium. 62. 11.
Victor Vitenſis hiſtoriam ſuam vulgat. 182. 3. Eccleſiæ dogmata ab eo probata. *ibid.*
Vigilius Tapſenſis Ep. Eutychianos confutat. 177. 4. De ejuſdem libris. *ibid.*
Vitalianus adverſus Anaſtaſium Imp. rebellat. 387. 6. Bellum contra eumdem perſequitur. 389. 1. Uterque Rom. Pontificem pro pace Eccleſiis reſtituenda interpellant. *ibid.* 2.

Z

ZEnonis Imp. fides, & mores. 67. 2. Eo pulſo, Baſiliſcus Imperium invadit. 85. 3. Iterum, Baſiliſco mortuo, recuperat. 90. 1. Simplicii epiſt. ad eumdem. 91. 2. Alia ejuſdem geſta. *ibid.* ad Simplicium ſcribit. 92. 3. Baſiliſci acta contra Eccleſiam damnat. 95. 6. Timotheum Solofaſciolum Alex. Eccl. reddit. 100. 3. Marciani rebellionem reprimit. 113. 1. Ejus opera Africana Eccl. ſublevatur. 114. 3. Joannem Talajam Alex. Sede dejicit, ac Petrum Moggum in eam reſtituit. 126. 4. Imperator primus Fidei controverſiis dirimendis ſe immiſcuit. 129. 8. Quot abſurda ejus Decretum, ſeu Henoticum contineret. 130. 9. Qua ratione reprobatum. *ibid.* 10. Zenonis, & Verinæ conſpiratio adverſus Illum. 143. 7. Theodoricum Gothor. Regem uti filium adoptat, & Conſulem dicit. 145. 1. De illius obitu. 201. 1. Cui Anaſtaſius ſuccedit. *ibid.* 2. Pelagium cum aliis pluribus interficit. 247. 9.

X

XEnajas Hieropolitan. Ep. diſcordiarum incentor. 245. 6.

ERRA-

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 22. *Nibil omino*.	*Nibil omnino*.
26. De Silvani.	De Silvano.
27. *Naſalis mei*.	*Natalis mei*.
28. Convenire poterat.	.... poterant.
40. Criminum accuſatus.	.... accuſatum.
50. *Si volent*.	*Si vellent*.
72. *Magna Burgundia*.	.... *Burgundiam*.
118. Illorum opinioni.	.... opinio.
221. Bellis incentoribus.	Belli......
223. *Compredenderunt*.	*Comprebenderunt*.
234. *Uta pro*.	*Aut pro*.
251. Fœdebatur.	Fœdabatur.
260. Ab hunc annum.	Ad hunc annum.
273. Epiſcopus ex tota.	Epiſcopi....
279. *Seſſoriani Palati*.	.... *Palatii*.
282. *Tunc congantur*.	*Tunc coguntur*.
296. *Cujus juxta*.	*Cujus juſſa*.
329. Adverſos Eutychianæ.	Adverſus....
Ibid. Egregie decretavit.	..... decertavit.
330. *Per Africæ*.	*Per Africam*.
350. *Ut quidem volunt*.	*Ut quidam*....
367. *Et poſſibilem*.	*Et paſſibilem*.
368. Quem ea.	Quam ea.
374. Innotentiæ objectione.	Innocentiæ....
393. Synodum Chalcedonenſe	....Chalcedonenſem.
397. Concordiam firmaretur.	..... firmaret.

MAG 2021(12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. SALVAREZZA
RESTAURO
. L. Cervi n. 5
59 57 57

Digitized by Google

Digitized by Google